GNOMOLOGIA LATINA,

SEU

FONS ARGUMENTORUM UBERRIMUS,

COMPLECTENS

SENTENTIAS ET BREVES NARRATIONES, CONGESTAS E PRAECIPUIS CLASSICIS LATINIS,

TAM PROSAICIS, QUAM POËTICIS.

COLLEGIT,

ET,

SECUNDUM MATERIAS, IN ORDINEM ALPHABETICUM

DISPOSUIT

Joann. Chrysost. Maderner,

LITERARUM HUMANIORUM IN C. R. GYMNASIO IGLAVIENSI

PROFESSOR PUBLICUS.

Tomus I.

Absentia — Italia.

VIENNAE, 1835.

APUD MICHAËLEM LECHNER, UNIVERSITATIS BIBLIOPOLAM.

Motto.

Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi adfert, et fidem.

Cic. orator c. 34.

PRAEFATIO.

Sunt, qui Classicos Auctores, et, quidquid studia et disciplinas humaniores oleat, e scholis nostris jam dudum exterminandum arbitrentur. Gratia Dìs, istos Maecenates non in puppi sedere et clavum tenere; vos enim brevi, dulces Pierides, ad Getas hinc Sauromatasque ablegarent, et templa haec vestra numini, quod unice venerantur, Quaestui nempe dicarent. i. e. eadem quam primum in ovilia et lanificia transfigurarent.

His igitur, et universo gregi, quem ducunt, hanc ego praefationem, quod planum est, scriptam velle non possum; neque etiam, id quod luce, ut ajunt, meridiana clarius, Deum ipsis suum e pectoribus excuterem:

Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox!

Nolo itaque Sisyphum agere diutius, et verborum etiam eorum, quae de istis hactenus perdidi, bonam veniam exorans, Liberalium Artium cultoribus, et iis omnibus,

„Queis meliore luto finxit praecordia Titan,“ paucis rationem jam sum redditurus, quae me compulerit ad opus hoc conficiendum.

Professores publici, et quotquot sunt, qui juventute erudienda occupentur, quotidiana mecum experientia satis sibi cognitum habeant, necesse est, quam res sit difficilis, quantoque sudore conjuncta immaturae adhuc aetati, si thema sibi propositum suo studio suaque meditatione argumentis et rationis, et, ut ajunt, empiricis suffulciendum, hisque innixum vel mediocriter solum elaborandum injungitur.

Has difficultates in ipsa natura juvenum, utpote experientia et rerum usu nondum eruditorum, fundatas bene etiam cognoverunt Viri Illustrissimi, studiorum nostrorum Praesules et Gubernatores Sapientissimi, atque ideo in Institutione ad Eloquentiam per scholas nostras praescripta consulte aliquoties monita inserenda curaverunt, ut Classicis Auctorum effatis, Testimoniis et Exemplis exinde petitis, opus suum debile per se et infirmum suffulcire atque exornare conentur. Verum

tamen hic quaestio exoritur: Unde petant sibi juvenes ejusmodi Classicorum effata, quibus citatis et operi suo opportune inspersis huic et dignitatem et vim et quandam quasi consecrationem addere possint? Possidentne, si non omnes, at saltem plerique, opera Classicorum Auctorum, ne dicam, mente ac memoria, at certe in scrinio domi inclusa? Atque, ut possideant, invenietne juvenis, et subito, et e longiore praesertim opere cujusdam auctoris ea ipsa loca, quae in themate modo proposito commode queat adhibere? Cunctis his quaestionibus non nisi negando responderi posse, haud quisquam, puto, inficiabitur. Patet igitur et necessitas et utilitas libri talis, qui hac in parte institutionis publicae non minima studiosae juventuti re et consilio praesto esse debeat. Talem equidem librum, quum publici Professoris munere fungar, et quotidie semper, et praesertim tum vel maxime desiderabam, cum ex Institutione nostra ad Eloquentiam in parte universali caput de perspicuitate, in parte vero speciali de oratione proprie dicta tractarem.

Jam existit quidem opus, quod hunc in finem e Cicerone excerpsit et in lucem edidit E. Th. Hohler, vir tum literatissimus, quum optime promeritus de studiis Classicis. Verum

dubito, ejusdem in tabernis librariis exemplaria adhuc restare. Atque ut restent, non tantum ex forma et dispositione, sed ex argumento quoque et materia ab illo hic differt liber meus. Nempe legi equidem et multo cum studio excerpsi non modo Ciceronem, sed alios praeterea complures et prosaicos auctores et poetas, parique diligentia ex his et ex illis tum vim et gravitatem, tum suavitatem et orationis Veneres in hoc meo opere congessi; quod hac de causa, ut est proverbium, et varietate delectabit.

Hoc itaque studio meo, compluribus annis continuato Gnomologia haec coorta est, seu, ut itidem cognominandam putavi, Fons argumentorum uberrimus, qui juvenem de themate quodam elaborando meditantem haud facile credo, destituet. Cogitatus et Exempla Classicorum hic liber multa millia suppeditat, ipsius laborem non solum corroborabunt atque exornabunt, sed totidem quoque illi, ut ita dicam, ponticuli existent, qui ad novos ipsi cogitatus faciliorem transitum monstrabunt; totidem igniculi diviniorum quasi mentium, quarum splendor calorque ipsius quoque ingenium inflammabit, et ad sublimiora secum abripiet. Tantopere equidem de utilitate hujus libri persuasum me esse dixerim, ut spe ducar

laetissima, haud quemquam fore juvenem, qui utilitate hac perspecta, sine illo subsidio ad occupationem suam rhetoricam sese accingat.

Atque haec primaria quidem et summa utilitas est, quam in componendo hoc libro spectavi; non vero sola et unica, quae ex opere nunc perfecto etiam sponte sit redundatura. Studium nempe Classicorum, degustatis quasi his flosculis, forsan in illis quoque adolescentibus radices aget, qui animo fuerunt hactenus refractario. Viri porro literati bene multa hic invenient cogitata ingeniosa, quorum unum et alterum sic dictum Motto ipsis suppeditabit, opus quoddam novum eorum venuste commendaturum. Tum ii, qui novis Classicorum Auctorum editionibus occupantur, crebro hic locos, ut ajunt, parallelos reperient, quibus sensum, saepe implicitum et obvolutum, parvo negotio interpretentur. Denique (si hoc fas est dictu!) et Professoribus literarum humaniorum non inutilem hunc librum fore crediderim, quippe qui frequenter mentionem faciat, et opera et capita Classicorum indicet, unde materias occupationum, discipulis proponendarum, imo elaboratas jam narrationes, descriptiones, dissertationes et similia commode depromere possint.

Restat, ut de interna libri institutione et dispositione plura commemorem; ut rationem ad feram, qua usus et tractatio facillime innotescat; praesertim vero, ut barbariem excusem, qua hic illic in titulis vocibus utor non optime quidem latinis, uti sunt: Atheista, Egoismus, Sympathia et ejusmodi. Verum his, quum et minora sunt et facile per se patent, jam puto supersedendum, et praefationem concludo, hoc unico in fine voto adjecto, ut aliquid labore hoc meo ad promovendum in scholis nostris studium contulerim Classicorum, amoremque horum in animis juvenum partim recens excitaverim, partim excitatum jam et ferventem magis magisque corroborarim. Tunc cum poeta mihi ipse acclamem:

Habes, tota quod mente petisti!

Iglaviae, Calend. April. 1834.

Absentia.

Cogit et absentes plura timere locus. Ovid. Heroid. Ep. 19. (Timor.)

Abstinentia.

1.) Est virtus placitis abstinuisse bonis. Ovid. Heroid. Ep. 17.

2.) Romanus imperator (Man. Curius Dentatus), cum illi ob virtutem et bene gestam rempublicam tantum agri decerneretur, quantum arando uno die circuire potuisset: »non est, inquit, vobis eo opus cive, cui plus opus sit, quam uni civi.« Quanto majoris viri putas, respuisse hoc munus, quam meruisse? Multi enim fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit. Senec. benef. VII. 7.

3.) M. Curius decretis a senatu septenis jugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum reipublicae civem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset. Val. Max. IV. 3. (Continentia.)

4.) Alexander vero, cognomen invicti assecutus, continentiam Diogenis Cynici vincere non potuit: ad quem cum in sole sedentem accessisset, hortareturque, ut, si qua sibi vellet praestari, indicaret: quemadmodum erat in crepidine collocatus, sordidae appellationis, sed robustae vir praestantiae: mox, inquit, de caeteris: interim a sole mihi velim non obstes. Val. Max. IV. 3.

5.) Idem Syracusis, cum olera ei lavanti Aristippus dixisset: Si Dionysium adulare velles, ista non esses. Imo, inquit, si tu ista esse velles, non adulares Dionysium. Val. Max. IV. 3. (Continentia. Frugalitas.)

6.) Quartum et vicesimum annum agens Scipio, cum, in Hispania Carthagine oppressa, majoris Carthaginis capiendae sumsisset auspicia, multosque obsides, quos in ea urbe Poeni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiae inter eos formae virginem, aetatis adultae, et juvenis et coelebs et victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque gentis ejus Indibili desponsam, accersitis parentibus et sponso inviolatam tradidit. Aurum quoque, quod pro redemptione puellae allatum erat, summae dotis adjecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis ejus gratiam debitam retulit. Val. Max. IV. 1. (Continentia.)

Abusus.

1.) Nihil in rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniat. Senec. constant. Sapient, 3.

2.) Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.
Ovid. Trist. II.

3.) Nihil invenies tam manifestae utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Senec. quaest. natural. V. 18. (Utilitas.)

Actores:

1.) Et Aeschines, Atheniensis vir eloquentissimus, qui, cum adolescens tragoedias actitavisset, rempublicam capessivit; et Aristodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis et belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt. Cic. rep. IV. 11. (Graeci. Theatrum.)

2.) Cum artem ludicram scenamque totam (sermo de arte dramatica apud veteres Romanos) probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt. Cic. rep. IV. 10. (Drama. Romani. theatrum.)

Administer principis.

1.) Et sumta, et posita pace fidele caput. Prop. II. 1.

2.) Maria ac terras populosque regenti,
Quis comes utilior? Juvenalis. Satyr. 4.

3.) Plerisque hoc vitium est, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Quales regiae potentiae ministri sunt, quos delectat superbiae suae longum spectaculum; minusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostenderint. Nihil confestim, nihil semel faciunt; injuriae illorum praecipites, lenta beneficia sunt. Quare verissimum existima, quod ille Comicus dixit: Quid? tu non intelligis, tantum te gratiae demere, quantum morae adjicis? Sen. benef. II. 5.

Admiratio.

1.) Sapientiae noceri non potest; nulla delebit aetas praesens, nulla diminuet sequens, ac deinde semper ulterior aliquid ad venerationem conferet; quoniam quidem in vicino versatur invidia: simplicius longe posita miramur. Sen. brev. vitae 15. (Invidia. Sapientia.)

2.) Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum.
Hor. epist. I. 6.

3.) Quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus est. Senec. vita beata. II. (Invidia.)

Admonitio.

1.) Ne te credideris, quia non facis ista, moneri;
Vela damus, quamvis remige navis eat.
Ovid. Trist. V. 15.

2.) Qui monet, ut facias, quod jam facis, ille monendo
Laudat, et hortatu comprobat acta suo.
Ovid. Trist. V. 15.

3.) — — — — — Adspice quantum
Aggrediare nefas, et dum licet, effuge crimen.
Ovid. Metamorph. VII. 70.

4.) Cum moneas aliquem, nec se velit ille moneri:
Si tibi sit carus, noli desistere coeptis.
Cat. Dist. I. 9.

5.) Quae tu cum praestes, remo tamen utor in aura:
Nil nocet admisso subdere calcar equo.
Ovid. ex Pont. II. 6.

6.) Vive, vale; si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.
Hor. epist. I. 6.

7.) Tu ne cede malis; sed contra audentior ito,
Qua tua te fortuna sinet. Virg. Aen. VI. 95.

8.) Ut igitur et monere, et moneri, proprium est verae amicitiae: et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem; quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cic. Amic. 25. (Adulatio. Amicitia.)

9.) Illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare: peccasse enim se non anguntur, objurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere. Cic. Amic. 24. (Vituperatio.)

10.) Omnis igitur hac in re (sc. in monendo et vituperando amico) habenda ratio, et diligentia est: primum, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat: in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit: assentatio, vitiorum adjutrix; procul amoveatur: quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est; aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cic. Amic. 24. (Assentatio. Vituperatio.)

Adolescens.

At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex, ne quod speret quidem habet. At est eo meliore conditione, quam adolescens: cum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est. Ille vult diu vivere, hic diu vixit. Quamquam o dii boni! Quid est in hominis vita diu? da enim supremum tempus: Exspectemus Tartessiorum regis aetatem: fuit enim (ut scriptum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit. Cic. Sen. 19. (Diu. Senex. Vita.)

Adolescentia.

Quarta restat causa, quae maxime angere, atque sollicitam habere nostram aetatem (loquitur Cato senex) videtur, appropinquatio mortis: quae certe a senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non viderit! quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? quin etiam aetas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet; facilius in morbos incidunt adolescentes; gravius aegrotant; tristius curantur; itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret, melius, et prudentius viveretur. Cic. Sen. 19. (Mors. Morbus. Senectus.)

Adpetitus.

1.) Darius in fuga, cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit, umquam se bibisse jucundius. Numquam videlicet sitiens biberat. Cic. Tusc. Quaest. V. 34. (Sitis.)

2.) Quod mare, quod tellus adpone, quod educat aër:
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
Ovid. ex Pont. I. 10. (Voracitas.)

3.) Numquam esuriens Ptolemaeus ederat; cui, cum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. Cic. Tusc. Quest. V. 34. (Fames.)

4.) — — — Tu pulmentaria quaere
Sudando. Hor. Satyr. II. 2.

5.) — — Pinguem vitiis, albumque, nec ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Hor. Satyr. II. 2.

6.) Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
Hor. Satyr. II. 2.

Adplausus.

1.) — — — Non, si quid turbida Roma
Elevet accedas; examenve improbum in illa

Castiges trutina; nec te quaesieris extra.
Persii. Satyr. 1.

2.) Antigenidas tibicen discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se approbanti, cunctis audientibus, dixit: Mihi cane, et Musis. Quia videlicet perfecta ars, fortunae lenocinio defecta, fiducia justa non eruitur. Val. Max. III. 7. (Ars. Conscientia sui.)

Adspectus.

1.) Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Hor. Pis. 180.

2.) Neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordinem verborum aut sententiarum complectatur; neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis affigi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas et ab adspectus judicio remotas, conformatio quaedam, et imago, et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti vix possemus, intuendo quasi teneremus. Cic. de orat. II. 87. (Memoria. Orator.)

Adulatio.

1.) Natio comoeda est. Rides? majore cachinno
Concutitur; flet, si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromydem; si dixeris, aestuo, sudat.
Juvenalis. Satyr. 3.

2.) — — — — Semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Juvenalis Satyr. 3.

3.) Demipho.
Nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.
Terent. Phormio. V. 2. (Philautia.)

4.) A turba quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus praebeas; artifices sunt ad captandos superiores. Par illis, etiam si bene caveris, non eris. Mihi crede; capieris, si proditioni ipse te trades. Senec. quaest. natural IV. praef.

5.) Adulatio, quam similis est amicitiae! Non imitatur tantum illam, sed vincit, et praeterit; apertis et propitiis auribus recipitur, et in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo laedit. Sen. ep. 45.

6.) Adulatorum et prava laudantium sermo diutius haeret, quam auditur; nec facile est animo dulcem somnum excutere; prosequitur et durat, et ex intervallo recurrit. Senec. Epist. 123.

7.) Crispus Passienus (celeber orator, Neronis vitricus) quo ego nil cognovi subtilius in omnibus rebus, maxime in distinguendis et curandis vitiis, saepe dicebat: adulationi nos opponere, non claudere ostium. Senec. quaest. natural. IV. praef.

8.) Ita est, quo apertior est adulatio, quo improbior, quo magis frontem suam perfricuit, cecidit alienam, hoc citius expugnat. Eo enim jam dementiae venimus, ut, qui parce adulatur, pro maligno sit. Senec. Quaest natural. IV. praef.

9.) Maluerim veris offendere, quam placere adulando. Sen. clementia II. 2. (Veritas.)

10.) Gnatho. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt. Hos consector, hisce ego non paro me, ut rideant,
Sed eis ultro adrideo, et eorum ingenia admiror simul:
Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis? Nego; ait? ajo; postremo imperavi egomet mihi
Omnia adsentari. Is quaestus nunc est multo uberrimus. Terent. Eunuch. II. 2. (Obsequium. Parasitus.)

Adulator.

1.) Aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors: callidus ille, et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est; nec enim facillime agnoscitur, quippe qui etiam adversando saepe assentetur:

et litigare se simulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique se patiatur: ut is: qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius, quam illudi? Cic. Amic. 26.

2.) Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum, ac voluntatem, sed etiam vultum, atque nutum convertitur? Negat quis? nego: ait? aio; postremo imperavi egomet mihi,

Omnia assentari,

ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis est. Cic. Amic. 25.

3.) Athenienses autem Timagoram, inter officium salutationis Darium regem more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt: unius civis humilibus blanditiis totius urbis suae decus Persicae dominationi summissum graviter ferentes. Val. Max. VI. 3.

4.) Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat exstincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissime fallat? Ignoravere vires suas, et dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere supervacua et in discrimen rerum omnium perventura bella; utilem et necessariam rupere concordiam; secuti iram, quam nemo revocabat, multorum sanguinem hauserunt, fusuri novissime suum, dum vindicant inexplorata pro certis; flectique non minus existimant turpe, quam vinci; et perpetua credunt, quae in summum perducta maxime nutant. Ingentia super se ac suos regna fregerunt; nec intellexerunt, in illa scena, et vanis et cito diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipsos nihil non adversi exspectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt. Senec. benef. VI. 30. (Expugnator. Princeps.)

Adversa.

Quid est praecipuum (in rebus humanis)? Posse laeto animo adversa tolerare; quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si sciisses, omnia ex decreto Dei fieri. Flere,

queri, ingemere, desciscere est. Senec. quaest. natural. III. praef. (Sapientia.)

Aegritudo.

1.) Non mihi grata dies; noctes vigilantur amarae;
Nec tener in misero pectore somnus adest.
Ovid. Heroid. Ep. 12.

2.) — — — — Curis ingentibus aeger
Spem vultu simulat; premit altum corde dolorem.
Virg. Aen. I. 208. (Spes.)

3.) Ratio una omnium est aegritudinum, plura nomina; nam et invidere aegritudinis est, et aemulari, et obtrectare, et misereri, angi, lugere, moerere, aerumna adfici, lamentari, sollicitari, dolere, in molestia esse, adflictari, desperare. Cic. Tusc. Quaest. III. 34. (Affectus.)

Aemulus.

1.) Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Prop. II. 34. (Rivalis.)

2.) Tum bene fortis equus reserato carcere currit,
Cum, quos praetereat, quosque sequatur, habet.
Ovid. ars amat. III. (Rivalis.)

Aeneis.

Quo nullum Latio clarius exstat opus.
Ovid, ars amat. III.

Aequabilitas.

Aquabilitas quidem juris, quam amplexantur liberi populi, neque servari potest; ipsi enim populi, quamvis soluti effrenatique sint, praecipue multis multa tribuunt, et est in ipsis magnus delectus hominum et dignitatum; eaque, quae adpellatur aequabilitas, iniquissima est. Cum enim par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa aequitas iniquissima fit. Cic. rep. I. 34.

Aequalitas.

1.) Hoc habet inter caetera justitiae suae natura praecipuum, quod, cum ad exitum ventum est, omnes in aequo sumus. Seneca. quaest. natural. VI. 1. (Mors.)

2.) Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
Prop. III. 5.

Aër.

1.) Etenim licet videre acutiora ingenia, et ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aër sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso coelo atque concreto. Quin etiam, cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. Cic. nat. deor. II. 16. (Ingenium.)

2.) Aër nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat. Nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quin etiam movetur nobiscum. Quacumque enim imus, quacumque movemur, videtur quasi locum dare et cedere. Cic. nat. deor. II. 33.

3.) Quid est vox, nisi intensio aëris, ut audiatur, linguae formata percussu? Quid cursus et motus omnis, nonne intenti spiritus opera sunt? Hic facit vim nervis, et velocitatem currentibus. Hic quum vehementer concitatus ipse se torsit, arbusta silvasque convellit, et aedificia tota, corripiens in altum, frangit. Hic mare per se languidum et jacens incitat. Senec. quaest. natural. II. 6.

4.) Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis; itaque pingues Thebani, et valentes. Cic. fat. 4.

Aeschylus.

Aeschyli vero poëtae excessus, quemadmodum non voluntarius, sic propter novitatem casus referendus est. In Sicilia moenibus urbis, in qua morabatur, egressus, aprico in loco resedit. Super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis, (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam illisit, ut fractae carne vesceretur. Eoque ictu origo et principium fortioris tragoediae extinctum est. Val. Max. IX. 12.

Aestimatio sui.

Omnino est amans sui virtus; optime enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intelligit. Cic. Amic. 26.

Aetas.

1.) Quae vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? nonne modo pueros, modo adolescentes, in cursu, a tergo insequens, nec opinantes adsequuta est senectus? — sed quia ultra nihil habemus, hoc lon-

gum ducimus. Omnia ista perinde, ut cuique data sunt, ita pro rata parte, aut longa, aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur, hora octava, quae mortua est, provecta aetate mortua est; quae vero occidente sole, decrepita; eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate, in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemur. Cic. Tusc. Quaest. I. 39. (Vita.)

2.) Eleganter Laelius ille sapiens (cum Scipione Afric. vixit) dicenti cuidam: Sexaginta annos habeo: hos, inquit, dicis sexaginta, quos non habes? Senec. Quaest. Natur. VI. 32.

3.) Cursus est certus aetatis, et una via naturae, eaque simplex: suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data; ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. Cic. Sen. 10.

Aetas aurea.

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber. Tibull. I. 3.

Affabilitas.

Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis. Cic. Off. II. 14.

Affectus.

1.) Singulis perturbationibus partes ejusdem generis plures subjiciuntur: ut aegritudini invidentia (utendum est enim, docendi causa, verbo minus usitato; quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur (aemulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, moeror, aerumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio, et si quae sunt de genere eodem. Sub metum autem subjecta sunt: pigritia, pudor, terror, timor, pavor,

exanimatio, conturbatio, formido; voluptati malevolentia (laetans malo alieno), delectatio, jactatio, et similia; libidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium et caetera ejusmodi. Cic. Tusc. Quaest. IV. 7.

2.) Illi quidem etiam utiliter a natura dicebant (sermo est de Academicis veteribus) permotiones istas animis nostris datas: metum cavendi causa; misericordiam, aegritudinemque, clementiae; ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant: recte, secusne, alias viderimus. Cic. Academ. Quaest. IV. 44.

3.) Et perturbationes Zeno voluntarias esse putabat, opinionisque judicio suscipi, et omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem, immoderatam quandam intemperantiam. Cic. Academ. Quaest. I. 10. (Stoici. Zeno.)

4.) Angor est aegritudo premens; luctus aegritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo; moeror aegritudo flebilis; aerumna aegritudo laboriosa; dolor aegritudo crucians; lamentatio aegritudo cum ejulatu; sollicitudo, aegritudo cum cogitatione; molestia aegritudo permanens; afflictatio aegritudo cum vexatione corporis; desperatio aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum. Cic. Tusc. Quaest. IV. 8. NB. Fusius de affectibus tractat. lib. IV. cap. 1. usq. 10.

5.) Motus turbulenti jactationesque animorum incitatae, et impetu inconsiderato elatae, rationem omnem repellentes, vitae beatae nullam partem relinquunt. Quis enim potest, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum saepe impendet, esse non miser? quid, si idem (quod plerumque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet; si debilitatem, caecitatem; si denique, quod non singulis hominibus, sed potentibus populis saepe contigit, servitutem; potest ea timens esse quisquam beatus? Quid, qui non modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia? adde eodem exilia, luctus, orbitates; qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem esse non miserrimus? Quid vero illum, quem libidinibus inflammatum et furentem videmus, omnia rabide appetentem cum inexplebili cupiditate, quoque adfluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem, nonne recte miserrimum dixeris? quid elatus ille

levitate, inanique laetitia exsultans et temere gestiens; nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior? Ergo, ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae futiles laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla, ne minima quidem aura fluctus commovente: sic animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat. Quodsi est, qui vim fortunae, qui omnia humana, quae cuique accidere possunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum, nec angor attingat; idemque, si nihil concupiscat, nulla efferatur animi inani voluptate: quid est, cur is non beatus sit? et, si haec virtute efficiuntur, quid est, cur virtus ipsa per se non efficiat beatos? Cic. Tusc. Quaest. V. 6. (Beatitudo. Felicitas. Virtus.)

6.) Quid enim foedius avaritia, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abjectius tarditate, et stultitia dici potest? Cic. Leg. I. 19.

7) Cupiditates tuas publicasque, quantum potes, vexa; et istis dicentibus: quousque eadem? responde: Ego debeo dicere, quousque eadem peccabitis? Remedia ante vultis, quam vitia desinere. Senec. epist. 89.

8.) Xerxes quidem, refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit ei, qui invenisset novam voluptatem; qua ipsa non fuisset contentus; neque enim umquam finem inveniet libido. Cic. Tusc. Quaest. V. 7. (Libido. Voluptas.)

9.) Pars superior mundi et ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem; omni tumultu caret: inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus quietus semper et in statione tranquilla collocatus. intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus et venerabilis est et dispositus. Seneca de Ira III. 6.

10.) Urgentia circumstant vitia undique; nec resurgere aut in dispectum veri adtollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatibus infixos premunt. Numquam illis recurrere ad se licet; sed, si quando aliqua quies fortuito contigit, velut in profundo mari, in quo post

ventum quoque volutatio est, fluctuantur, nec umquam illis a cupiditatibus suis otium instat. Senec. de brev. vitae 2. (Cupiditates. Vita. Vitia.)

11.) Quando continget contemnere utramque fortunam? quando continget omnibus oppressis affectibus et sub arbitrium adductis hanc vocem emittere: Vici? Quem vicerim, quaeris? Non Persas, nec extrema Medorum, nec si quid ultra Dacas bellicosum jacet; sed avaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui victores gentium vicit. Senec. ep. 71. (Dominatio sui.)

12.) O quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt permittere, felicissimosque se judicant, si multas per milites provincias obtinent, et novas veteribus adjungunt, ignari, quod sit illud ingens parque diis regnum! Imperare sibi maximum imperium est. Senec. epist. 113. (Dominatio sui.)

13.) Concitationes animorum juncto currui similes sunt; in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit: quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet; si autem oberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per praecipitia labetur, aut certe, quo non est opus, deferetur. Cicero. rep. II. 41.

14.) Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.
Ovid. Heroid. Ep. 3.

15.) Imbecillis est primo omnis affectus, dein ipse se concitat, et vires, dum procedit, parat; excluditur facilius, quam expellitur. Senec. epist. 116.

16.) Quid, qui pecunia cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur, quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, — his nullane est adhibenda curatio? utrum, quod minus noceant animi aegrotationes, quam corporis? an, quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit? At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis; hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent, eumque sollicitant; »animusque aeger,« ut ait Ennius, »semper errat, neque pati neque perpeti potest: cupere numquam desinit;« quibus duobus morbis (ut omittam alios), aegritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? qui vero probari potest, ut sibi mederi

animus non possit, cum ipsam medicinam corporis animus invenerit, cumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeant; nec omnes, qui curari se passi sunt, continuo etiam convalescant; animi autem, qui sanari voluerint, praeceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur? Est profecto animi medicina philosophia; cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus et viribus, ut nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Cic. Tusc. Quaest. III. 3. (Animi curatio. Philosophia.)

17.) Ergo is, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est; sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quaerimus; is est beatus; cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum aut nimis laetabile ad efferendum videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui aeternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid aut in studiis humanis, aut in tam exigua brevitate vitae magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum? Atque idem ita ac rem in omnes partes aciem intendit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque angore vivendi; ut, quemcumque casum fortuna invexerit, hunc apte et quiete ferat. Quod, qui faciet, non aegritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus; his autem vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit. Cic. Tusc. Quaest. IV. 17. (Beatus. Sapiens.)

18.) Qui modum vitio quaerit, similiter facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucata praecipitaverit, sustinere se, cum velit; ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest, nec, quo loco vult, insistere omnino, quaeque crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Cic. Tusc. Quaest. IV. 18. (Vitia.)

19.) Quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum; et reliquae partes, totumve corpus, statu cum est motum, deest officio suo et muneri: sic conturbatus animus non est

aptus ad exsequendum munus suum; munus autem animi est, ratione bene uti. Cic. Tusc. Quaest. III. 7.

20.) Ubi sunt ergo isti, qui iracundiam utilem dicunt? (potest utilis esse insania?) aut naturalem? an quidquam esse potest secundum naturam, quod fit repugnante ratione? quo modo autem, si naturalis esset via? aut alius alio magis iracundus esset; aut finem haberet prius, quam esset ulta, ulciscendi libido; aut quemquam poeniteret, quod fecisset per iram? ut Alexandrum regem videmus; qui cum interemisset Clitum, familiarem suum, vix a se manus abstinuit; tanta vis fuit poenitendi. Quibus cognitis, quis est, qui dubitet, quin hic quoque motus animi sit totus opinabilis ac voluntarius. Cic. Tusc. Quaest. IV. 37. (Ira.)

21.) Qui natura dicuntur iracundi, aut misericordes, aut invidi, aut tale quid, ii sunt ita constituti, quasi mala valetudine animi; sanabiles tamen: ut Socrates dicitur, cum multa in conventu vitia collegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cujusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a caeteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi insita, sed ratione a se dejecta diceret. Cic. Tusc. Quaest. IV. 37. (Socrates.)

22.) Inveteratio, ut in corporibus, aegrius depellitur, quam perturbatio; citiusque repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur. Cic. Tusc. Quaest. IV. 37.

23.) Ut nimis adflicti molestia, sic nimis elati laetitia jure judicantur leves. Cic. Tusc. Quaest. IV. 31. (Levitas.)

24.) Ut confidere decet, timere non decet, sic gaudere decet, laetari non decet. Illud jam supra diximus, contractionem animi recte fieri numquam posse, elationem posse. Cic. Tusc. Quaest. IV. 31.

25.) Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, et uterque Poenus
    Serviat uni. Horat. II. 2. (Dominatio sui.)

26.) Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem; non secus in bonis
    Ab insolenti temperatam
        Laetitia. Hor. II. 3.

Affines.

1.) Praeclarum illud est, et, si quaeris, rectum quoque et verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, aeque ac nosmet ipsos amemus; ut vero plus, fieri nullo pacto potest. Ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus, quam se, ego illum plus, quam me; perturbatio vitae, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur. Cic. Tusc. Quaest. III. 29. (Amicitia.)

2.) Sanguinis autem conjunctio et benevolentia devincit homines caritate. Magnum est enim, eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia. Cic. off. I. 17.

3.) Optime autem societas hominum conjunctioque servabitur, si, ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Cic. Off. I. 16. (Benignitas.)

Agricola.

1.) Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hic anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos.
Virg. Georg. Lib. II. v. 513.

2.) O fortunatos nimium, sua si bona norint
Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Virg. Georg. Lib. II. v. 458.

Agricultura.

1.) Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius. Cic. off. I. 42. (Quaestus.)

2.) Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenore. Hor. Epod. II. (Honores.)

3.) Tempus in agrorum cultu consumere dulce est.
Ovid. ex. Pont. II. 7.

4.) Rura quoque oblectant animos, studiumque colendi:
Quaelibet huic curae cedere cura potest.
Ovid. remed. amor.

5.) Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quae nec ulla impediuntur

senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere; habent enim rationem cum terra, quae nunquam recusat imperium; nec umquam sine usura reddit, quod accepit: sed alias minore, plerumque majore cum foenore; quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis, ac natura delectat. Cic. Sen. 15.

6.) Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt; quos legite, quaeso, studiose, ut facitis. (loquitur Cato ad Scipionem et Laelium adolescentes): quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur! Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, regem Persarum, praestantem ingenio, atque imperii gloria, cum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis, eique dona a sociis attulisset: et ceteris in rebus comem erga Lysandrum, atque humanum fuisse, et ei quendam conseptum agrum diligenter consitum ostendisse. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum, et directos in quincuncem ordines, et humum subactam, atque puram, et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus: tum dixisse, mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam ejus, a quo essent illa dimensa, atque descripta: et ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae. Tum Lysandrum intuentem ejus purpuram, et nitorem corporis, ornatumque Persicum multo auro, multisque gemmis, dixisse: Rite vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta est. Cic. Sen. 17. (Xenophon.)

7.) Hac igitur fortuna (quae sc. ex agricultura fluit) frui licet senibus: nec aetas impedit, quo minus et ceterarum rerum, et imprimis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. Cic. Sen. 17. (Senectus.)

8.) In agris erant tum (sc. priscis temporibus) senatores, id est, senes. Siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum est, eum dictatorem esse factum: a villa in senatum arcessebantur et Curius, et ceteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati

sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio, an ulla beatior esse possit: neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris; sed et delectatione, quam dixi, et saturitate, copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent. Cic. Sen. 16. (Romani. Senes.)

8.) Semper enim boni, assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est: abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant; tum conditiora facit haec, supervacanei etiam operis, aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus; aut vinearum, olivetorumque specie dicam? Brevi praecidam. Agro bene culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat, atque allectat senectus. Ubi enim potest illa aetas, aut calescere vel apricatione melius, vel igni; aut vicissim umbris, aquisve refrigerari salubrius? Cic. Sen. 16. (Senectus.)

Alexander.

1.) Timaeus: qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagravisse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. Cic. nat. deor. II. 27.

2.) Qua nocte templum Ephesiae Dianae deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque ubi lucere coepisset, clamitasse Magos, pestem ac perniciem Asiae proxima nocte natam. Cic. divin. I. 23. (Divinatio.)

Allotria.

Astrologorum signa in caelo quid sit, observat: Jovis
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod belluarum.
Quod est ante pedes, nemo spectat; caeli scrutantur plagas.

Cic. de republica. I. 18.

Amator.

1.) Unicuique dedit vitium natura creato:
Mi natura aliquid semper amare dedit.
Prop. II. 22. (Vitium.)

2.) Adspice uti coelo modo sol, modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum.
Prop. II. 22.

3.) Nihil difficile amanti puto. Cic. Orat. cap. 10.

4.) Semper in absentes felicior aestus amantes.
Elevat assiduos copia longa viros. Prop. II. 33.

5.) Clitipho. — Disciplina est iisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui adfectant viam.
Terent. Heaut. II. 3.

6.) Durius in terris nihil est, quod vivat, amante;
Nec, modo si sapias; quod minus esse velis!
Prop. II. 17.

7.) Non semper placidus perjuros ridet amantes
Jupiter, et surda negligit aure preces.
Prop. II. 16.

8.) Omnia in exitium nata theatra meum.
Prop. II. 22. (Theatrum.)

9.) Chaerea. O faciem pulchram! deleo omnis de hinc ex animo mulieres:
Taedet quotidianarum harum formarum.
Ter. Eunuch. II. 3. (Pulchritudo.)

Ambitio.

1.) Miserrima est omnino ambitio honorumque contentio; de qua praeclare apud Platonem: »similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rempublicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret. Cic. Off. I. 25.

2.) Cum videris praetextam saepe jam sumtam, cum celebre in foro nomen, non invideris; ista vitae damno parantur: ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent. Sen. brevit. vitae. 19. (Honores.)

3.) Quosdam, cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes aetas reliquit; quosdam, cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri; quorumdam ultima senectus,

dum in novas spes, ut juventa disponitur, inter conatus magnos et improbos, invalida defecit. Sen. brev. vitae. 19. (Honores.)

4.) Est autem in hoc genere molestum (sermo est de ambitione) quod in maximis animis, splendidissimisque ingeniis plerumque existunt honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates. Quo magis cavendum est, ne quid in eo genere peccetur. Cic. off. I. 8.

5.) Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos,
Et Baream, tu nobilium magna atria curas?
Praefectos Pelopeja facit, Philomela tribunos.
Juv. Satyr. 7.

6.) Quem (sc. Themistoclem) ferunt, stimulis virtutum agitatum, et ob id noctes inquietas exigentem, quaerentibus, quid ita eo tempore in publico versaretur, respondisse: Quia me tropaea Miltiadis de somno excitant. Val. Max. VIII. 14. (Gloria. Themistocles.)

7.) Jam Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo, ex auctoritate Democriti praeceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me, inquit, miserum, quod nec uno quidem adhuc potitus sum! Val. Max. VIII. 14. (Gloria. Alexander.).

8.) Illa vero gloriae cupiditas sacrilega: inventus est enim, qui Dianae Ephesiae templum incendere vellet, ut, opere pulcherrimo consumpto nomen ejus per totum terrarum orbem disjiceretur. Quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. At bene consuluerant Ephesii, decreto memoriam deterrimi hominis abolendo: nisi Theopompi magnae facundiae ingenium in historiis eum suis comprehendisset. Val. Max. VIII. 14. (Gloria.)

9.) Pausanias, cum Hermoclem percontatus esset, quonam modo subito clarus posset evadere, atque is respondisset, si illustrem virum aliquem occidisset, futurum, ut gloria ejus ad ipsum redundaret, continuo Philippum interemit. Et quidem quod petierat, assecutus est: tam enim se parricidio, quam Philippus virtute, notum posteris reddidit. Val. Max. VIII. 14. (Gloria.)

Ambulacra.

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae;
Ille locus casti damna pudoris habet.
Ovid. ars. amat. I.

Amici.

Cum judicaveris, diligere oportet: non cum dilexèris, judicare; sed cum multis in rebus negligentia plectimur: tum maxime in amicis et deligendis, et colendis. Cic. Amic. 22. (Cautio.)

Amicitia.

1.) Maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori; saepe enim excellentiae quaedam sunt. Cic. Amic. 19.

2.) Virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes; ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, conjuncta et consociata cum altera perveniret. Quae si quos inter societas aut est aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturae bonum optimus beatissimusque comitatus. Cic. Amic. 22. (Virtus.)

3.) Quam (sc. Amicitiam) si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. Prata, et arva, et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. Hominum caritas, et amicitia gratuita est. Cic. nat. deor. I. 44.

4.) Sin vero erunt aliqui reperti, qui pecuniam praeferre amicitiae, sordidum existiment: ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponent? Cic. Amic. 17. (Corruptio.)

5.) Verae amicitiae difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus, reque publica versantur. Ennius recte:

Amicus certus in re incerta cernitur. Cic. Amic. 17. (Vir politicus.)

7.) Agrigentinum quidem, doctum quendam virum, (sc. Empedocles) carminibus Graecis vaticinatum ferunt: quae in rerum natura, totoque mundo constarent, quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam; atque hoc quidem omnes morta-

les et intelligunt, et re probant. Itaque, si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cavea nuper in hospitis, et (loquitur Cato senex) amici mei M. Pacuvii, nova fabula: cum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestem autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret? stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? facile indicabat ipsa natura vim suam: cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Cic. Amic. 7. (Discordia.)

7.) Qui utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus et paene divino. Cic. Amic. 18.

8.) Est enim boni viri (quem eundem sapientem licet dicere) haec duo tenere in amicitia: primum nequid fictum sit, neve simulatum: aperte enim vel odisse, magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam; deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. Cic. Amic. 18. (Sinceritas. Simulatio. Suspicio.)

9.) Mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Cic. Amic. 14.

10.) Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. Cic. Amic. 13.

11.) Caeterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis: divitiae, ut utare: opes, ut colare: honores, ut laudere: voluptates, ut gaudeas: valitudo, ut dolore careas, et muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet: quoquo te verteris, praesto est: nullo loco excluditur: numquam intempestiva, numquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia; neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri (quae tamen ipsa et delectat et prodest) sed de

vera, et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit; nam et secundas res splendidiores facit amicitia, et adversas partiens, communicansque, leviores. Cic. Amic. 6.

12.) Quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt. Cic. Amic. 9.

13.) Hoc praestat amicitia propinquitati: quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest; sublata enim benevolentia, amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. Cic. Amic. 5. (Propinquitas.)

14.) Est autem amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia, et caritate summa consensio: qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum. Cic. Amic. 6.

15.) Ipsa Virtus amicitiam et gignit et continet: nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Cic. Amic. 6.

16.) De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rempublicam se contulerunt: et ii, qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur: et ii, qui suum negotium gerunt otiosi: postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam sentiunt, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere; serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia: nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui. Cic. Amic. 23.

17.) Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias, et conservat; in ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quae, cum se extulit, et ostendit lumen suum, et idem aspexit, agnovitque in alio; ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit sive amor, sive amicitia; utrumque enim dictum est ab amando; amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita. Quae tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus sequutus sis. Cic. Amic. 27. (Virtus.)

18.) Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut, ea excepta, nihil amicitia praestabilius putetis. Cic. Amic. 27. (Virtus.)

19.) Vos hortor, ut amicitiam omnibus rebus humanis

anteponatis. Nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas. Cic. Amic. 5.

20.) Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. Cic. Amic. 5.

21.) Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest: quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est, et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos jungeretur. Cic. Amic. 5.

22.) Una illa sublevanda offensio est, ut et veritas in amicitia, et fides retineatur; nam et monendi amici saepe sunt, et objurgandi: et haec accipienda amice, cum benevole fiunt. Cic. Amic. 24.

23.) Hos delectat assentatio: his fictus ad ipsorum voluptatem sermo cum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant; nulla est igitur haec amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Cic. Amic. 26. (Assentatio. Deceptio sui.)

24.) Quoniam res humanae fragiles, caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur; caritate enim, benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata jucunditas. Cic. Amic. 27. (Amicus. Amor.)

25.) Una est amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. Cic. Amic. 23.

26.) Cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiae repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest; nam cum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque semper; sed varius, commutabilis, multiplex? Cic. Amic. 25. (Simulatio.)

27.) Quod si in scena, id est concione, in qua rebus fictis, et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, (si modo id patefactum, et illustratum est) quid in amicitia fieri oportet, quae tota veritate perpenditur? in qua nisi (ut dicitur) apertum pectus videas tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, aut amari; cum id, quam vere fiat, ignores. Cic. Amic. 26.

28.) Haec est, (quum sc. virtute praediti amicitiam jungunt) inquam, societas, in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut, cum haec adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Cic. Amic. 22.

29.) Virtuti opera danda est: sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus; ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit. Cic. Amic. 22. (Virtus.)

30.) Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Cic. Amic. 22. (Verecundia.)

31.) Quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, cetera generis ejusdem, haec amicitiae numquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem, amici causa, vir bonus faciet; ne si judex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit, ut orandae liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cic. Off. III. 10.

32.) Amicitias, quae minus delectent, et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente praecidere. Cic. Off. I. 33.

33.) Damonem, et Phintiam Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset: et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset: vas factus est alter ejus sistendi; ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi; qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se ad amicitiam tertium adscriberent. Cic. Off. III. 10.

34.) Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus (et quidem omnia praeclara rara) nec quidquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum; sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit: et amicos, tamquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Cic. Amic. 21.

35.) Ipse se quisque diligit, non ut aliquam a se ipse

mercedem exigat caritatis suae, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus numquam reperietur; est enim is quidem tamquam alter idem. Cic. Amic. 21. (Amicus.)

36.) Phaedria. Egone quid velim?
Noctesque diesque me ames, me desideres,
Me somnies, me exspectes, de me cogites;
Me speres, me te oblectes, mecum tota sis,
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
Terent. Eunuch. I. 2. (Amor.)

37.) Cum Deus intonuit, non se subducere nimbo,
Id demum pietas, id socialis amor.
Ovid. Trist. V. 15.

38.) Rara quidem virtus, quam non fortuna gubernet;
Quae maneat stabili, cum fugit illa, pede.
Ovid. Trist. V. 15.

39.) Ultima mandato claudetur epistola parvo:
Si tibi cura mei, sit tibi cura tui!
Ovid. Heroid. Ep. 14.

40.) Non est, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras: si diligenter attenderis, et domi invenies. Sen. ep. 47.

41.) Si omnia facienda sint, quae amici velint: non amicitiae tales, sed conjurationes putandae sunt. Cic. Off. III. 10.

42.) Cum autem inamicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur, religio, et fides anteponatur amicitiae: sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii. Cic. Off. III. 11.

43.) Nescis quantum sit pretium amicitiae, si non intelligis, multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed saeculis raram; quae non aliubi magis deest; quam ubi creditur abundare. Sen. benef. VI. 33. Officium.)

44.) — — Mirabor, si sciet inter —
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Hor. Pis. 424. (Beatus.)

45.) Tibi me virtus tua fecit amicum. Horat. Satyr. II. 5.

46.) Tecum vivere amem, tecum obeam libens.
Hor. Od. III. 9.

47.) Et amicum et inimicum voluntas facit.
Senec. benef. VI, 9. (Voluntas.)

48.) Nomen amicitiae barbara corda movet.
Ovid. ex Pont. III. 2.

49.) Non ego, si medius Polluce et Castore ponar,
In coeli sine te parte fuisse velim.
Ovid. Amor. II. 16. (Amor.)

50.) Tecum, quos dederint annos mihi fila sororum,
Vivere contingat, teque dolente mori.
Ovid. Amor. I. Eleg. 3. (Amor.)

51.) Neminem tam alte secunda posuerunt, ut non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit. Senec. benef. VI. 29. (Potestas.)

52.) Micio — — — Vetus verbum hoc quidem est;
Communia esse amicorum inter se omnia.
Ter. Adelph. V. 3.

53.) Demea. Homo amicus nobis jam inde a puero. Di boni,
Nae! illiusmodi jam magna nobis civium
Penuria est; homo antiqua virtute ac fide.
Ter. Adelph. III. 3. (Integritas.)

54.) Omnia sane excluserit opulenta felicitas; monstrabo tibi, cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, et hominem, inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, vindicet a consensu concentuque falsorum. Senec. benef. VI. 30. (Adulator; Potestas; Veritas.)

55.) Donec eris felix multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Ovid. Trist. I. 8.

56.) Omnia jam fient, fieri quae posse negabam,
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Haec ego vaticinor, qui sum deceptus ab illo,
Laturum misero, quem mihi rebar opem.
Ovid. Trist. I. 7.

57.) Illud amicitiae sanctum et venerabile nomen,
Nunc tibi pro vili sub pedibusque jacet!
Ovid. Trist. I. 7.

58.) Ut liceat nobis tota producere vita.
Alternum hoc sanctae foedus amicitiae! Catull. 108.

59.) Nihil aeque oblectaverit animum, quam amicitia fidelis et dulcis. Quantum bonum est, ubi sunt praeparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus, quam tuam timeas, quo-

rum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit a cupiditatibus eligemus. Senec. tranquill. anim. 7.

60.) Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum. Isti praepostere officia permiscent, qui, cum amaverint, judicant; et non amant, cum judicaverint. Senec. ep. 3.

61.) Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Senec. ep. 3.

62.) Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia; nec secundi quidquam singulis est, nec adversi: in commune vivitur. Nec potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit; alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Senec. ep. 48.

63.) Necesse est, initia inter se et exitus congruant. Qui amicus esse coepit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si ullum in illa placet pretium praeter ipsam. Senec. ep. 9.

64.) Nihil autem est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In quibus nempe eadem studia sunt, eaedemque voluntates, in his fit, ut aeque quisque altero delectetur, ac se ipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia: ut unus fiat ex pluribus. Cic. Off. I. 17.

65.) »Quaeris, quid profecerim? Amicus esse mihi coepi.« (Haec Hecatonis philosophi verba sunt, ad quae adjicit noster:) Multum profecit; numquam erit solus. Qui sibi amicus est, scito, hunc amicum omnibus esse. Senec. ep. 6.

66.) Hae sane vires amicitiae; mortis contemptum ingenerare, vitae dulcedinem exstinguere, crudelitatem mansvefacere, odium in amorem convertere, poenam beneficio pensare potuerunt: quibus paene tantum venerationis, quantum deorum immortalium ceremoniis debetur. Illis enim publica salus, his privata continetur: Atque ut illarum aedes sacrae domicilia, ita harum fida hominum pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt. Val. Max. IV. 7.

Amicus.

1.) Eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos: nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentia pariter, aequaliterque respondeat. Harum sententiarum nulli prorsus assentior: nec enim illa prima vera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quae nostra causa numquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare; tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius: quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime: multaeque res sunt, in quibus de fuis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipsi fruantur. Altera sententia est, quae definit amicitiam paribus officiis, ac voluntatibus; hoc quidem est nimis exigue, et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum, et datorum. Cic. Amic. 16.

2.) Auxilium a notis petito, si forte laboras,
Nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus.
Cat. Dist. IV. 13. (Auxilium.) quaeris

3.) Quum tibi vel socium, vel fidum quaetis amicum,
Non tibi fortuna est hominis, sed vita petenda.
Cat. Dist. IV. 15. (Socius.)

4.) Aeschinus. Si frater aut sodalis esset; qui magis
morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu
est? hem!
Itaque adeo magnum mi injicit sua commoditate
curam,
Ne imprudens faciam forte, quod nolit: sciens cavebo.
Ter. Adelph. IV. 5. (Pietas.)

5.) Quid? istos tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum existimas esse? Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. Senec. benef. VI. 33.

6.) His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura; totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Persii Satyr. 5.

7.) — Animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
Hor. Sat. I. 5.

8.) Litem inferre cave, cum quo tibi gratia juncta est:
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.
Cat. Dist. I. 36. (Concordia. Ira.)

9.) Plerique perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quaeque ipsi non tribuunt amicis, haec ab iis desiderant. Cic. Amic. 22.

10.) Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas. Cic. Amic. 13. (Auctoritas.)

11.) Tarquinium dixisse ferunt tum exulantem, se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos invidos, cum jam neutris gratiam referre poset. Cic. Amic. 15.

12.) Quid autem stultius, quam, cum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quae parantur; pecuniam, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam et pulcerrimam vitae, ut ita dicam, supellectilem? Cic. Amic. 15.

13.) Non ob aliam causam ullam boni, improbis; improbi, bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum, studiorumque distantia. Cic. Amic. 20.

14.) In omni re considerandum est, et quid postules ab amico, et quid patiare a te impetrari. Cic. Amic. 20.

15.) Principio, cui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam tu, ferret. Cic. Amic. 6.

16.) Amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui; quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent, et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur: horum vita laudabilis. Cic. Amic. 7.

Amor.

1.) Parmeno. Di boni, quid hoc morbi est? Adeon' homines imutarier
Ex amore, ut non cognoscas eumdem esse?
Terent. Eunuch. II. 1.

2.) Certus amor morum est; formam populabitur aetas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Ovid. fragm. Medic. (Mores.)

3.) Saevus amor docuit validos tentare labores;
Saevus Amor docuit verbera posse pati.
Tibull. III. 4.

4.) Credula res amor est. Ovid. Heroid. Ep. 6.

5.) Moribus et forma conciliandus amor.
Ovid. Heroid. Ep. 6.

6.) Multum in amore fides, multum constantia prodest.
Prop. II. 26.

7.) Blanditiis vult esse locum Venus ipsa; queretis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet. Tibull. I. 4.

8.) Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt. Tibull. I. 4.

9.) Gratia magna Jovi! Vetuit pater ipse valere,
Jurasset cupide quidquid ineptus amor. Tibull. I. 4.

10.) — — — Sunt numina amanti,
Saevit et injusta lege relicta Venus. Tibull. I. 5.

11.) — — — Donis vincitur omnis amor. Tibull. I. 5.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit. Prop. II. 34.

12.) Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat. Prop. II. 34.

13.) Nullus liber erit, si quis amare volet. Prop. II. 23.

14.) — — — Ut intabescere flavae
Igne levi cerae, matutinaeque pruinae
Sole tepente solent: sic attenuatus amore
Liquitur et caeco paulatim carpitur igni.
Ovid. Metam. III. 487.

15.) In primis (sc. scelestis) illos numero, qui nulli rei, nisi vino ac libidini vacant; nulli enim turpius occupati sunt. Caeteri, etiam si vana gloriae immagine teneantur, speciose tamen errant. Licet avaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes injusta, vel bella: omnes isti virilius peccant. In Venerem ac libidinem projectorum inhonesta labes est. Sen. brev. vit. 6. (Occupatio. Vinum.)

16.) Totus vero iste, qui vulgo adpellatur amor, tantae levitatis est, ut nihil videam, quod putem conferendum. Cic. Tusc. Quaest. IV. 32.

17.) O praeclaram emendatricem vitae, poeticam! quae amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum collocandum putet. Cic. Tusc. Quaest. IV. 32. (Poësis.)

18.) Semper ut inducar blandos offers mihi vultus;
Post tamen es misero tristis et asper amor.
Quid tibi, saeve puer, mecum est? an gloria magna
Insidias homini composuisse Deum? Tibull. I. 6.

19.) Non ego te laesi prudens; ignosce fatenti;
Jussit amor: contra quis ferat arma deos?
Tibull. I. 6.

20.) Trajicit et fati litora magnus amor. Prop. I. 19.

21.) Non satis est ullo tempore longus amor. Prop. I. 19.

22.) Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Prop. I. 20.

23.) — — Gravi jam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni.
Virg. Aen. IV. 1.

24.) — — — Est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Virg. Aen. IV. 66.

25.) Omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori.
Virg. Eclg. X. 69.

26.) Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Virg. Aen. IV. 413.

27.) Chremes. — — Sine Cerere et Libero friget Venus.
Ter. Eun. IV. 5.

28.) Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Haesisti: cecedit spiritus ille tuus. Prop. II. 3.

29.) Differtur, numquam tollitur ullus amor. Prop. II. 3.

30.) Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes.
Sic hodie veniet, si qua negavit heri. Prop. II. 14.

31.) Scilicet insano nemo in amore videt. Prop. II. 14.

32.) Stultus, et improbus hic amor est, dignusque notari.
Hor. Satyr. I. 3.

33.) Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem. Prop. II. 1.

34.) Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Prop. I. 5. (Nobilitas.)

35.) Saepe venit magno foenore tardus amor.
Prop. I. 7.
36.) Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
Carmina mansuetus lenia quaerit Amor. Prop. I. 9.
37.) Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Prop. III. 21. (Caritas.)
38.) Correptus saevo Veneris torrebar aheno;
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Prop. III. 24.
39.) Micio. — Vah! quemquamne hominem in animo instituere aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Ter. Adelph. I. 1. (Liberi.)
40.) Nescit amor magnis cedere divitiis. Propert. I. 14.
41.) Amantium irae, amoris integratio.
Terent. Andr. III. 3.
42.) Quo fugis, ah demens? nulla est fuga; tu licet usque
Ad Tanarim fugias, usque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aëre dorso;
Nec, tibi si Persei moverit ala pedes. Prop. II. 30.
43.) Hoc moneo: vitate malum, sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Prop. I. 1.
44.) Pacis amor deus est, pacem veneramur amantes.
Propert. III. 5. (Pax.)
45.) Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Virg. Georg. Lib. III. 242.
46.) — — — Quae res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. Hor. satyr. II. 3.
47.) Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen;
Oblitus potero non tamen esse tui.
Ovid. ex Pont. IV. 1. (Gratiae.)
48.) Parmeno. Dum est tempus, etiam atque etiam hoc cogita,
Ere: quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam rem consilio regere non potes.
In amore haec omnia insunt vitia: injuriae,
Suspiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum: incerta haec si tu postules

Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Terent. Eunuch. I. 1.

49.) Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Virg. Eclg. II. 69.

50.) — — — Quisquis amores
Aut metuat dulcis — aut experietur amaros!
Virg. Eclg. III. 109.

51.) Qui primus caram juveni, carumque puellae
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit. Tibull. III. 2.

52.) In amore haec sunt mala: bellum
Pax rursum. Horat. Satyr. II. 3.

53.) Stoici et sapientem amaturum esse dicunt, et amorem ipsum conatum amicitiae faciundae ex pulchritudinis specie definiunt. Cic. Tusc. Quaest. IV. 34. (Stoici.)

54.) — — Quis fallere possit amantem? Virg. Aen. IV. 296.

55.) — — Haerent infixi pectore vultus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
Virg. Aen. IV. 4.

56.) Heu sero revocatur amor, seroque juventas,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formae; coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis. Tibull. I. 8.

57.) Non ego celari possim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba sono. Tibull. I. 8.

58.) Desine dissimulare: deus crudelius urit
Quos videt invitos succubuisse sibi. Tibull. I. 8.

59.) Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tunc plumae, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidae ducere possit aquae. Tibull. I. 2.

60.) Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem;
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caraeve puellae
Ancillam medio detinuisse foro. Tibull. I. 2.

61.) Ah, miseri! quos hic graviter deus urget; at ille
Felix, cui placidus leniter adflat amor! Tibull. II. 1.

62.) Quis deus magis, ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Coelitum? Catull. 61.

63.) Parm. — Qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco.
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam adfert.
Terentii Hecyra. III. 2. (Inimicus.)

64.) — — Qui finem quaeris amoris,
Cedit amor rebus; res age tutus eris.
Ovid. remed. amor.

65.) Pamphilus. Nemini plura ego acerba credo esse ex amore homini umquam oblata, quam mi.
Terent Hecyr. III. 1.

66.) Ferrea non Venerem, sed praedam saecula laudant;
Praeda tamen multis est operata malis.
Tibull. II. 3.

67.) — — — Perjuria ridet amantum
Jupiter, et ventos irrita ferre jubet. Tibull. III. 6.

68.) Credula res amor est. Ovid. Metamorph. VII. 826.

69.) Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Quolibet: insidias non timuisse decet. Tibull. I. 2.

70.) Acer Amor, fractas utinam, tua tela sagittas
Ilicet exstinctas adspiciamque faces!
Tibull. II. 6.

71.) Exemplum junctae tibi sint in amore columbae,
Masculus et totum femina conjugium.
Propert. II. 15.

72.) Errat, qui finem vesani quaerit amoris;
Verus amor nullum novit habere modum.
Prop. II. 15.

73.) Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos;
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit:
Quam possim nostros alio transferre calores.
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Prop. II. 15. (Impossible.)

Amor conjugalis.

1.) Gentis Cariae regina Artemisia virum suum Mausolum fato absumptum quantopere desiderarit, leve est, post conquisitorum omnis generis honorum monumentique, usque ad septem miracula provecti, magnificentiam argumentari. Quid enim aut eos colligas, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipsa Mausoli vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit, eorum testimo-

nio, qui illam exstincti ossa potioni aspersa bibisse tradunt? Val. Max. IV. 6.

2.) Minyae, quorum origo, ex inclyto sociorum Jasonis numero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabili in sede manserat, a Pelasgis expulsi armis, alienae opis indigi, excelsa Taygetorum montium juga supplices occupaverant. Quos Spartana civitas recepit, deductosque inde, legibus commodisque suis immiscuit. Sed hoc tantum beneficium in injuriam bene meritae urbis, regnum affectantes, verterunt. Igitur publicae custodiae inclusi, capitali servabantur supplicio. Quod cum, vertere instituto Lacedaemoniorum, nocturno tempore passuri essent, conjuges eorum illustris ibi sanguinis, velut allocuturae perituros viros, impetrato a custodibus aditu, carcerem intraverunt, commutataque veste, per simulationem doloris velatis capitibus, eos abire passae sunt. Hoc loco quid aliud adjecerim, quam dignas fuisse, quibus Myniae nuberent? Val. Max. IV. 6.

Anacreon.

Anacreontis quidem tota poesis est amatoria.
Cic. Tusc. Quaest. IV. 33.

Anima.

Cum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Senec. epist. 117.

Animus.

1.) Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur; Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur. Cic. Academ. Quaest. IV. 45. (Corpus. Destinatio.)

2.) Omnino illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quaerimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, et ita adficiendum est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Cic. Off. I. 23. (Corpus.)

3.) Haec quae vides ossa, circumvoluta nervis, et obductam cutem, vultumque et ministras manus et caetera, quibus involuti sumus, vincula animorum tene-

braeque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris et suis, in falsa conjectus; omne illi cum hac carne grave certamen est, ne abstrahatur et sidat; nititur illo, unde dimissus est. Ibi illum aeterna requies manet, e confusis crassisque pura et liquida visentem. Senec. l. ad Marc. c. 24. (Corpus.)

4.) Quidnam esse, Brute, causae putem, cur, cum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars, ejusque utilitas deorum immortalium inventioni consecrata; animi autem medicina nec tam desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? an quod corporis gravitatem et dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non sentimus? ita fit, ut animus de se ipse tum judicet, cum id ipsum, quo judicatur, aegrotet. Cic. Tusc. Quaest. III. 1. (Corpus. Morbi Vitia.)

5.) Multa sunt, quae esse concedimus, qualia sint, ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio et impellimur et revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen sit animus, ille rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit. Alius illum dicet esse spiritum, alius concentum quemdam, alius vim divinam et Dei partem, alius tenuissimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non potest liquere de ceteris rebus, ut adhuc ipse se quaerat. Senec. Quaest. Natur. VII. 24. (Scire mancum.)

6.) Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus! Sen. epist. 115.

7.) Rex noster est animus; hoc incolumi caetera manent in officio, parent, et obtemperant; cum ille paulum vacillavit, simul nutant. Senec. epist. 114.

8.) Dominus omnium est (sc. animus), supra omnia est; nihil illi videtur grave, nihil asperum, quod virum incurvet. Senec. epist. 104.

9.) Magna et generosa res est humanus animus; nullos sibi poni, nisi communes et cum Deo terminos patitur. Senec. epist. 102.

10.) Valentior omni fortuna animus est; in utramque

partem ipse res suas ducit, beataeque ac miserae vitae sibi causa est. Senec. epist. 98.

11.) Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miserias miser, qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant. Senec. epist. 98.

12.) Quo plus recipit animus, hoc se magis laxat. Senec. epist. 108.

13.) Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, unde mittuntur: sic animus magnus et sacer, et in hoc demissus, ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed haeret origini suae. Illinc pendet; illuc spectat ac nititur; nostris tamquam melior interest. Sen. ep. 41.

14.) Ut breviter tibi formulam scribam: talis animus sapientis esse viri debet, qualis Deum deceat. Senec. epist. 92.

15.) Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quae admonitione excitantur; non aliter, quam scintilla flatu levi adjuta, ignem suum explicat. Senec. epist. 94.

16.) Quemadmodum flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest, non magis, quam quiescere; ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit. Sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit! ponet se extra jus ditionemque fortunae. Senec. epist. 39.

17.) Cogita, in te, praeter animum nihil esse mirabile; cui magno nihil magnum est. Senec. epist. 8.

18.) Nam quod semper movetur, aeternum est; quod autem motum adfert alicui, quodque agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod sese movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit. Quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo; nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re; nec enim esset principium, quod gigneretur: quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium sxtinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit; siquidem necesse est, a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest, nec mori; vel concidat omne

coelum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, quae a primo impulsu moveatur.

Cum pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo; nam haec est natura propria animi atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae sese moveat, neque nata est, certe et aeterna est. Hanc tu exerce in optimis rebus; sunt autem optimae, curae de salute patriae; quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem (sc. coelum) et domum suam pervolabit. Idque ocius faciet, si jam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum jura violaverunt; corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum (sc. coelum), nisi multis exagitati saeculis revertuntur. Cic. rep. IV. 25 et 26. Somn. scip. (Immortalitas. Patriotismus. Voluptates.)

19.) Magnus animus Deo pareat; et quidquid lex universi jubet, sine cunctatione patiatur. Sen. ep. 71. (Patientia.)

20.) Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Hor. epist. I. 2. (Initium.)

21.) Nulla sine Deo mens bona est. Semina in corporibus humanis divina dispersa sunt; quae si bonus cultor excipit similia origini prodeunt, et paria his, ex quibus orta sunt, surgunt, si malus, non aliter, quam humus sterilis ac palustris, necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus. Sen. ep. 73. (Divina.)

22.) Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, coeleste et divinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque praedita motu sempiterno. Hoc e genere atque eadem e natura est humana mens. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 27.

23.) Non valet tantum animus, ut se ipse videat. At, ut oculus, sic animus, sese non videns, alia cernit; non videt autem, quod minimum est, formam suam; fortasse: quamquam id quoque; sed relinquemus; vim certe, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. Haec magna, haec divina, haec sempiterna sunt. Qua facie quidem sit, aut ubi habitet, ne quaerendum quidem est, Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 28.

24) Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre; et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus; neque nos corpora sumus, neque ego, tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Quum igitur »Nosce te« dicit, hoc dicit: Nosce animum tuum; nam corpus quidem quasi vas est, aut animi aliquod receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te; hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praeceptum tributum a Deo, se ipsum posse cognoscere. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 22. (Cognitio sui.)

25.) Habet (sc. animus) primum memoriam, et eam infinitam, rerum innumerabilium; quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitae; nam in illo libro, qui inscribitur »Menon« pusionem quemdam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer; et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo, si geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, nisi recordari. Quem locum multo etiam adcuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita; docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere; nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas, et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animos, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. Quumque nihil esset, ut omnibus locis a Platone disseritur (nihil enim ille putat esse, quod oriatur, et intereat; idque solum esse, quod semper tale sit, qualem »ideam« adpellat

ille, nos »speciem«), non potuit animus haec in corpore inclusus agnoscere; cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur; neque ea plane videt animus, quum tam repente in insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit, sed quum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. Ita nihil aliud est discere, nisi recordari.

Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 24. (Discere. Scientiae.)

26.) Nihil est animo velocius, nulla celeritas est, quae possit cum animi celeritate contendere, Cic. Tusc. Quaest. L. I. cap. 19.

27.) Quum corporis facibus inflammati soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus; profecto beati erimus, quum, corporibus relictis et cupiditatum et aemulationum erimus expertes; quodque nunc facimus, quum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus et visere, id multo tum faciemus liberius, totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus, propterea, quod et natura inest mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi; et orae ipsae, locorum illorum, quo, pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum coelestium, eo majorem cognoscendi cupiditatem dabunt.

Cic. Tusc. Quaest. L. I. cap. 19. (Coelum. Elysium.)

28.) Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans et ingenio et diligentia, quum quatuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid; et tam multa alia: meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari; haec et similia eorum in horum quatuor generum nullo in esse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine, et sic ipsum animum ἐντελεχίαν adpellat, nova nomine, quasi quamdam continuatum motionem et perennem, Cic. Tusc. Quaest. L. I. cap. 10. (Aristoteles.)

29.) Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus: neque enim est ullus sensus in corpore, sed, ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares, a sede

animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus nec audimus; ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. Quidquod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium judex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo; quum autem nihil sit, praeter animum, nulla res objecta impediet, quo minus percipiat, quale quidque sit. Cic. Tusc. Quaest. L. I. cap. 20. (Coelum.)

30.) Ut, quum videmus speciem primum candoremque coeli, deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem; lunamque adcretione et deminutione luminis, quasi fastorum notis signantem dies; tum in eodem orbe, in duodecim partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime servantes, disparibus inter se motibus; nocturnamque coeli formam undique sideribus ornatam; tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem et cultum, quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita ad stellas septem, unde: »Horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur nives;« altera australis, ignota nobis, quam vocant Graeci ἀντίχθονα, ceteras partes incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore: hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore »Coelum mitescere, arbores frondescere, — Vites laetificae pampinis pubescere, — Rami baccarum ubertate incurvescere, — Segetes largiri fruges, florere omnia — Fontes scatere, herbis prata convestirier;« tum multi-

tudinem pecudum, partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda; hominemque ipsum, quasi contemplatorem coeli ac Deorum, ipsorumque cultorem; atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia. Haec igitur et alia innumerabilia quum cernimus, possumus ne dubitare, quin his praesit aliquis, vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur; vel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris? — Sic mentem hominis, quamvis eam non videas; ut Deum non vides, tamen, ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, et inventione, et celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito.

Cic. Tusc. Quaest. l. I. cap. 28. et 29. (Deus.)

31.) Anima sit animus, ignisve, nescio; nec me pudet, ut istos, (loquitur de philosophis, qui se cuncta tenere putant) fateri nescire, quod nesciam. Illud, si ulla alia de re obscura adfirmare possem, sive anima, sive ignis sit animus, eum jurarem esse divinum.

Cic. Tusc. Quaest. l. I. cap. 25.

32.) Quid enim, obsecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloso et caliginoso coelo, aut sata, aut concreta videtur tanta vis memoriae? si, quid sit hoc, non vides, at, quale sit, vides; si ne id quidem, at, quantum sit, profecto vides. Cic. Tusc. Quaest. l. I. cap. 25.

33.) Ergo animus, ut ego dico, divinus est; ut Euripides audet dicere, Deus; et quidem, si Deus aut anima aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura coelestis et terra vacat et humore, sic utriusqne harum rerum humanus animus est expers.

Cic. Tusc. Quaest. l. I. cap. 26.

34.) Animorum nulla in terris origo inveneri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum et fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum, his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia; quae sola divina sunt, nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo; singularis est igitur quaedam natura atque vis animi sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Cic. Tusc. Quaest. l. I. cap. 27.

35.) Deprendas animi tormenta latentis in aegro
Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies. Quo Satyr. 9. (Corpus. Facies.)

36.) Humanus animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. Cic. Tusc. Quaest. V. 13. (Homo)

37.) Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur. Cum illa tetigit, alitur, crescit, ac, velut vinculis liberatus in originem redit. Et hoc habet argumentum divinitatis suae, quod illum divina delectant; nec ut alienis interest, sed ut suis.
Senec. quaest. natural, lib. I. praefat.

38.) In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: quod quum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, et secretio, ac diremtus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur.
Cic. Tusc. Quaest. I. 29. (Immortalitas.)

39.) Sunt in corpore praecipua pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas; sunt item in animo. Ut enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas: sic animi dicitur, cum ejus judicia, opinionesque concordant; eaque animi est virtus. Cic. Tusc. Quaest. IV. 13. (Corpus.)

40.) Corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item; quorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt.
Cic. Tusc. Quaest. IV. 14. (Ratio.)

41.) Nec vero de hoc (sc. de futura nostra sorte) quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent: sic mentis acies se ipsa intuens nonnumquam hebescit; ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, tamquam in rate, in mari immenso, nostra vehitur ratio.
Cic. Tusc. Quaest. I. 30. (Ratio. Scrutatio.)

42.) Nam dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, et gravi opere perfun-

gimur. Est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus, et quasi demersus in terram, locum divinae naturae, aeternitatique contrarium. Sed credo, deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique coelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo, atque constantia. Nec me solum ratio, ac disputatio impulit, ut ita crederem; sed nobilitas etiam summorum philosophorum, et auctoritas. Cic. Sen. 21.

43.) Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major haec dicit. Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore; nec enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis; eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. (Cic. Sen. 22. (Immortalitas.)

44.) Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus: et cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum dispar sui, atque dissimile, non posse eum dividi: quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod jam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari.

Cic. Sen. 21. (Pythagoras. Immortalitas. Discere.)

45.) Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit, distractione humanorum animorum discerpi et lacerari Deum: et

cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri non potest. Cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset Deus? quomodo porro Deus iste, si nihil esset, nisi animus, aut infixus, aut infusus esset in mundo?

Cic. nat. deor. I. 11. (Deus. Pythagoras.)

Animus abjectus.

— — — — Omnia ferre
Si potes; et debes. Juvenalis, Satyr. 5.

Animus demissus.

Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Hor. Satyr. l. I. 9.

Animus fortis.

1.) Anaxarchus (philosophus) cum a tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec ulla vi inhiberi posset, quo minus amarissimorum eum maledictorum verberibus invicem ipse torqueret; ad ultimum amputationem linguae minitanti: Non erit, inquit, effeminate adolescens, haec quoque pars corporis mei tuae ditionis: protinusque dentibus abscissam et commanducatam linguam in os ejus ira patens exspuit.

Vac. Max. III. 3. (Dolor.)

2.) Tuos castissimos ignes, Portia, M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequentur: quae cum apud Philippos victum et interemptum virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata: sed nescio an hoc fortius, quod ille usitato, tu novo genere mortis absumpta es. Val. Max. IV. 6.

3.) Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius. Is ardentes faces intentat, is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. Huic igitur succumbet virtus? huic beata sapientis et constantis viri vita cedet? Quam turpe! o dii boni! Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. Mulieres vero in India, cum est cujus earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille delixerit. Quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur; illa

victa moesta discedit. Nunquam naturam mos vinceret; est enim ea semper invicta. Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus; opinionibus maloque more delinitum mollivimus.

Cic. Tusc. Quaest. V. 27. (Dolor. Virtus.)

4) Theodorus Lysimacho, mortem minitanti: »Magnum vero, inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es.« Paulus Persae deprecanti, ne in triumpho duceretur: »in tua id quidem potestate est.«

Cic. Tusc. Quaest. V. 40. (Internecio sui.)

5.) Crescit animus, quoties coepti magnitudinem attendit, et cogitat, quantum proposito, non quantum sibi supersit. Senec. Quaest. natural. III. praef.

6. Vetusto Macedoniae more regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. E quibus unus thuribulo arrepto ante ipsum adstitit, in cujus brachio carbo ardens delapsus est: quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis ejus odor ad circumstantium nares perveniret: tamen et dolorem silentio pressit, et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu regias aures asperaret. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, scisset, ejus stirpis milites vinci non posse, cujus infirmam aetatem tanto robore praeditam animadvertisset. Val. Max. III 3. (Dolor.)

Animus praesens.

1.) Cum Alexander Macedonum rex, sorte monitus, ut eum, qui sibi porta egresso primus occurisset, interfici juberet, asinarium, forte ante omnes obviam factum, ad mortem abripi imperasset, eoque quaerente, quidnam se immerentem capitali supplicio innocentemque addiceret, cum ad excusandum factum suum oraculi praeceptum retulisset: asinarius, si ita est, inquit, rex, alium sors huic morti destinavit; nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurit. Delectatus Alexander et illius tam callido dicto, et quod ab errore ipse revocatus erat, occasionem in aliquanto viliore animali expiandae religionis rapuit.

Val. Max. VII. 3.

2.) Lampsacenae vero urbis salus unius vaframenti beneficio constitit. Nam cum ad excidium ejus summo studio Alexander ferretur, progressumque extra moe-

nia Anaximenem praeceptorem suum vidisset; quia manifestum erat, futurum ut preces suas irae ejus opponeret, non facturum se quod petisset juravit. Tunc Anaximenes: Peto, inquit, ut Lampsacum diruas. Haec velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.

Val. Max. VII. 3. (Astutia.)

3.) Superior Annibal, a Duilio consule navali proelio victus, timensque classis amissae poenas dare, offensam astutia mire avertit. Nam ex illa infelici pugna prius, quam cladis nuntius domum perveniret, quendam ex amicis compositum et ornatum Carthaginem misit. Qui postquam civitatis ejus curiam intravit; Consulit, inquit, vos Annibal, cum dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias advenerit, an cum eo confligere debeat. Acclamavit universus senatus, non esse dubium, quin oporteret. Tum ille: Conflixit, inquit, et superatus est. Ita liberum iis non reliquit, id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse judicaverant. Val. Max. VII. 7. (Assutia.)

Anni.

O mihi praeteritos referat si Jupiter annos.

Virg. Aen. l. VIII. v. 560.

Annus.

1.) Circuitus enim solis orbium V et LX et CCC, quarta fere dici parte addita, conversionem conficiunt annuam. Cic. nat. deor. II. 19.

2.) Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Hor. Pis. 175.

3.) Poma dat autumnus; formosa est messibus aestas;
Ver praebet flores, igne levatur hyems.

Ovid. remed. amor.

4.) Quarum (sc. stellarum) ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cum solis, et lunae, et quinque errantium ad eandem inter se compositionem confectis omnium spatiis est facta conversio. Quae quam longa sit, magna quaestio est: esse vero certam et definitam necesse est.

Cic. nat. deor. II. 20.

5.) Homines populariter annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur; cum autem ad

idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eamdemque totius anni descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens annus adpellari potest; in quo vix dicere audeo, quam multa saecula hominum teneantur. Cic. rep. VI. 22. Somn. Scip.

Aqua.

1.) Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus et ex his interitus est. Ergo quandoque placuere res novae mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignis, cum aliud genus exitii placuit. (sc. Deo immittere). Senec. quaest. natural. III. 28. (Ignis. Interitus.)

2.) Ignis exitus mundi est; humor primordium.
Senec. quaest. natural. III. 13. (Ignis.)

3.) Quaedam (sc. aquae) oculos, quaedam nervos juvant, quaedam inveterata et desperata a medicis vitia percurant. Quaedam medentur ulceribus, quaedam interiora fovent potu, et pulmonis ac viscerum querelas levant. Quaedam supprimunt sanguinem: tam varius singulis usus, quam gustus est.
Senec. quaest. natural. III 1.

4.) Sunt (sc. aquae) salubres et utiles; sunt mortiferae; sunt, quae cogantur in lapidem. Quaedam tenues, quaedam pingues; quaedam alunt, quaedam sine ulla bibentis ope transeunt; quaedam haustae foecunditatem adferunt. Senec. quaest. natural. III. 2.

Arcanum.

1.) Consilium arcanum tacito committe sodali. Corporis auxilium medico committe fideli. Cat. Dist. II. 22. (Medicus.)

2.) Arcanum neque tu scrutaberis ullius umquam,
Commissumque teges, et vino tortus et ira.
Hor. ep. l. I. 18. (Taciturnitas.

3.) Haec soli commissa tibi celare, memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Juv. Satyr. 9. (Taciturnitas.)

4.) Non retinent patulae commissa fideliter aures;
Et simul emissum volat irrevocabile verbum.
Hor. ep. I. 18. (Taciturnitas.)

Archimedes.

Archimedis fructuosam industriam fuisse dicerem, nisi eadem illi et dedisset vitam, et abstulisset. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus ejus multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat; eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur, edixit; paene tantum gloriae in Archimede servato, quantum in oppresis Syracusis, reponens. At is, dum animo et oculis in terram defixis formas describit, militi, qui praedandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio, quisnam essat, interrogabat; propter nimiam cupiditatem investigandi quod requirebat, nomen suum indicare non potuit; sed protracto manibus pulvere: Noli, inquit, obsecro, istum disturbare: ac perinde quasi negligens imperii victoris, obtruncatus, sanguine suo artis suae lineamenta confudit. Quo accidit, ut propter idem studium modo donaretur vita, modo spoliaretur.

Val. Max. VIII. 7. (Diligentia.)

Argumenta.

1.) Quod argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisitae praescribere, sed est mediocris ingenii judicare.

Cic. de oratore II. 41. (Eloquentia. Orator.)

2.) Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere.

Cic. de oratore II. 76. (Orator.)

3.) Apud me, ut apud bonum judicem, argumenta plus, quam testes valent. Cic. rep. I. 38. (Testes.)

4.) Plus proficit (nempe Orator), si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti benefecii commemoratio, Cic. de oratore II, 51. (Orator. Utilitas.)

Argumentum.

1.) Si vox infragilis, pectus mihi firmius esset
Pluraque cum linguis pluribus ora forent,
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exsuperante meas. Ovid. Trist. I. 4.

2.) — — Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Virg. Georg. III. 8.

3.) Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor. Juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.
Virg. Georg. III. 291.
4.) Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. — Hor. Pis. 38. (Materia.)
5.) — — Cui lecta erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Hor. Pison. 40.
6.) Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Hor. Od. III. 25.
7.) Nihil parvum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. Hor. Od. III. 25.
8.) Aetas prima canat veneres; extrema tumultus,
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Prop. II. 10.
9.) Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo. Prop. IV. 7.
10.) Materiam, qua sis ingeniosus, habes.
Ovid. ars. am. II.
11.) Multum interest, utrum ad consumtam materiam, an ad subactam accedas: crescit in dies, et inventuris inventa non obstant. Senec. epist. 79.

Aristoteles.

1.) Quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior Aristotele fuit? Cic. Orat. cap. 51.

2.) Abundantia quadam ingenii praestabat, ut mihi videtur quidem, Aristoteles.
Cic. Academ. Quaest. I. 4.

3.) Quis uberior in dicendo Platone? Jovem sic ajunt philosophi, si graece loquatur, loqui. Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur; idque adparet ex genere et granditate verborum. Ciceronis Brutus. 31. (Demosthenes. Plato. Theophrastus.)

4.) Aristotele profecto nihil est acutius, nihil politius. Cic. Academ. Quaest. IV. 46.

5.) Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone non dissentiens; modo enim menti tribuit omnem divinitatem: modo

mundum ipsum deum dicit esse: modo quendam alium praeficit mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat, atque tueatur; tum caeli ardorem deum dicit esse, non intelligens, caelum mundi esse partem: quem alio loco ipse designarit deum. Cic. nat. deor. I. 13. (Deus.)

Arma.

Dente lupus, cornu taurus petit. Unde, nisi intus Monstratum? Hor. satyr. II. 1.

Arrogantia.

Quum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem, si vellet, audiret; quumque is se non nolle dixisset: locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum caeteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Hic Poenus non optime graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano, omnium gentium victore, certasset, graecum hominem, qui numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare?

Cicero de oratore II. 18.

Arrogantia fracta.

— — — — Creditur olim
Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax
Audet in historia; constratum classibus isdem,
Suppositumque rotis solidum mare; credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, et madidis cantat quae Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit, Salamine relicta
Barbarus (Xerxes)? — — — —
— — — Nempe una nave, cruentis

Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria poenas. Juv. Satyr. 10.

Ars.

1.) Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt; nec minus canendi peritus, cujus vocem exaudire fremitus obstrepentium non sinit: ita gratus est, etiam qui vult tantum, nec habet hujus voluntatis suae ullum alium, quam se testem.
Senec. benef. IV. 21. (Gratus animus.)

2.) Non est omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua per se non incommode persequuntur.
Cic. de oratore II. 16. (Institutio.)

3.) Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt: ut in musicis, numeri, et voces et modi; in geometria lineamenta, formae, intervalla, magnitudines; in Astrologia coeli conversio, ortus, obitus, motusque siderum; in grammaticis, poëtarum pertractatio, pronuntiandi quidam sonus, historiarum cognitio, verborum interpretatio; in hac denique ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere; ignota quondam omnibus et diffusa late videbantur.
Cic. de oratore I. 42. (Ordo. Scientia. Systema.)

4.) Ars enim, quum a natura profecta sit, nisi naturam moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur.
Cic. de oratore III. 51.

5.) Bene enim illo proverbio Graecorum praecipitur: »Quam quisque norit artem, in hac se exerceat«
Cic. Tusc. Quaest. I. 18.

6.) (Terentius ad obtrectatorem in poësi) — In medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Terentii Phormio Prolog. (Poësis.)

7.) Disce aliquid; nam, quum subito fortuna recessit,
Ars remanet, vitamque hominis non deserit umquam.
Cat. Dist. IV. 19. (Scientiae.)

Artes.

1.) Ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex

ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum, et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam, aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Ciceronis orator II. (Ideale.)

2.) Quum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.
Cat. Dist. I. 28. (Institutio.)

3.) Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? quis enim aegris subveniret, quae esset oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent? Quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum. Urbes vero sine hominum coetu non potuissent nec aedificari, nec frequentari; ex quo leges moresque constituti: tum juris aequa descriptio, certaque vivendi disciplina; quas res et mansuetudo animorum consecuta, et verecundia est: effectumque, ut esset vita munitior; atque ut dando, et accipiendo mutuandisque facultatibus, et commodis nulla re egeremus. Cic. Off. II. 4. (Auxilium.)

4.) Ut in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt; sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas adpellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, Plato; easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri; caetera nasci, occidere, fluere, labi; nec diutius esse uno et eodem statu. Quidquid est igitur, de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum. Ciceronis orator III. (Eloquentia. Ideale.)

5.) Non solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus

suis removerunt, qui aut Jalysi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coae Veneris pulchritudinem imitari. Nec simulacro Jovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent; quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus, ut, quum summa miraremur, inferiora tamen probaremus?

Ciceronis orator II. (Incitatio.)

6.) Artibus ingenuis quaesita est gloria multis.

Ovid. ex Pont. II. 7. (Gloria.)

7.) Non aliunde animo venit robur, quam a bonis artibus, quam a contemplatione naturae.

Senec. quaest. natural. VI. 32. (Natura.)

8.) Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.

Ovid. ex Ponto I. 6.

9.) Non in hac una re (nempe non solum in Eloquentia), sed in aliis etiam compluribus distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, quum esset Hyppocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? Num geometriam Euclide aut Archimede, num musicam Damone aut Aristoxeno, num ipsas literas Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? Equidem saepe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. Cic. de oratore III. 33.

(Doctrina. Scientiae.)

10.) Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria; jacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Cic. Tusc. Quaest. I. 2.

(Gloria. Honos.)

11.) Notatio naturae et animadversio peperit artem.

Cic. Orat. 55.

12.) Omnes artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt; aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita sunt aliud acturi.

Cic. de oratore III. 23.

13.) Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Ovid. ex Pont. II. 9.

14.) Omnium magnerum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat; radices stirpesque non item; sed esse illa sine his non potest. Me autem pervagatissimus ille versus, qui vetat,

»Artem pudere proloqui, quam factites«

dissimulare non sinit, quid delectet. Cic. orat. cap. 43. (Cicero.)

15.) Aptissima omnino sunt, Scipio et Laeli, arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum, quae in omni aetate cultae, cum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia numquam deserunt, ne in extremo quidem tempore aetatis, (quamquam id maximum est:) verum etiam quia conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio jucundissima est. Cic. Sen. 3. (Senectus. Virtutes.)

16.) Verum quidem, si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia salus civitatis aut belli aut domi; multo magnus orator praestat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? sed tamen (non metuo, ne mihi adclametis; est autem, quod sentias, dicendi liber locus) malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos. At plus interfuit reipublicae castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M. Curii. Credo. Sed Atheniensium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervae signum ex ebore pulcherrimum; tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. Quare non, quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum est; praesertim quum pauci pingere egregie possint aut fingere; operarii autem aut bajuli deesse non possint. Ciceronis Brutus. 73. (Dux. Orator. Utilitas.)

Assentatio.

1.) Assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat

aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur, et se maxime ipse delectet. Cic. Amic. 26.

2.) Quamobrem, quamvis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant, et invitant: tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur.
Cic. Amic. 26.

Assentator.

Semper auget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Cic. Amic. 26.

Assiduitas.

— — — — Teritur robigine mucro
Ferreus, et parvo saepe liquore silex. Prop. II. 25.

Astrologia.

Adspicienda via est coeli, versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Prop. IV. 1.

Astronomia.

1) Ad inquisitionem tantorum (de Cometis loquitur, et stellis generatim) aetas una non sufficit, ut tota coelo vacet. Quid, quod tam paucos annos inter studia ac vitia non aequa portione dividimus? Itaque per successiones ista longas explicabuntur. Veniet tempus, quo posteri nostri, tam aperta nos nescisse mirentur. Senec. Quaest. natural. VII. 25. (Posteritas. Scientia.)

2.) Istae quidem artes (de Mathesi, Astronomia sermo) si modo aliquid, valent ut paullum acuant et tamquam irritent ingenia puerorum, quo facilius possint majora discere. Cic. de republica I. 18. (Mathesis.)

3.) Mehercules, non aliud quis aut magnificentius quaesierit, aut didicerit utilius, quam de stellarum siderumque natura. Senec. Quaest. natural. VII. 1.

Astutia.

1.) Astutiae tollendae sunt, eaque malitia, quae vult illa quidem videri se esse prudentiam: sed abest ab ea, distatque plurimum. Prudentia est enim locata in

delectu bonorum, et malorum: malitia (si omnia, quae turpia sunt, mala sunt) mala bonis ponit ante.

Cic. Off. III. 17.

2) — — — Mille adde catenas;
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.

Hor. Satyr. II. 3.

3.) Memorabilis etiam consilii Qu. Metellus. Qui cum proconsule bellum in Hispania adversos Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam caput ejus gentis viribus expugnare non posset: intra pectus suum diu multumque consiliis agitatus, viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat. Modo hos obsidebat montes, paullo post ad illos transgrediebatur; cum interim tam suis omnibus, quam ipsis hostibus ignota erat caussa inopinatae ejus ac subitae fluctuationis. Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum et incertum militiae genus sequeretur: Absiste, inquit, ista quaerere: nam si hujus consilii mei interiorem tunicam consciam sensero, continuo eam cremari jubebo. Quorsum igitur ista dissimulatio erupit? aut quem finem habuit? Postquam vero et exercitum suum ignorantia, et totam Celtiberiam errore implicavit; cum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam et attonitam oppressit. Ergo nisi mentem suam dolos scrutari coëgisset, ad ultimam ei senectutem apud moenia Contrebiae armato sedendum foret. Val. Max. VII. 4.

4.) Sex. Tarquinius, Tarquinii filius, indigne ferens, quod patris viribus expugnari Gabii nequirent, valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum id oppidum Romano imperio adjiceret. Subito namque se ad Gabinos contulit, tanquam parentis saevitiam et verbera, quae voluntate sua perpessus erat, fugiens; ac paulatim unius cujusque fictis et compositis blanditiis alliciendo benevolentiam, ut apud omnes plurimum posset, consecutus, familiarem suum ad patrem misit, indicaturum, quemadmodum cuncta in sua manu haberet: et quaesiturum, quid nam fieri vellet. Juvenili calliditati senilis astutia respondit: Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuntii parum credens, nihil respondit; sed seducto eo in hortum, maxima et altissima papaverum capita baculo de-

cussit. Cognito adolescens silentio patris simul ac facto, caussam altioris argumenti pervidit: nec ignoravit, praecipi sibi, ut excellentissimum quemque Gabinorum aut exilio summoveret aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantum non vinctis manibus ei tradidit. Val. Max. VII. 2.

5.) Illud quoque a majoribus et consilio prudenter, et exitu feliciter provisum. Cum Urbe capta Galli Capitolium obsiderent, solamque potiendi ejus spem in fame obsessorum repositam animadverterent: perquam callido genere consilii unico perseverantiae irritamento victores spoliaverunt. Panes enim jacere compluribus ex locis coeperunt. Quo spectaculo obstupefactos, infinitamque frumenti abundantiam nostris superesse credentes, ad pactionem omittendae obsidionis compulerunt. Val. Max. VII. 4. (Prudentia.)

6) Agathocles autem, Syracusanorum rex, audaciter callidus. Cum enim urbem ejus majore ex parte Carthaginienses occupassent, exercitum suum in Africam trajecit; ut metum metu, vim vi discuteret, neque sine effectu: nam repentino ejus adventu perculsi Poeni, libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt; pactique sunt, ut eodem tempore et Africa Siculis, et Sicilia Punicis armis liberaretur. Age si Syracusarum moenia tueri perseverasset, illa belli malis urgerentur, bona pacis fruenda securae Carthagini reliquisset. Nunc inferendo quae patiebatur, dum alienas potius lacessit opes, quam suas tuetur; quo aequiore animo regnum deseruit, eo tutius recepit.

Val. Max. VII. 4.

7.) Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam ancillae succursum est, quae pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus acceperat, ea conditione, ut illam simul utrisque redderet. Quorum alter interjecto tempore, tanquam mortuo socio squalore obsitus, decepta ea, omnes nummos abstulit. Supervenit deinde alter, et depositum petere coepit. Haerebat misera in maxima pariter et pecuniae et defensionis penuria: jamque de laqueo et suspendio cogitabat. Sed opportune Demosthenes ei patronus adfulsit: qui ut in advocationem venit, Mulier, inquit, parata est depositi se fide solvere: sed nisi socium adduxeris, id facere non potest,

quoniam, ut ipse vociferaris, haec dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur. Val. Max. VII. 5.

8.) Sertorius vero, corporis robore atque animi consilio parem naturae indulgentiam expertus, proscriptione Sullana dux Lusitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non posset, ne cum Romanorum universa acie cenfligere vellent, vafro consilio ad suam sententiam perduxit. Duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum: ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi a juvene eximiarum virium universam convelli jussit. Obtemperatum imperio est. Sed dum adolescentis dextera irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium exsecuta est. Tunc barbarae concioni, quorsum ea res tenderet cognoscere cupienti, subjecit: Equi caudae consimilem esse Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere possit: universum conatus prosternere, celerius tradiderit victoriam, quam occupaverit. Ita gens barbara, aspera, et regi difficilis, in exitium suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis pervidit. Val. Max. VII. 6.

Atheista.

1.) Sunt, in fortunae qui casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni;
Atque ideo intrepidi quaecumque altaria tangunt.
Juvenal. Satyr. 13.

2) Quae (exhibuit in praecedentibus pulchritudinem terrae) si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. Cic. nat. decr. II. 39. (Terra.)

3.) Mala enim et impia consuetudo est contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate. Cic. nat. deor. II. 67.

4.) Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto censilio gerantur, nullo consilio assequi possumus. Cic. nat. deor. II. 38.

Athenienses

Themistocles post victoriam ejus belli quod cum Persis fuit, dixit in concione: se habere consilium reipublicae salutare, sed id sciri opus non esse; postulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret: datus est Aristides. Huic ille classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum clam incendi posse; quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in concionem magna expectatione venit: dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret; sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.

Cic. Off. III. 11. (Honestum.)

Auctor.

1.) Fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit. Sed mandare quemquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua adlicere lectorem, hominis est, intemperanter abutentis et otio et literis. Itaque suos libros ipsi legunt (sc. mali scriptores) cum suis; nec quisquam attingit, praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Cic. Tusc. Quaest. l. I. cap. 3. (Scriptor.)

2.) Phormio. Tute hoc intristi; tibi omne est exedendum; accingere! Terent. Phormio. II. 2. (Culpa.)

3.) — — Quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.

Hor. Pis. 359.

4.) Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.

Hor. Pis. 317.

5.) — Veniam pro laude peto; laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi, lector ero.

Ovid. Trist. I. 6.

6.) Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas,
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora putes, hunc esse poëtam.

Hor. Satyr. I. 4. (Horatius.)

7.) Non enim hominem interitu sententiae quoque occidunt. Cic. nat. deor. I. 5.

8.) At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Hor. Satyr. I. 4.

9.) — — — — Age quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Hor. Satyr. I. 10.

10.) Saepe Stylum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus, neque te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus.
Hor. Satyr. l. I. 10.

11.) — — Non satis est risu diducere rictum
Auditoris, et est quaedam tamen hic quoque virtus.
Hor. Satyr. l. I. 10.

12.) Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures.
Hor. Satyr. l. I. 10.

Auctor modestus

Non ego velifera tumidum mare findo carina;
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Prop. III. 9.

Auctores.

1.) Quidam (sermo de historicis) incredibilium relatu commendationem parant, et lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet. Illi non evitant, hi adpetunt. Et hoc in commune de tota natione, quae adprobare opus suum, et fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio adspersit. Senec. Quaest. natural. VII. 16. (Historici.)

2.) Hoc unum est rebus humanis opus (de scriptis operibus sermo est), cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas. Cetera, quae per constructionem lapidum, et marmoreas moles aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem; quippe et ipsa intereunt: immortalis est ingenii memoria.
Senec. lib. ad Polyb. c. 37. (Scripta. Scriptores)

Auctoritas.

1.) Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus.
Senec. ep. 11.

2.) Cicero. Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri, uti optimis possumus; quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum; et primum quidem omni antiquitate; quae, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat. Cic. Tusc. Quaest. I. 12. (Immortalitas.)

3.) Lysandrum Lacedaemonium, cujus modo mentionem feci, dicere ajunt solitum, Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior: quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum: cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui legati cum essent, in loco certo consederant, consurrexisse omnes, et senem illum sessum recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam, Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle. Cic. Sen. 18.
(Lacedaemonii. Senectus.)

4.) Quae sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis praemiis comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam aetatis peregisse, nec, tamquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. Cic. Sen. 18. (Senectus)

5.) Apex autem senectutis est auctoritas. Quanta fuit in L. Caecilio Metello! quanta in Attilio Calatino! in quem illud elogium unicum: Plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum. Notum est totum carmen, incisum in sepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum P. Crassum, nuper pontificem maximum; quem postea M. Lepidum eodem sacerdotio praeditum vidimus? quid de Paulo, aut Africano loquar? aut, ut jam ante de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Cic. Sen. 17.
(Senectus.)

6.) Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiae voluptates. Cic. Sen. 17. (Senectus.)

7.) Sed in omni oratione mementote, eam me laudare senectutem, quae fundamentis adolescentiae constituta sit, ex quo id efficitur, (quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi:) Miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet; non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quae et apud nos, et in aliis civitatibus, ut quaeque optime morata, ita diligentissime observantur. Cic. Sen. 16.
(Senectus.)

Auctumnus.

Et varios ponit fetus auctumnus; et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Virg. Georg. lib. II. v. 521.

Audacia.

1.) Omnium aetatum certus est terminus: senectutis autem nullus certus est terminus: recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi, et tueri possis: et tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est; cum illi quaerenti, qua tandem spe fretus, sibi tam audaciter obsisteret; respondisse dicitur, Senectute. Cic. Sen. 20. (Senectus. Solon.)

2.) Nil mortalibus arduum est. Horat. I. 3.

3.) Audentes Deus ipse juvat. Ovid. Metamorph. X. 586.

4.) Geta. Fortis fortuna adjuvat. Terent. Phorm. I. 4.

5.) Audentis fortuna juvat
Virg. Aen. lib. X. v. 285.

6.) Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur.
Virg. Aen. lib. XI. v. 384.

7.) — — — — Hic onus horret,
Ut parvis animis, et parvo corpore majus;
Hic subit et perfert. Hor. epist. I. 17.

8.) — — — Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium, recte petit experiens vir.
Hor. epist. I, 17.

9.) C. vero Popilius, a senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemaeum lacessebat, abstineret: cum ad eum venisset, atque is prompto animo et amicissimo vultu dextram ei porrexisset, invicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas senatus consultum continentes tradidit. Quas ut legit Antiochus, dixit, se cum amicis collocuturum. Indignatus Popilius, quod aliquam moram interposuisset, virga solum, quo insistebat, denotavit, et, prius, inquit, quam hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam crederes: continuo enim rex affirmavit, fore, ne amplius de se Ptolemaeus quereretur. Ac tum demum Popilius manum ejus tanquam socii apprehendit. Quam efficax est animi sermonisque abscisa gravitas! Eodem momento Syriae regnum terruit, Aegypti texit. Val. Max. VI. 4.

Auditor.

Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur; ad eamque, et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et adcommodant. Ciceronis Orator VIII. (Orator.)

Augere nimis.

Maxima de nihilo nascitur historia. Prop. II. 1.

Augur.

Augur cum esset, dicere ausus est (Q. Fab. Cunctator) optimis auspiciis ea geri, quae pro reipublicae salute gererentur: quae contra rempublicam ferrentur, contra auspicia ferri. Cic. Sen. 4.

Augurium.

Cujus (sermo est de Attio Navio, augure) cum tentaret scientiam (scilicet Tarquinius Priscus) auguratus, dixit ei, cogitare se quiddam, id possetne fieri, consuluit. Ille, augurio acto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse, cotem novacula

posse praecidi. Tum Attium jussisse experiri; ita cotem, in comitium allatam inspectante et rege et populo, novacula esse discissam. Ex eo evenit, ut et Tarquinius augure Attio Navio uteretur, et populus de suis rebus ad eum referret. Cotem autem illam et novaculam defossam in comitio; supraque impositum puteal accepimus. Cic. div. I. 17.

Aurum.

1.) Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Prop. III. 13. (Pietas.)

2.) Auro pulsa fides, auro venalia jura;
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Prop. III. 13.

3.) Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Hor. Od. III. 16.

4.) Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
Hor. epist. I. 1.

5.) Saepe solent auro multa subesse mala.
Tibull. I. 9.

6.) — — Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Virg. Aen. III. 56. (Avaritia.)

7.) Nos in lucem, propter quae pugnaremus, extulimus; nos et causas periculorum nostrorum et instrumenta, disjecto terrarum pondere, eruimus; nos fortunae mala nostra tradidimus, nec erubescimus, summa apud nos haberi, quae fuerant ima terrarum.
Senec. epist. 94. (Metalla.)

Auxilium.

1.) Generosi animi et magnifici est, juvare et prodesse. Senec. benef. III. 13.

2.) Clitipho. Inrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas. Ter. Heaut. V. 2. (Vituperatio.)

3.) Hominibus prodesse natura jubet, servi liberine sint, ingenui an libertini, justae libertatis an inter amicos datae, quid refert? Ubicumque homo est, ibi beneficio locus est. Sen. vit. beat. 24. (Beneficentia.)

4.) Mitius est lasso digitum supponere mento,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.
Ovid. ex Pont. II. 3.

5.) Sannio. Obsecro, populares! ferte misero atque
innocenti auxilium;
Subvenite inopi. Ter. Adelph. II. 1.
6.) Menedemus. — — — Di vostram fidem!
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et dijudicent,
Quam sua? An eo fit, quia re in nostra aut gaudio
Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?
Ter. Heaut. III. 1. (Consilium.)
7.) Syrus. — Ademtum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otiose ut dormias.
Ter. Heaut. II. 3. (Metus.)
8.) Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis:
Convenit et tanto, quantus es ipse, viro.
Ovid. ex Pont. II. 9.
9.) Turpe erit, in miseris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Ovid. ex Pont. II. 6.
10.) Conveniens homini est, hominem servare voluptas;
Et melius nulla quaeritur arte favor.
Ovid. ex Pont. II. 9. (Favor.)
11.) Et tua res agitur, paries quum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Hor. epist. I. 18.
12.) Non est in medico semper reveletur ut aeger:
Interdum docta plus valet arte malum.
Ovid. ex Pont. I. 3.
13.) Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas;
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Ovid. ex Pont. I. 3.
14.) Conspicitur numquam meliore potentia causa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
Ovid. ex Pont. II. 9. (Potentia.)
15.) Nam quid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas, velle juvare deos?
Ovid. ex Pont. II. 9. (Cultus Deorum.)

16.) Existimare debes, omnium oculos in te esse conjectos; unum te sapientem et appellant et existimant. Cic. Amic. 2. (Salvator. Sapiens.)

17.) Proxime antem, et secundum deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. Cic. Off. II. 3.

18.) Neque enim valitudinis curatio, neque naviga-

tio, neque agricultura. neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio sine hominum opera ulla esse potuisset. Jam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio, certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur, eademque ratione nec lapides e terra exciderentur ad usum nostrum necessarii: Nec ferrum, aes, aurum, argentum effoderetur penitus abditum, sine hominum labore et manu.

Cic. Off. II. 3.

19.) Tecta vero, quibus et frigorum vis pelleretur, et calorum molestiae sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent, aut postea subveniri, si aut vi tempestatis, aut terrae motu, aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos, quae unde sine hominum opera habere possemus? Cic. Off. II. 4.

Avaritia.

1.) Illi quoque majores nostri, quos celebramus laudibus, quibus dissimiles querimur nos esse, spe ducti, montes ceciderunt, et supra lucrum sub ruina steterunt. Senec. Quaest. natural. V. 15. (Metalla)

2.) Ante Philippum Macedonem reges fuere, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerentur, et relicto spiritu libero, in illos se demitterent specus, in quos nullum noctium dierumque perveniret discrimen, et a tergo lucem reliquerunt.

Senec. Quaest. natural. V. 15. (Metalla)

3.) Quae tanta spes fuit? quae tanta necessitas hominem ad sidera erectum incurvavit, et defodit, et in fundum telluris intimae mersit, ut erueret aurum, non minore periculo quaerendum, quam possidendum?

Senec. Quaest. natural. V. 15. (Metalla)

4.) Non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri.

Ovid. ars am. II. (Expugnator)

5.) Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in agenda festinat et obruitur re.

Hor. epist. I. 16.

6.) Aurea nunc vere sunt saecula; plurimus auro
Venit honos; auro conciliatur amor.
Ovid. ars amat. II.

7.) Ipse licet, Musis venias comitatus, Homere;
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.
Ovid. ars amat. II.

8.) — — At suave est ex magno tollere acervo.
Hor. Satyr. I. 1.

9.) Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Hor. Satyr. I. 1.

10.) Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio, an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Hor. Satyr. II. 3.

11.) Haeredes Staberî summam incidere sepulchro;
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrî,
Frumenti, quantum metit Africa. Hor. Satyr. II. 3.

12.) — — — Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
Curtae, nescio quid, semper abest rei.
Hor. od. III. 24.

13.) Tempore crevit amor, qui nunc est summus habendi;
Vix ultra, quo jam progrediatur habet.
Ovid. fast. I.

14.) Creverunt et opes et opum furiosa cupido;
Et, cum possideant plurima, plura volunt.
Ovid. fast. I.

15.) Demea. — — Vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta adtenti sumus.
Ter. Adelph. V. 8. (Senectus)

16.) Mercatores et venales invicem facti, quaerimus, non quale sit quidque, sed quanti. Ad mercedem pii sumus, ad mercedem impii. Senec. epist. 115.

17.) Luxuriam fugito, simul et vitare memento
Crimen avaritiae; nam sunt contraria famae.
Cat. Dist. II. 19. (Luxuria)

18.) Neque enim expletur umquam, nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum, ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.
Cic. Parad. I.

19.) Micio. Ad omnia alia aetate sapimus rectius;

Solum unum hoc vitium senectus adfert hominibus!
Adtentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.
Ter. Adelph. V. 3. (Senectus)

20.) Quid hac re fieri impudentius, quid stultius potest? Nihil satis est morituris, imo morientibus; quotidie enim propius ab ultimo stamus, et illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit.
Senec. epist. 120.

21.) Quidquid nobis bono futurum erat, Deus et parens noster in proximo posuit. Non expectavit inquisitionem nostram; ultro dedit: nocitura altissime pressit. Nihil nisi de nobis queri possumus; quibus periremus, nolente rerum natura et abscondente protulimus. Senec. epist. 110. (Metalla)

22.) Caput autem est in omni procuratione negotii, et muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspicio. Utinam, inquit, C. Pontius Samnis, ad illa tempora me fortuna reservasset, et tum essem natus, siquando Romani dona accipere coepissent! non essem passus diutius eos imperare. Nae illi multa saecula exspectanda fuerunt! modo enim hoc malum in hanc rempublicam invasit. Cic. Off. II. 21.
(Magistratus. Romani. Corruptio)

23.) Mitte leves spes et certamina divitiarum.
Hor. epist. I. 5.

24.) Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit. Juvenal. Satyr. 14.

25.) Inde fere scelerum causae; nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur saepius ullum
Humanae mentis vitium, quam saeva cupido
Immodici census. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quae reverentia legum,
Quis metus aut pudor est umquam properantis avari?
Juvenal. Satyr. 14.

26.) Nec Croesi fortuna umquam, nec persica regna
Sufficient animo, nec divitiae Narcissi,
Indulsit Caesar cui Claudius omnia. Juvenal. Satyr. 14.

27.) — — Stulto nihil est satis, omnia cum sint.
Lucil.

28.) Non propter vitam faciunt patrimonia quidam;
Sed vitio caeci, propter patrimonia vivunt.
Juvenal. Satyr. 12.

29) Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda, luxuries. Cic. de oratore. II. 40. (Luxuria)

30.) Propter hoc (aurum) cuniculos egit (sc. homo), et circa praedam lutulentam incertamque reptavit, oblitus dierum, oblitus naturae melioris, a qua se avertit. Senec. Quaest. natural. V. 15. (Metalla)

31.) Nulli mortuo terra tam gravis est, quam istis, supra quos avaritia urgens terrarum pondus injecit; quibus abstulit coelum; quos in imo, ubi illud malum virus latitat, infodit.

Senec. Quaest. natural. V. 15. (Metalla.)

32.) Nulla avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum. O quantum lacrimarum, o quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera partis est! Adjice quotidianas, quae pro modo habendi quemque discruciant. Senec. epist. 115.

33.) Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Hor. Satyr. I. 1.

34.) Millia frumenti tua triverit area centum;
Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus.
Hor. Satyr. I. 1.

35. — — — Dic quid referat intra
Naturae fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? Hor. Satyr. I. 1.

Avarus.

1.) An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes; — hoc juvat? — horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
Hor. Satyr. I. 1.

2.) Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Hor. Satyr. I. 1.

3.) Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis amorem?
Hor. Satyr. I. 1.

4.) Misserrimam necesse est, non tantum brevissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore, quod majore possideant; operose ad sequuntur, quae volunt, anxii tenent, quae adsequuti sunt.

Senec. brev. vitae. 17. (Bona. Vita.)

5.) — — — Hic, vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus. Hor. Satyr. I. 2.
6.) Semper avarus eget; certum voto pete finem.
Hor. epist. I. 2.
7.) Si fas est, omnes pariter pereatis avari.
Prop. III. 12.
8.) — — — Congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Hor. Satyr. I. 1.
9.) — — — — — Per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.
Hor. Satyr. I. 4.
10.) Possideat, quantum rapuit Nero; montibus aurum
Exaequet; nec amet quemquam, nec ametur ab ullo!
Juvenal. Satyr. 12.
11.) Sed quo divitias haec per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Juvenal. Satyr. 14.
12.) Sed qui sermones? quam foedae buccina famae?
Quid nocet haec? inquit: tunicam mihi malo lupinae,
Quam si me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Juvenal. Satyr. 14.
13.) Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharae, nec Musae deditus ulli;
Si scalpra et formas non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis: delirus et amens
Undique ducatur merito. Quid discerpat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Hor. Satyr. II. 3.
14.) Despice divitias, si vis animo esse beatus,
Quas qui suspiciunt, mendicant semper avari.
Cat. Dist. IV. 1. (Divitiae)
15.) Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Quondam lethargo grandi est oppressus; ut haeres
Jam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures

Ad numerandum. Hominem sic erigit. Addit et illud,
Ni tua custodis, avidus jam haec auferet haeres.
Opim. Mene vivo? Medic. ut vivas igitur, vigila; hoc age. Opim. Quid vis?
Medic. Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum; sume hoc ptisanarium oryzae,
Opim. Quanti emtae? Med. Parvo. Opim. Quanti ergo? Med. Octo assibus. Opim. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis, pereamne rapinis!

Hor. Satyr. II. 3. (Tenacitas)

16.) Ut in magna stultorum familia sunt alii lautiores (ut sibi videntur) servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii: pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. Et sumus, inquiunt, civitatis principes. Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius civitatis locum paene infimum obtinent. Cic. Parad. V. (Luxus)

Barbari.

Barbari quidam et immanes ferro decertare acerrime possunt; aegrotare viriliter non queunt. Graeci autem homines non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis, hostem adspicere non possunt; iidem morbos toleranter atque humane ferunt. At Cimbri et Celtiberi, in proeliis exsultant, lamentantur in morbo; nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur.

Cic. Tusc. Quaest. II. 27. (Graeci. Ratio)

Beatitudo.

1.) Socrates, cum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? »Haud scio,« inquit, »numquam enim cum eo collocutus sum.« »Ain' tu? »an tu aliter id scire non potes?« »Nullo modo.« »Tu »igitur ne de Persarum quidem rege magno potes di»cere, beatusne sit?« »An ego possum, quum ignorem,

»quam sit doctus, quam vir bonus?« »Quid? tu in eo »sitam vitam beatam putas?« Ita prorsus existimo, bo»nos, beatos; improbos, miseros.« »Miser ergo Arche»laus?« »Certe, si injustus.« Cic. Tusc. Quaest. V. 12. (Felicitas.).

2.) Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est, cum humanitate, et cum doctrina habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum (De Archimede sermo) malit, quam illum tyrannnum (De Dionysio)? si vitae modum actionemque quaerimus: alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiae; qui est unus suavissimus pastus animorum; alterius in caede et injuriis, cum et diurno et nocturno metu. Age, confer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram: quae regna, quas opes studiis eorum et delectationibus antepones? Etenim quae pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod quaeris, optimum. Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? ejus bono fruendum est igitur, si beati esse volumus; bonum autem mentis est virtus; ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Hinc omnia, quae pulchra, honesta, praeclara sunt, ut supra dixi (sed dicendum idem illud paulo uberius videtur), plena gaudiorum sunt. Ex perpetuis autem plenisque gaudiis cum perspicuum sit vitam beatam existere, sequitur, ut ea existat ex honestate. Cic. Tusc. Quaest. V. 23. (Felicitas. Mens. Virtus.)

3.) Profecto nihil est aliud bene, et beate vivere, nisi honeste, et recte vivere. Cic. Par. I.

Beatus.

1.) Nec vero ego M. Regulum, aerumnosum, nec infelicem, nec miserum, umquam putavi; non enim magnitudo animi ejus excruciabatur a Poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse: qui tot virtutum praesidio, tantoque comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit. Cic. Par. II. (Virtus.)

2.) Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia. Cic. Par. II.

3.) Cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam decoris oppresserit, omnemque mortis, dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis coierit cum suis, omnesque natura conjunctos, suos duxerit, cultumque deorum, et puram religionem susceperit, et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda, et rejicienda contraria: quae virtus ex providendo est appellata Prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? Cic Leg. I. 23 (Sapiens.)

4.) Clinia. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quae mihi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia oborta est.
Ter. Heaut. IV. 3. (Laetitia.)

5.) Chaerea. Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua. Ter. Eun. III. 5.

6.) Quicumque beatus esse constituit, unum esse bonum putet, quod honestum est. Sen. ep. 74. (Bonum. Honestum.)

7.) Beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus; honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant; qui nullum majus bonum eo, quod sibi ipse dare potest, noverit; cui vera veluptas erit voluptatum contemtio. Sen. vit. beat. IV. (Bonum.)

8.) Beatus est judicii rectus; beatus est praesentibus, qualiacumque sunt, contentus, amicusque rebus suis; beatus is, cui omnem habitum rerum suarum ratio commendat. Sen. vit. beat. VI. (Felicitas. Ratio.)

9.) Potest beatus dici, qui nec cupit, nec timet, beneficio rationis. Sen. vit. beat. V.

10.) Mihi crede; is beatior est, cui fortuna supervacua est, quam is, cui parata est.
Sen. lib. ad Polyb. c. 28. (Fortuna.)

11.) Quis divitiorem quemquam putet, quam eum, cui nihil desit, quod quidem natura desideret? aut potentiorem, quam illum, qui omnia, quae expetat, consequatur? aut beatiorem, quam qui sit omni perturbatione animi liberatus? aut firmiore fortuna, quam qui

ea possideat, quae secum, ut ajunt, vel e naufragio possit efferre. Cic, republ. I. 17.

(Sapiens. Tranquillitas.)

12.) Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque leto flagitium timet:
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire. Hor. Od. IV. 9.

13.) Hoc nos doce, beatum non esse eum, quem vulgus adpellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum et excelsum, et mirabilia calcantem; qui neminem videt, cum quo se commutatum velit; qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est; qui natura magistra utitur, ad illus leges componitur, sic vivit, quomodo illa praescripsit, cui bona sua nulla vis excutit; qui mala in bonum vertit, certus judicii, inconcussus, intrepidus; quem aliqua vis movet, nulla perturbat; quem fortuna, cum in eum, quod habuit, telum nocentissimum vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat.

Sen. ep. 45.

Bella.

— — — Tot bella per orbem,
Tam multae scelerum facies; non ullus aratro
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.

Virg. Georg. L. I. v. 505.

Bella civilia.

— — — En, quo discordia civis
Produxit miseros! Virg. Eclog. I. v. 72.

Bellum.

1.) Miseri, quid quaeritis? mortem, quae ubique superest? Petet illa vos et ex lectulo; sed ubique innocentes petat. Occupabit vos in vestra domo; sed occupet, nullum malum molientes.

Senec. quaest. natur. V. 18. (Pericula.)

2.) Hoc vero quid aliud quis dixerit, quam insaniam, circumferre pericula et ruere in ignotos, iratum sine injuria, occurentia devastantem ac ferarum more occidere, quem non oderis? Illis tamen in ultionem, aut ex fame morsus est: nos, sine ulla parsimonia nostri alienique sanguinis, movemus maria, et navigia deducimus, salutem committimus fluctibus, secundos optamus ventos, quorum felicitas est ad bella perferri.
Senec. Quaest. natur. V. 18. (Pericula.)

3.) Multos castra juvant, et lituo tubae
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Hor. I. 1.

4.) Expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo; sed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione faciamus.
Cic. off. I. 23. (Pax.)

5.) Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax, quaesita videatur. Cic. off. I. 23. (Pax.)

6.) Temere autem in acie versari et manu cum hoste confligere, immane quiddam, et belluarum simile est. Cic. off. I. 23.

7.) Cum tempus, necessitasque postulat, decertandum manu est, et mors servituti turpitudinique anteponenda. Cic. off. I. 23.

8.) Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Umquam, nisi in dispar feris. Hor. Epod. VII.

9.) Furorne caecus, an rapit vis acrior,
An culpa? responsum date. Hor. Epod. VII.

10.) Tantum operis belli sustulit una dies.
Prop. III. 11.

11.) Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et ~~stuxit~~ traxit. querulas rauca per ossa tubas.
Prop. IV. 3.

12.) — — — — — — — Discordia tetra
Belli ferratos postes, portasque refregit.
Horat. sat. I. 4.

13.) Frangit et attollit vires in milite causa;
Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.
Propert. IV. 6. (Fortitudo.)

14.) Thraso. Omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet.
Ter. Eun. IV. 7. (Pax.)

15.) Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere; cum inter se etiam mutis ac feris pax sit.
Sen. ep. 95.

16.) Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tibull. I. 10.

17.) Divitis hoc vitium est, auri; nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes:
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus saturas dux gregis inter oves. Tib. I. 10.

18.) Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet, et tacito clam venit illa pede. Tib. I. 10.

19.) Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de republica, disputari — nullum bellum suscipi a civitate optima, nisi aut pro fide aut pro salute.
Cic. rep. III. 23. Lactant. instit. VI. 8.

20.) Homicidia compescimus, et singulas caedes: quid bella et occisarum gentium gloriosum scelus?
Senec. epist. 95.

21.) Quae clam commissa capite luerent, eadem, quia paludati fecere, laudamus. Sen. ep. 95.

22.) In re publica maxime conservanda sunt jura belli. Nam cum sint duo genera decertandi: unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.
Cic. off. I. 11.

23.) Illa injusta bella sunt, quae sunt sine causa sucepta. — Nullum bellum justum habetur, nisi denunciatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus.
Cic. rep. III. 23.

24.) Pendebat adhuc belli fortuna, diuque
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.
Ov. Met. VIII. 12,

25.) Numquam imperator ita paci credit, ut non se praeparet bello; quod, etiam si non geritur, indictum est. Sen. vit. beat. 26. (Imperator.)

26.) Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine injuria in pace vivatur. Parta autem victoria conservandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut majores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam

acceperunt; at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt: nollem Corinthum; sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.

Cic. off. I. 11. (Romani.)

27.) Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est; tum ii, qui armis positis, ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt. In quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent, more majorum. Ac belli quidem aequitas sanctissime feciali populi Romani jure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus pepetitis geratur, aut denunciatum ante sit, et indictum. Cic. off. I. 11. (Romani.)

28.) Hic matres, miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora maerentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum. — — — —
Virg. Aeneid. L. XI. v. 215.

29.) — — — Quae vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Virg. Aen. L. XI. v. 253.

30.) Ilicet infandum cuncti contra omnia bellum,
Contra fata Deum, perverso numine poscunt.
Virg. Aen. L. VII. v. 583.

31.) Adspice, qui coëant populi, quae moenia clausis
Ferrum acuant portis in me, excidiumque meorum.
Virg. Aen. L. VIII. v. 386.

32.) Nulla salus bello. — — —
Virg. Aen. L. XI. v. 399.

33.) Pallida Tisiphone media inter millia saevit.
Virg. Aen. L. X. v. 761.

34.) Cara tibi, Divum effigies et templa tueri:
Bella viri pacemque gerent, quis bella gerenda.
Virg. Aen. L. VII. v. 440. (Sacerdos.)

35.) Saevit amor ferri, et scelerata insania belli.
Virg. Aen. L. VII. 461.

36.) Sunt geminae belli portae (sic nomine dicunt),
Relligione sacrae et saevi formidine Martis:
Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Janus.
Virg. Aen. VII. 608.

37.) Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et major Martis jam apparet imago.
Virg. Aen. L. VIII. v. 556.

38.) Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars laevis clipeos et spicula lucida tergunt
Arvina pingui, subiguntque in cote securis;
Signa ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Virg. Aen. L. VII. v. 624.

Bellum navale.

1.) »Nimirum in hoc providentia ac dispositor il»le mundi, Deus, aëra ventis exercendum dedit, et il»los ab omni parte effudit, ne quid esset situ squali»dum; non, ut nos classes, partem freti occupaturas, »compleremus milite armato, et hostem in mari aut post »mare inquireremus. Sen. Quaest. nat. V. 18. (Venti.)

2.) Quae nos dementia exagitat et in mutuum compellit exitium? Vela ventis damus, bellum paraturi, et periclitamur periculi causa. Incertam fortunam experimur: vim tempestatum, nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturae.
Sen. Quaest. nat. V. 18.

3.) Quid in arma cogimus populos? quid exercitus scribimus, directuros aciem in mediis fluctibus? quid maria inquietamus? Parum videlicet ad mortes nostras terra late patet. Nimis delicate fortuna nos tractat; nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem. Non depopulatur nos casus incurrens. Emetiri cuique annos suos ex commodo licet, et ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, et vocemus in nos fata cessantia! Sen. Quaest. natur. V. 18.

Benefactor.

1.) Ctesipho. Abs quivis homine, cum est opus,
beneficium accipere gaudeas.
Verum enim vero id demum juvat, si, quem
aequum est facere, is benefacit.
Ter. Ad. II. 3.

2.) Quare, qui tibi dignus visus est, a quo acciperes, indignus videatur, cui debeas? Sen. benef. VI. 42.

3.) Qui dat beneficia, deos imitatur.
Sen. benef. III. 15.

4.) Grati simus adversus Deos; grati adversus homines; grati adversus eos, qui nobis aliquid praestiterunt; grati etiam adversus eos, qui nostris praestiterunt. Sen. benef. V. 17.

5.) Hoc saepe te conquerentem audio, quod quaedam, quae homines sibi praestant, aliis imputant. Multum enim interest, utrum aliquis beneficium nobis det sua causa, an nostra; an sua et nostra. Ille, qui totus ad se spectat, et nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo loco mihi est, quo, qui pecori suo hibernum et aestivum pabulum prospicit; eo loco, quo, qui captivos suos, ut commodius veneant, pascit, et opimos boves saginat, ac defricat; quo lanista, qui familiam suam summa cura exercet atque ornat. Multum, ut Cleanthes ait, a beneficio distat negotiatio.

Sen. benef. VI. 12. (Ingratus.)

Beneficentia.

1.) De beneficentia ac liberalitate dicendum est. Cujus est ratio duplex; nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia; facilior est haec posterior, locupleti praesertim: sed illa lautior, ac splendidior, et viro forti, claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur: largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. At qui opera, id est, virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiae paratiores erunt, et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Praeclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. Quae te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses. An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? Bene ministrum, et praebitorem; quia sordidum regi: melius etiam, quod largitionem corruptelam esse dixit. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem semper ex-

spectandum paratior. Hoc ille filio: sed praeceptum putemus omnibus. Cic. off. II. 15. (Corruptio.)

2.) Quod si permittis nobis suadere, quid optes:
Ut des, quam capias, plura precare deos.
Ov. ex Pont. I. 7.

3.) Nec, quae de parva Dis pauper libat acerra,
Thura minus, grandi quam data lance valent.
Ovid. ex Ponto IV. 8.

4.) Beneficentia quidem ac liberalitate nihil est naturae hominis adcommodatius. Cic. off. I. 14.

5.) Videndum est enim primum, ne obsit benignitas, et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et caeteris; deinde ne major benignitas sit, quam facultates; tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Cic. off. I. 14.

6.) Qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt.
Cic. off. I. 14.

7.) Errat, si quis existimat, facilem rem esse donare. Plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur.
Sen. Vit. beat. 24.

8.) Consule rebus tuis, et certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para: honestiores illas non solum, sed tutiores facturus. Illud, quod suspicis, quo te divitem ac potentem putas, quamdiu possides, sub nomine sordido jacet. Domus est, servus est, nummi sunt; cum donasti, beneficium est.
Sen. benef. VI. 3. (Liberalitas.)

9.) Donabit (scilicet sapiens) cum summo consilio, dignissimos eligens; ut qui meminerit, tam expensorum, quam acceptorum rationem esse reddendam. Donabit ex recta et probabili causa; nam inter turpes jacturas malum munus est. Habebit sinum facilem, non perforatum; ex quo multa exeant, nihil excidat.
Sen. Vit. beat. 23.

Beneficia.

1.) — — — Distat, sumasne pudenter,
An rapias. Hor. epist. L. I. 17.

2.) Quae autem opera, non largitione beneficia dantur, haec tum in universam rempublicam, tum in singulos cives conferuntur; nam in jure cavere, con-

silio juvare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet, et ad gratiam. Cic. off. II. 19.

3.) Nemo habet tam certam manum in beneficiis, ut non saepe fallatur. Sen. epist. 81.

4.) Nemo non cum alteri prodest, sibi profuit. Sen. epist. 81.

Beneficium.

1.) Ne cessaveris: opus tuum perage, et partes boni viri exsequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium praeceptis salubribus adjuva. Sen. benefic. I. 2.

2.) Lacerat animum et premit frequens meritorum commemoratio. Sen. benef. II. 10.

3.) Qui dedit beneficium, taceat; narret, qui accepit. Sen. ben. II. 11.

4.) Multo gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur. Sen. benef. I. 7.

5.) Exiguum est, quod in me contulit, sed amplius non potuit. At, hic quod dedit, magnum est; sed dubitavit, sed distulit, sed cum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit, et placere non ei, cui praestabat, voluit; ambitioni dedit, non mihi. Sen. ben. I. 7.

6.) Non quanti quaeque sint, sed a quali dentur, perspiciendum. Sen. benef. I. 9.

7.) Omnis benignitas properat; et proprium est libenter facientis, cito facere. Sen. benef. II. 5.

8.) Tarde velle, nolentis est. Sen. benef. II. 5.

9.) Beneficium non est, cujus sine rubore meminisse non possum. Sen. benef. II. 8.

10.) Haec beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam. Sen. benef. II. 10.

11.) Quam dulce, quam pretiosum est, si gratias sibi agi non est passus, qui dedit; si dedisse, dum dat, oblitus est! Sen. benef. II. 6.

12.) Fabius verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum »Panem lapidosum« vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Sen. benef. II. 7.

13.) Dedit mihi hic beneficium; sed non libenter, sed dedisse se questus est, sed superbius me, quam solebat, adspexit; sed tam tarde dedit, ut plus praestiturus fuerit, si cito negasset. Sen. benef. III. 8.

14.) Etiam atque etiam, cui des, considera.
Sen. benef. III. 14.

15.) Tempore quaedam magna fiunt, non summa. Beneficium est donata possessio, cujus fertilitas laxare possit annonam; beneficium est unus in fame panis. Beneficium est donare regiones, per quas multa flumina et navigabilia decurrant, beneficium est, arentibus siti, et vi spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem. Quis inter se ista comparabit? quis expendet? difficilis est sententia, quae non rem, sed vim rei quaerit.
Sen. benef. III. 8.

16.) Sed in collocando beneficio et in referenda gratia, si caetera paria sint; hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari; quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen ei potissimum inserviunt. Cic. off. I. 15. (Egoismus.)

17.) Quam saepe hominum, donationem suam inconsultam objurgantium, hanc audimus vocem: Mallem, perdidisse, quam illi dedisse! turpissimum genus damni est, inconsulta donatio. Sen benef. IV. 10.

18.) Beneficium dare virtutis est; et turpissimum id causa ullius alterius rei dare, quam ut datum sit.
Sen. benef. IV. 3.

19.) Omnes sua extollunt; omnes, etiam minima, quae in alios contulere, dilatant. Sen. benef. III. 7.

20.) In infinitum, inquis, me obligas, cum dicis, gratos nos esse oportere adversus eos etiam, qui nostris quidpiam praestiterint; itaque pone aliquem finem. Qui filio beneficium dat, ut dicis, et patri ejus dat. Primum, unde? quo? quaero. Deinde illud utique mihi determinari volo, si et patri beneficium datur, num quid et fratri? num quid et patruo? num quid avo? num quid uxori et socero? Dic mihi, ubi debeam desinere; quousque personarum seriem sequar? — Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dedero; si domum tuam ardentem restinxero, aut, ne cadat, excepero, tibi beneficium non dabo? si servum tuum ser-

varero, tibi imputabo: si filium tuum servavero, non habebis beneficium meum? Sen. benef. V. 18.

21.) Illud beneficinm jucundum victurumque in animo scias, quod obviam venit. Sen. benef. II. 2.

22.) Quemadmodum in aegris opportunitas cibi salutaris est, et aqua tempestive data remedii locum obtinuit: ita quamvis leve et vulgare beneficium sit, si praesto fuerit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adjicit, gratiamque pretiosi, sed lenti et diu cogitati muneris vincit. Sen. benef. II. 2.

23.) Ingentia quorumdam beneficia, silentium aut loquendi tarditas, imitata gravitatem et tristitiam, corrupit, cum promitterent vultu negantium. Quanto melius adjicere bona verba rebus bonis, et praedicatione humana benignaque commendare, quae praestes!
Sen. benef. II. 3.

24.) Aliquando daturum me etiam indignis quaedam non negaverim, in honorem aliorum; sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed novis praetulit. Sen. benef. IV. 30.

25.) Telum quo missum sit, non, quo pervenerit, quaeritur; et beneficium ab injuria distinguit, non eventus, sed animus. Sen. benef. VI. 8. (Consilium.)

26.) Beneficium nullum est, nisi quod ad nos, primum aliqua cogitatio defert, dein amica et benigna.
Sen. benef. VI. 7.

27.) Qui beneficium mihi daturus est, debet non tantum prodesse, sed velle. Sen. benef. VI. 7.

28.) Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cum fortunam suam transeuntem alio videbat, et sibi nihil relictum, praeter jus mortis, id quoque, si cito occupaverit, exclamare: »Hoc habeo, quodcumque dedi.« O quantum habere potuit, si voluisset! Hae sunt divitiae certae, in quacumque sortis humanae levitate, imo loco permansurae; quae quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam.
Sen. benef. VI. 3.

29.) Sic demus, quomodo vellemus accipere; ante omnia libenter, cito, sine ulla dubitatione.
Sen. benef. II. 1.

30.) Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis haesit, quod aegre demittere visus est, et sic, tamquam sibi praeriperet. Sen. benef. II. 1.

31.) Gratissima sunt beneficia, parata, facile occurentia; ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Sen. benef. II. 1.

32.) Nihil aeque in beneficio dando vitandum est, quam superbia. Quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. Detrahenda est inanis jactatio: res loquentur, nobis tacentibus.
Sen. benef. II. 11.

33.) Non tantum ingratum, sed invisum est beneficium, superbe datum. Sen. benef. II. 11.

34.) Sunt quaedam nocitura impetrantibus, quae non dare, sed negare, beneficium est.
Sen. benef. II. 14.

35.) Beneficium etiam amisso eo, quod datum est, durat. Est enim recte factum, quod irritum nulla vis efficit. Sen. benef. I. 5.

36.) Quid est ergo beneficium? Benevola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona et sponte sua parata. Sen. benef. I. 6.

37.) Non, quid fiat, aut quid detur, refert; sed qua mente: quia beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo.
Sen. benef. I. 6.

38.) Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratum;
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
Hor. epist. L. I. 7.

39.) Eodem animo beneficium debetur, quo datur; et ideo non est negligenter dandum.
Sen. benef. I. 1.

40.) Hos (sc. deos) sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non foeneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret. Sen. benef. I. 1.

41.) Inter multos ac varios errores temere viventium inconsulteque nihil propemodum dixerim nocentius, quam quod beneficia nec dare scimus nec accipere.
Sen. benef. I. 1.

42.) Inter consecrata beneficium est; etiam, si male respondit, bene collocatum. Sen. benef. VII. 29.

43.) Voluntas est, quae apud nos ponit officium; cujus vide, quae conditio sit, ut me debito obstringat.
Sen. benef. VI. 11.

44.) Non est beneficium, nisi quod a bona voluntate proficiscitur, nisi illud agnoscit, qui dedit.
Sen. benef. VI. 9.

45.) Beneficium commune vinculum est, et inter se duos alligat. Sen. benef. VI. 41.

46.) Ingratus est adversus unum beneficium? adversus alterum non erit. Duorum oblitus est? tertium etiam eorum, quae exciderunt, memoriam reducet.
Senec. benef. I. 3.

47.) Non potest beneficium manu tangi; animo cernitur. Multum interest inter materiam beneficii et beneficium. Senec. benefic. I. 5.

Beneficus.

Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro;
Sed te, cum donas, ista juvare solent.
Ovid. ex Ponto. III. 8. (Dives.)

Benevolentia.

1.) Quae quidem (sc. benevolentia) beneficiis capitur maxime: secundo autem loco beneficia voluntate benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit, vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, justitiae, fidei, omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem.
Cic. off. II. 9. (Favor.)

2.) Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiae vinctionem, nec domus ulla, nec urbs stare poterit: nec agri quidem cultus permanebit. Cic. Amic. 7.

3.) Benevolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia judicemus. Cic. off. I. 15. (Favor.)

Benignitas.

1.) Satis superque me benignitas tua
Ditavit. — — — Hor. Epod. 1.

2.) Vincit malos pertinax bonitas, nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda animi est, ut etiam vi tractus bonos non amet. Sen. benef. VII. 31.

3.) Id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quae constat ex opera, et industria, et hone-

stior sit, et latius pateat, et possit prodesse pluribus. Nonnumquam tamen est largiendum; sed deligenter atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. Cic. off. II. 15.

4.) Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. Debemus in deligendis idoneis judicium, et diligentiam adhibere; nam praeclare Ennius:

»Benefacta male locata, malefacta arbitror.«

Cic. off. II. 18.

Blanditiae.

1.) Noli homines blando nimium sermone probare:
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Cat. Dist. I. 27.

2.) O nullis tutum credere blanditiis! Prop. I. 15.

3.) Habent hoc in se naturale blanditiae: etiam cum rejiciuntur, placent; saepe exclusae, novissime recipiuntur. Sen. quaest. natural. IV. praef.

4.) Ergo ne dubita blandas adhibere querelas;
Vincuntur molli pectora dura prece.

Tibull. III. 4. (Preces.)

5.) Sermones blandos blaesosque cavere memento.
Simplicitas veri fama est: fraus ficta loquendi.

Cat. Dist. III. 5. (Veritas.)

6.) Secerni autem blandus amicus a vero, et internosci, tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata, et simulata a sinceris, atque veris.

Cic. Amic. 25. (Amicus.)

Bona.

1.) Numquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi: quippe cum viderem, rebus his circumfluentibus ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent.

Cic. Parad. I.

2.) Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant, et obsint probis.

Cic. Páradox. I.

3.) Quam est hic fortunatus putandus, cui soli vere liceat omnia, non Quiritium, sed sapientium jure pro suis vindicare! nec civili nexo, sed communi lege naturae, quae vetat ullam rem esse cujusquam, nisi ejus, qui tractare et uti sciat: qui imperia consulatusque nostros in necessariis, non in expetendis rebus muneris fungendi gratia subeundos, non praemiorum aut gloriae causa adpetendos putet.

Cic. rep. I. 17. (Honores. Sapiens.)

4.) Neque ego umquam bona perdidisse dicam, si quis pecus, aut supellectilem amiserit: neque non saepe laudabo sapientem illum, Biantem, ut opinor, qui numeratur in septem: cujus cum patriam Prienem cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent: cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: Ego vero, inquit, facio; nam omnia mea porto mecum. Ille haec ludibria fortunae, ne sua quidem putavit, quae nos appellamus etiam bona. Cic. Parad. I.

5.) Regna, imperia, nobilitates, honores, divitiae, opes, eaque, quae sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur. Cic. off. I. 32.

6.) Quid vici prosunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, si metit orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis?

Hor. ep. II. 2.

7.) Omnia ista, in quae dominium casus exercet, servilia sunt, pecunia et corpus et honores; imbecilla, fluida, mortalia, possessionis incertae. Sen. ep. 66.

8.) Quid porro aut praeclarum putet in rebus humanis, qui haec Deorum regna perspexerit? aut diuturnum, qui cognoverit, quid sit aeternum? aut gloriosum, qui viderit, quam parva sit terra, primum universa, deinde ea pars ejus, quam homines incolant; quamque nos in exigua ejus parte adfixi, plurimis ignotissimi gentibus, speremus tamen nostrum nomen volitare et vagari latissime? agros vero et aedificia et pecudes et immensum argenti pondus atque auri, qui bona nec putare nec adpellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus, saepe etiam teterrimorum hominum immensa possessio. Cic. rep. I. 17.

(Caelestia. Homo. Sapiens. Scrutatio.)

9.) Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore; frustra.
Cui mustella procul: Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
Hor. epist. I. 7. (Contentus animus. Paupertas.)

10.) Inter suspecta male vivitur. Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis et inexpectabilem fecit: una hac via est ad tuta vadenti, et externa dispicere, et honesto contentum esse. Sen. ep. 74. (Suspicio. Virtus.)

11.) Maxima quaeque bona sollicita sunt, nec ulli fortunae minus bene, quam optimae creditur. Alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est, et pro ipsis, quae successerunt, votis vota facienda sunt. Omne enim, quod fortuito evenit, instabile est; quo altius surrexit, vergit pronius in occasum; neminem porro casura delectant. Sen. brev. vit. 17.
(Fortuna. Fragilitas.)

12.) Omnia, quae fortunam intuentur, ita fructifera ac jucunda fiunt, si quis habens illa, se quoque habet, nec in rerum suarum potestate est.
Sen. epist. 98.

13.) Sint sane ista bona, quae putantur: honores, divitiae, voluptates, caetera; tamen in eis ipsis potiundis exsultans gestiensque laetitia turpis est; ut, si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio.
Cic. Tusc. Q. IV. 31. (Divitiae. Opes.)

14.) Omnia ista bona, quae nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant: pecunia, dignitas, potentia aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur; eosque ipsos, quos exornant, et premunt; plus minantur, quam prosunt. Lubrica et incerta sunt; numquam bene tenentur. Nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnae felicitatis tutela sollicita est. Sen. lib. Polyb. c. 28. (Opes.)

15.) Genus, forma, vires, opes, divitiae, ceteraque, quae fortuna dat, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur; sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus haec sunt naturae et fortunae

bona; in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae: ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et moteriam dedisse.

Cic. orat. II. 84. (Laudatio. Orator.)

Bonitas.

1.) Nullam ex omnibus virtutibus magis homini convenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est, non solum inter nos, qui hominem sociale animal communi bono genitum videri volumus, sed etiam inter illos, qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad utilitatem suam spectant.

Sen. clem. I. 3. (Clementia.)

2.) Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere.

Cic. amic. 22.

Bonum.

1.) Illo summum bonum adscendit, unde nulla vi detrahitur; quo neque dolori, neque spei neque timori sit aditus, nec ulli rei, quae deterius summi boni jus faciat. Adscendere autem illo sola virtus potest; illius gradu clivus iste frangendus est; illa fortiter stabit, et, quidquid evenerit, feret, non patiens tantum, sed etiam volens, omnemque temporum diffucultatem sciet legem esse naturae.

Sen. vit. beat. XV. (Virtus.)

2.) Clamat Zeno et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud, quam honestatem; ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, et quasi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem et hominem et sapientem trudere nefas esse. Contra ille convocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quaerentium tantum, quem incomtis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, voluptatis nomen, suavitatem, quietem, teste populo, exaggerans, instat acriter, ut sine ea beatus nemo esse posse videatur. Cic. Academ. Quaest. IV. fragment.

(Destinatio. Epicurus. Zeno.)

3.) Omne bonum laetabile est; quod autem laetabile, id praedicandum et prae se ferendum; quod tale autem, id etiam gloriosum; si vero gloriosum, certe laudabile, profecto etiam honestum; quod bonum igitur, id honestum. Cic. Tuscul. Quaest. V. 15.
(Honestum.)

4.) Non sunt igitur ea bona dicenda, nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum.
Cic. Tusc. Q. V. 15.

5.) Omnis ratio vitae definitione summi boni continetur; de qua qui dissident, de omni ratione vitae dissident. Cic. Acad. Quaest. II. 43. (Vita.)

6.) Video quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur; labor eo, ut assentiar Epicuro, aut Aristippo: revocat virtus, vel potius reprehendit manu: pecudum illos motus esse dicit; hominem jungi Deo.
Cic. Acad. Quaest. II. 45. (Virtus. Voluptas.)

7.) Summum bonum est invicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa, et conversantium cura. Sen. vit. beat. IV.

8.) Ista, quae spectantur, ad quae consistitur, quae alter alteri stupens monstrat, foris nitent; introrsus misera sunt. Quaeramus aliquid, non in speciem bonum, sed solidum et aequabile, et a secretiore parte formosius. Hoc eruamus; nec longe positum est, invenietur; scire tantum opus est, quo manum porrigas.
Sen. vit. beat. III. (Destinatio.)

9.) Magnum est efficere, ut quis intelligat, quid sit illud verum et simplex bonum, quod non possit ab honestate sejungi. Cic. Acad. Quaest. I. 2.
(Philosophia.)

10.) Summum bonum est animus fortuita despiciens, virtute laetus. Sen. vita beat. IV.

11.) Quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est; quod autem expetendum, id certe approbandum; quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda est; quod si ita est, laudabile sit, necesse est; bonum igitur omne laudabile: ex quc efficitur, ut, quod sit honestum, id sit solum bonum. Cic. Tusc. Quaest. V. 15.
(Honestum.)

12.) Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.
Senec. epistot. 8.

13.) Verum bonum non moritur; certum est sempiternumque sapientia et virtus; hoc unum contingit immortale mortalibus. Sen. epist. 98.

14.) Quidquid est, cui dominus inscriberis, apud te est; tuum non est; nihil firmum infirmo, nihil fragili aeternum et invictum est. Tam necesse est perire, quam perdere; et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est, aequo animo perdere, quod periturum est.

Sen. ep. 98.

15.) Huc tendant cogitationes tuae, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temet ipso et ex te nascentibus bonis.

Sen. ep. 20. (Contentus animus.)

16.) Quidquid optimum homini est, id extra humanam potentiam jacet: nec eripi potest.

Sen. ad Helv. matr. de cons. cap. 8.

17.) Diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe sit.

Cic. rep. III. 26. (Malum.)

18.) Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? ut enim quisque est maxime boni particeps, ita et laudabilis maxime; neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando sese, et praedicatione effert?

Cic. Parad. I. (Voluptas.)

19.) Haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent; illud tamen arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum.

Cic. Parad. I. (Voluptas.)

20.) Quid est igitur, quaeret aliquis, bonum? si quid recte fit et honeste, et cum virtute, id bene fieri, vere dicitur; et, quod rectum, et honestum, et cum virtute est, id solum opinor Bonum. Cic. Parad. I.

21.) Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque
Auroram et Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula.

Juvenal. Satyr. 10.

22.) Praesentia bona nondum tota in solido sunt; potest illa casus aliquis incidere; futura pendent et incerta sunt; quod praeteriit, inter tuta sepositum est. Sen. benef. III. 4.

23.) Megaram Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpon philosophus interrogatus, num quid perdidisset: Nihil, inquit; omnia namque mea mecum sunt. Atqui et patrimonium ejus in praedam cesserat, et filias rapuerat hostis, et patria in alienam ditionem venerat. Ille victoriam regi excussit, et se, urbe capta, non invictum tantum, sed indemnem esse testatus est. Sen. const. Sapien. 5.

24.) Veri boni aviditas tuta est. Quid sit istud interrogas, aut unde subeat? Dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemtu fortuitorum, ex placido vitae et continuo tenore unam prementis viam. Sen. epist. 23.

25.) Summum bonum immortale est; nescit exire; nec satietatem habet, nec poenitentiam. Numquam enim recta mens vertitur, nec sibi odio est, nec quidquam mutavit, optima: at voluptas tunc, cum maxime delectat, exstinguitur. Nec multum loci habet; itaque cito implet, et taedio est, et post primum impetum marcet. Nec id umquam certum est, cujus in motu natura est; ita ne potest quidem ulla ejus esse substantia, quod venit transitque celerrime, in ipso usu sui periturum. Eo enim pervenit, ubi desinat, et dum incipit, spectat ad finem. Sen. vit. beat. VII.

(Sapientia. Virtus. Voluptas).

Brevitas.

Nihil est in historia pura et illustri brevitate dulcius. Ciceronis Brutus 75. (Historia.)

Caecitas.

1.) Appium quidem veterem illum, qui caecus annos multos fuit, et ex magistratibus, et ex rebus gestis intelligimus, in illo suo casu nec privato nec publico muneri defuisse. etc. Vide insuper complura exempla caecitatis. Cic. Tusc. Quaest. V. 38 et 39.

2.) Si nox non adimit vitam beatam, cur dies, nocti similis, adimat? Cic. Tusc. Quaest. V. 38.

Caesar.

1.) Nascetur pulchra Trojanus origine Caesar,
Imperium oceano, famam qui terminet astris;
Julius, a magno demissum nomen Jülo.
Virg. Aen. I. 286.

2.) Omnibus nunc civibus tuis et haec confessio exprimitur, esse felices, et illa, nihil jam his accedere bonis posse, nisi ut perpetua sint. Multa illos cogunt ad hanc confessionem, qua nulla in homine tardior est: securitas alta, adfluens; jus supra omnem injuriam positum. Sen. Clement. L. I. c. 1. (Princeps. Rex.)

3.) Quamvis recte factorum verus fructus sit fecisse, nec ullum virtutum pretium, dignum illis, extra ipsas sit: juvat tamen inspicere et circuire bonam conscientiam, et ita loqui secum: Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer; ego vitae necisque gentibus arbiter, qualem quisque sortem, statumque habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat; ex nostro responso laetitiae causas populi urbesque concipiunt. Nulla pars usquam, nisi volente propitioque me, floret. Haec tot millia gladiorum, quae pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur; quas nationes funditus exscindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi; quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat; quae ruant urbes, quae oriantur, mea jurisdictio est. In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum et contumacia, quae saepe tranquillissimis pectoribus quoque patientiam extorsit; non ipsa ostentandae per terrores potentiae dira, sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, imo constrictum apud me ferrum est; summa parsimonia, etiam vilissimi sanguinis; nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est. Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo; sic me custodio, tamquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim. Alterius aetate prima motus sum; alterius ultima; alium dignitati donavi, alium humilitati; quoties nullam inveneram misericordiae causam, mihi peperci. Hodie diis

immortalibus, si a me rationem repetant, adnumerare genus humanum paratus sum. Sen. Clem. I. 1.

(Princeps. Rex.)

4.) Rarissimam laudem et nulli adhuc principum concessam concupisti, innocentiam. Sen. Cl. I. 1.

(Princeps. Rex.)

5.) Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis, et vota non sub custode nuncupantibus? Si paullum valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute praesidis sui commutatum velit? omne, quod illi contingit, sibi quoque evenire deputet? In hoc adsiduis bonitatis argumentis probavit, non rempublicam suam esse, sed se reipublicae. Quis huic audeat struere aliquod periculum? quis ab hoc non, si possit, fortunam quoque avertere velit, sub quo justitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent? Sub quo opulenta civitas, copia bonorum omnium abundat? Nec alio animo rectorem suum intuetur, quam si Dii immortales potestatem visendi sui faciant, intueremur venerantes colentesque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit, beneficus ac largus, et in melius potens? Haec adfectare, haec imitari decet; maximum ita haberi, ut optimus simul habeatur.

Sen. Clement. I. 19. (Princeps. Rex)

6.) Quidquid ejusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum fit, sanctam servare societatem. Declaravit id modo temeritas. C. Caesaris, qui omnia jura divina atque humana pervertit, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum.

Cic. off. I. 8. (Principatus. Ambitio.)

7.) Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt; cujus curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur; quo procedente, non tamquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt, sed tamquam ad clarum ac beneficum sidus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, et substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Sen. cl. I. 3. (Potestas. Rex.)

8.) Caesaris haec virtus, et Gloria Caesaris haec est:
Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Prop. II. 16.

9.) Non hic est sine ratione populis urbibusque consensus, sic protegendi amandique reges, et se suaque jactandi, quocumque desideraverit imperantis salus. Nec heec vilitas sui est aut dementia, pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam animam redimere, nonnumquam senis et invalidi. Quemadmodum totum corpus animo deservit, et cum hoc tanto majus tantoque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis, et in qua sede latitet, incertus: tamen manus, pedes, oculi, negotium illi gerunt; illum haec cutis munit, illius jussu jacemus aut inquieti discurrimus; cum ille imperavit, sive avarus dominus est, mare lucri causa scrutamur, sive ambitiosus, jam dudum dextram flammis objecimus, aut voluntarie subsiluimus; sic haec immensa multitudo unius animae circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur. Sen. cl. I. 3.

(Princeps. Rex. Monarchia).

10.) Non decet regem saeva et inexorabilis ira; non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exaequat; at si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus et meritis amittere, facit, quod nulli, nisi rerum potenti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, numquam, nisi inferiori datur. Sen. clem. I. 5.

(Princeps. Rex).

11.) Servare proprium est excellentis fortunae, quae numquam magis suspici debet, quam cum illi contingit, idem posse, quod diis, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali. Deorum itaque sibi animum asserens princeps alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat; quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur. Sen. cl. I. 5. (Princeps. Rex).

12.) Ille (rex) est vinculum, per quod respublica cohaeret; ille spiritus vitalis, quem haec tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur.

— — Rege incolumi mens omnibus una;
Amisso rupere fidem.

Sen. cl. I. 4. (Princeps. Rex).

13.) Principes regesque et quocumque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se respublica convertit.

Sen. clem. I. 4. (Princeps. Rex).

14.) Is cui curae sunt universa, quamquam alia magis, alia minus tuetur, nullam non reipublicae partem, tamquam sui nutrit; inclinatus ad mitiora, etiam si ex usu est animadvertere, ostondens, quam invitus aspero remedio manus admoveat; in cujus animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placide ac salutariter exercet, adprobare imperia sua civibus cupiens; felix abunde sibi visus, si fortunam suam publicaverit; sermone adfabilis accessuque facilis; vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis; aequis desideriis propensus et iniquis acerbus, e tota civitate amatur, defenditur, colitur. Eadem de illo homines secreto loquuntur, quae palam. Tollere filios cupiunt, et publicis malis sterilitas indicta recluditur; bene se meriturum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale saeculum ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus, nihil praesidiis eget; arma ornamenti causa habet. Sen. clem. I. 13. (Princeps. Rex).

15.) Omnium domos illius (de principe et regnatore somno) vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vocationem illius occupatio. Sen. lib. ad Polyb. c. 26.

(Princeps. Rex).

16.) Ex quo se Caesar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, et siderum modo, quae irrequieta semper cursus suos explicant, numquam subsistere debet, nec quidquam suum faeere. Sen. lib. ad Polyb. c. 26.

(Princeps. Rex).

17.) Dii illum Deaeque omnes terris diu commodent; ac, quamdiu mortalis erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat. Sera, et nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum gens sua coelo adserat.

Sen. Polyb. 31. (Princeps. Rex.)

Calamitas.

1.) Ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum, atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. Est Dicaearchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni, et copiosi; qui, collectis ceteris causis, eluvionis, pestilentiae, vastitatis, belluarum etiam repentinae multitudinis, quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumpta: deinde comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est, bellis, aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate.

Cic. off. II. 5.

2.) Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira deûm stygiis sese extulit undis.

Virg. Aen. III. 214.

3.) Rebus in adversis animum submittere noli;
Spem retine: spes una hominem nec morte relinquit.

Cat. Dist. II. 25.

4.) Stultitia et ignorantia est conditionis suae, dolere, quod aliquid tibi incidit durius; aut mirari, aut indigne ferre ea, quae tam bonis accidunt, quam malis: morbos dico, funera, debilitates, et caetera, ex transverso in vitam humanam incurrentia.

Sen. vit. beat. XV. (Tristitia)

5.) Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia; nec perturbari his, quae vitare nostrae potestatis non est. In regno nati sumus: Deo parere, libertas est.

Sen. vit. beat. XV. (Solatium.)

6.) Omnes agedum mortales circumspice, — larga ubique flendi et assidua materia! Lacrymae nobis deerunt, ante, quam causae dolendi.

Sen. lib. ad Polyb. 23. (Homo. Querela.)

7.) Plena et infesta variis casibus vita est, a quibus nulli longa pax vix induciae sunt.

Sen. lib. ad Marc. c. 16. (Vita.)

8. Quid opus est partes deflere? tota vita flebilis est. Urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satisfeceris. Moderandus est itaque vobis animus, ad haec maxime, quae immoderate fertis, et in metus, et in dolores humanum pectus dispensandum.

Sen. lib. Marc. 10. (Jactura. Solatium.)

9.) — — — — — — O gens
Infelix! cui te exitio Fortuna reservat?
Virg. Aen. L. V. v. 624.

10.) Pamphil. — Omnibus nobis, quibus est alicunde aliquis objectus labos,
Omne, quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.
Ter. Hecyr. III. 1. (Malum.)

11.) Geta. — — — — Vae misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest,
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hoccine saeclum? O scelera! O genera sacrilega! O hominem impium!
Ter. Adelph. III. 2. (Querela.)

12.) — — — — — Infanda per orbem
Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes.
Virg. Aen. XI. 257.

Calor.

1.) Sic res se habet, ut omnia, quae alantur, et crescant, contineant in se vim caloris: sine qua neque ali possent, neque crescere. Nam omne, quod est calidum et igneum, cietur, et agitur motu suo; quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur certo et aequabili: qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus et vita remanet; refrigerato autem et exstincto calore, occidimus ipsi, et exstinguimur. Omne igitur, quod vivit, sive animal, sive terra editum, id vivit propter inclusum in eo calorem. Cic. nat. deor. II. 9.

2.) Nihil viveret sine calore. Sen. quaest. nat. II. 10.

3.) Sterile est frigidum; calor autem gignit.
Sen. quaest. natur. II. 10.

Canis.

Canum vero tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos?
Cic. nat. deor. II. 63.

Cantus.

1.) — — Condisce modus, amanda
Voce, quos reddas; minuentur atrae
Carmine curae. Hor. Od. IV. 11.

2.) Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos; quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitat languentes, et languefacit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit, civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus.
Cic. Leg. II. 15. (Musica.)

Caput.

A capite bona valetudo; inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum viget aut marcet. Sen. cl. II. 2. (Rex.)

Caritas.

1.) Te nihil in vita nobis acceptius umquam.
Prop. II. 9.

2.) Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit.
Virg. Aen. II. 709. (Amicus.)

3.) Omnium autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi: nec alienius, quam timeri. Praeclare enim Ennius: Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit. Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec vero hujus tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas, paretque cum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad pestem; sed reliquorum similes exitus tyrannorum: quorum haud fere quisquam interitum similem effugit. Malus enim custos diuturnitatis metus: contraque, benevolentia, fidelis est vel ad perpetuitatem. Cic. off. II. 7. (Regnator.)

Carmina.

1.) Nec mihi dispositis, quae jungam carmina nervis,
Proveniunt, vacuae carmina mentis opus.
Ovid. Heroid. Ep. 15.

2.) Carmina laudantur; sed munera magna petuntur:
Dummodo sit dives barbarus ipse placet.
Ovid. ars amat. II. (Munera.)

3.) Carmina, quam tribuent, fama perennis erit.
Ovid. Amor. I. 10.

4.) Cedant carminibus reges, regumque triumphi,
Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Ovid. Amor. I. 15.

5.) Carmine Di superi placantur, carmine Manes.
Hor. epist. II. 1.

6.) Carmina vel coelo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi.
Virg. Ecl. VIII. 69.

7.) Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.
Hor. Pis. 408.

8.) Nulla placere diu, nec vivere, carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus.
Hor. epist. I. 19.

9.) Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, et liquida deleat amnis aqua.
Tibull. I. 9.

Carneades.

Carneades, academicae sectae philosophus, cujus in differendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit, ipsum ex praedicatione Ciceronis intelliget aut Lucilii, apud quem differens Neptunus de re difficillima, ostendit, non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum orcus remittat. Is cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba et Catone censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit; et justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit; non quidem philosophi gravitate, cujus prudentia firma et stabilis debet esse sententia; sed quasi oratorio exercitii genere, in

utramque partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet adserentes posset refutare.

Cic. rep. III. 6. (Orator.)

Castitas.

Tucciae, virginis vestalis, incesti criminis reae, castitas infamiae nube obscurata emersit: quae conscientia certae sinceritatis suae, spem salutis ancipiti argumento ausa petere est. Arrepto enim cribro, Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, et in aedem tuam perferam. Audaciter et temere jactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit. Val. Max. VIII. 1.

Casus.

1.) Pamphilus. — — — Profecto hoc sic est, ut puto,
Omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Terent. Hecyra III. 3, (Fortuna. Homo.)

2.) Chremes. Di vestram fidem! Quam saepe forte temere
Eveniunt, quae non audeas optare. — — —
Terentr. Phorm. V. 1. (Inexspectatum.)

3.) Praecipuae artis pictor equum ab exercitatione venientem, modo non vivum, labore industriae suae comprehenderat: cujus naribus spumas adjicere cupiens, tantus Artifex in tam parvula materia multum ac diu frustra terebatur. Indignatione deinde accensus, spongiam omnibus imbutam coloribus, forte juxta se positam, apprehendit, et, veluti corrupturus opus suum, tabulae illisit. Quam fortuna, ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coëgit explere. Itaque, quod ars adumbrare non valuit, casus imitatus est.

Val. Max. VIII. 11.

Cato.

1.) Septimus mihi Originum liber est in manibus, omnia antiquitatis monumenta colligo: causarum illustrium, quascumque defendi, nunc quam maxime conficio orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multum etiam Graecis litteris utor: Pythagoreorumque more exercendae memoriae gratia, quid quoque die di-

xerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis: In his desudans, atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero: adsum amicis, venio in senatum frequens, ultroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quae jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis, laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit: nec subito frangitur: sed diuturnitate exstinguitur.

Cic. Sen. 11. (Senectus.)

2.) Ne nunc quidem (dicit Cato senex) vires desidero adolescentis, (is enim erat locus alter de vitiis senectùtis) non plus, quam adolescens tauri, aut elephantis desiderabam. Quod est, eo decet uti: ut quidquid agas, agere pro viribus. Cic. Sen. 9. (Senectus.)

Causa.

Causa autem ea est, quae id efficit, cujus est causa; ut vulnus, mortis; cruditas morbi; ignis ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat: nec, quod in campum descenderim, id fuisse causae, cur pila luderem: nec Hecubam causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit: nec Tyndarum Agamemnoni, quod Clytaemnestram. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur.

Cic. fato 15.

Causidicus.

1.) — — — — — Purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina; convenit illis
Et strepitu et facie majoris vivere census.

Juv. Sat. 7.

2.) Fidimus eloquio? Ciceronis nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.

Juvenal. Satyr. 7.

3.) — — Rara in tenui facundia panno.

Juv. Sat. 7.

4.) Controversia inter hominum sententias aut in illo est, utrum sit utilius, aut etiam, quum id convenit, certatur, utrum honestati potius, an utilitati consulendum sit. Quae quia pugnare saepe inter se videntur, qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiae, pecuniae, vectigalium, praesidii militum, utilitates ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet, majorum exempla, quae erunt vel cum periculo gloriosa, colliget, posteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude nasci defendet, semperque eam cum dignitate esse conjunctam. Cic. de oratore II. 82.

(Orator.)

5.) Omnium caeterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti: in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum; in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria judicatur; ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus et repellendus; ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; quum aut docendus is est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratione moderandus; in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est; qui tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus, — omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum; accedat oportet actio vera, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervae signum efficere possit; non sane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit. Cic. de oratore II. 17.

(Juris-consultus.)

Cautio.

1.) — — O miseri! quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis, aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulixes?
Virg. Aen. II. 42.

2.) Quidquid id est; timeo Danaos et dona ferentes.
Virg. Aen. II. 49.

Celeritas.

1.) Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingeret aequore plantas,
Virg. Aen. VII. 808.

2.) Semiramis Assyriorum regina, cum ei circa cultum capitis sui occupatae nunciatum esset, Babylonem defecisse; altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit: nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantum urbem in potestatem suam, redegit. Quo circa statua ejus Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate praecipiti tetendit. Val. Max. IX. 3.
(Festinatio.)

3.) Multum celeritas fecit; multum abstulit mora.
Sen. ben. II. 6. (Mora.)

4.) — — Et ventis et fulminis ocior alis.
Virg. Aen. L. V. v. 319.

Censor.

1.) Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos, improbare.
Cic. Orat. cap. 70. (Judicium.)

2.) Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.
Juvenal. Sat. 2.

3.) Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis coelum terris non misceat, et mare coelo,
Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?
Clodius accuset moechos? Catilina Cethegum?
Juvenal. Satyr. 2.

4.) Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Juven. Satyr. 2. (Iniquitas).

Censura.

1.) Sic agitur censura, et sic exempla petuntur;
Cum vindex, alios quod monet, ipse facit.
Ovid. fast. VI.

2.) Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in judicando (de artibus pulchris sormo est.)
Cic. orat. III. 51. (Judicium.)

3.) Antimachus, Clarius poëta, quum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod novistis, volumen suum, et eum legentem omnes praeter Platonem, reliquissent: legam, inquit, nihilominus; Plato enim mihi unus instar est omnium millium.
Ciceronis. Brutus 51. (Judicium.)

4.) Nec Euripides quidem Athenis arrogans visus est, cum postulante populo, ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit: Se, ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere. Laudanda profecto fiducia est: quae aestimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum a contemptu et insolentia distare satis est. Valer. Maxim. III. 7.
(Euripides. Conscientia sui.)

Cibus.

1.) Confer sudantes, ructantes, refertos epulis, tamquam opimos boves, tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi; jucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate. Timotheum, clarum hominem Athenis, et principem civitatis, ferunt, cum coenavisset apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse: Vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die jucundae sunt.
Cic. Tusc. quaest. V. 34. (Epulae.)

2.) Ne mente quidem recte uti possumus, multo cibo et potione completi. Cic. Tusc. quaest. V. 35.

3.) Edendi erit bibendique finis desideria naturae restinguere; non implere alvum et exinanire.
Sen. vit. beat. 20.

Cicero.

1.) Illud autem optimum est, in quo me invadi solere ab improbis et invidis audio:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Ut enim alios omittam, nobis rem publicam gubernantibus, nonne togae arma cessere? neque enim in re publica periculum fuit gravius umquam, nec majus otium. Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quae res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas hujus gloriae et factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompejus, multis audientibus hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo domesticae fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus etiam, quam in his, operae studiique ponendum est. Cic. off. I. 22. (Militia. Pax.)

2.) Nos autem nec subito coepimus philosophari: nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et, cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur: et orationes declarant, refertae philosophorum sententiis, et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit; et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. Et, si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit.

Cic. nat. deor. I. 3.

3) Cum multum adolescens, discendi causa temporis tribuissem (sc. philosophiae) posteaquam honoribus inservire coepi, meque totum reipublicae tradidi; tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et reipublicae temporibus. Cic. off II. 1.

4.) Hortata est, ut me ad haec (sc. philosophiam) conferrem animi aegritudo, fortunae magna et gravi commota injuria: cujus si majorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. Cic. nat. deor. I. 4.

5.) Si profitear (quod utinam possem!) me studiosis dicendi praecepta, et quasi vias, quae ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id justus rerum aestimator reprehenderet? Nam quis umquam dubitavit, quin in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis pacatisque rebus; secundas, juris scientia? quum in altera gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset; in altera persequutionum cautionumque praeceptio; quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet. Cur igitur jus civile docere semper pulcrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus: ad dicendum si quis acuat, aut adjuvet in eo juventutem, vituperetur? nam si vitiosum est. dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia. Sin ea non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam universam rempublicam: cur aut discere turpe est, quod scire honestum est; aut quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere?

Cic. orat. 41. (Eloquentia. Jurisprudentia.)

6.) Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu adcusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi quum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, quum sibi venenis ereptam memoriam diceret. Cic. orat. 37.

7.) Quae quidem me antea in judicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi; nec vero talibus modo rebus, quales hic liber continet, sed multo etiam gravioribus et majoribus; quae si erunt perfectae, profecto maximis rebus forensibus nostris et externis inclusae et domesticae literae respondebunt.

Cic. orat. 43. (Literae.)

8.) Nec vero miseratione solum mens judicum permovenda est (qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus; ut alia in causa excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo, plangore et lamentatione complerimus forum), sed etiam est faciendum, ut irascatur judex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate adficiatur, speret, metuat, laetetur,

doleat: qua in varietate, duriorum, adcusatio suppeditabit exempla, mitiorum, defensiones meae.

Cic. orator. cap. 38. (Eloquentia.)

9.) Fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse. Illa anim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum sunt impressa vestigia; sed et hujus et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est et adjutus. Omnis ubertas enim, et quasi silva dicendi, ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas; quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt.

Ciceronis orator III. (Orator. Philosophia.)

10.) Nulla est enim ullo in genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Non assequimur: at, quid deceat, videmus. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus; in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes; qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas; ita sunt avidae et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant.

Cic. orat. cap. 29. (Demosthenes. Eloquentia.)

11.) Nemo enim orator tam multa, ne in graeco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra (nempe Ciceronis scripta); eaque hanc ipsam habent quam probo, varietatem. Cic. orat. cap. 30. (Orator.)

12.) Intuere paululum ipsos de republica libros, quod nullus sit patriae consulendi modus aut finis bonis. Cerne, quantis ibi laudibus frugalitas et continentia praedicetur, et erga conjugale vinculum fides, castique honesti ac probi mores.

Cic. rep. IV. 7. Augustin. epist. XCI. 3.
(Patria. Romani.)

13.) Ultra enim, quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo. Certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt, et se sapientes esse profitentur. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 9.

(Scrutatio, veritas.)

14.) Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus, quo legat lyricos.

Sen. epist. 49. (Lyricus; poesis).

15.) Magnopere te hortor, mi Cicero (ad filium), ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui jam se illis fere aequarunt, studiose legas. Vis enim dicendi major est in illis; sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. Cic. off. I. 1.

16.) Philosophandi scientiam concedens multis: quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornateque dicere, quoniam in eo studio aetatem consumsi, si id mihi adsumo, videor id meo jure quodammodo judicare. Cic. off. I. 1.

17.) Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curae, et cogitationes meae, siquidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus; an exsilium, ut ab improbis demigrandum sit? Cic. Parad. II.

(Magnanimitas.)

18.) Ego autem (dicam enim, ut res est), dum me ambitio, dum honores, dum causae, dum reipublicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam (loquitur de studiis philosophicis); et, ne obsolescerent, renovabam, cum licebat, legendo. Nunc vero et fortunae gravissimo percussus vulnere, et administratione reipublicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peto et otii oblectationem hanc honestissimam judico; aut enim huic aetati hoc maxime aptum est; aut iis rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc inprimis consentaneum; aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius; aut, si haec ita non sunt, nihil aliud video, quod agere possimus.

Cic. Academ. Quaest. I. 3. (Philosophia).

Circumstantiae.

Constans et lenis, ut res expostulat, esto;
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

Cat. Dist. I. 7. (Mores, Mutatio sui).

Civis.

1.) — — — — — — Rarus
Civis et egregius patriae contingis ovanti.
Juv. Satyr. 8.

2.) Privatum autem oportet, aequo et pari cum civibus jure vivere, neque submissum et abjectum, neque se efferentem; tum in republica ea velle, quae tranquilla et honesta sint. Talem enim et sentire bonum civem et dicere solemus. Cic. off. I. 34.

Civitas.

1.) Hi coetus igitur hac, de qua exposui, causa instituti sedem primum certo loco domiciliorum causa constituerunt; quam cum locis manuque sepsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum oppidum vel urbem adpellaverunt, delubris distinctam spatiisque communibus. Omnis ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, qualem exposui; omnis civitas, quae est constitutio populi; omnis respublica, quae, ut dixi populi res est, consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. Id autem consilium primum semper ad eam causam referendum est, quae causa genuit civitatem. Deinde aut uni tribuendum est, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. Quare cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et regnum ejus reipublicae statum. Cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas popularis (sic enim appellant), in qua in populo sunt omnia. Cic. de republ. I. 26. (Populus Regimen. Urbs).

2.) Mucius. Quid igitur censes, Laeli, discendum nobis, nt istud efficere possimus ipsum, quod postulas? Lael. Eas artes, quae efficiant, ut usui civitati simus; id enim esse praeclarissimum sapientiae munus maximumque virtutis vel documentum vel officium puto. Cic. de republ. I. 20. (Patria. Politica.)

3.) Ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur, reipublicae causa, severitas, sine qua administrari civitas non potest. Cic. off. I. 25.
(Severitas.)

4.) Illam rem populi, id est rempublicam, quis diceret tum, cum crudelitate unius oppressi essent universi? neque esset unum vinculum juris, nec consensus

ac societas coetus, quod est populus. Atque hoc idem Syracusis. Urbs illa praeclara, quam ait Timaeus graecarum maximam, omnium autem esse pulcherrimam, arx visenda, portus usque in sinus oppidi et ad urbis crepidines infusi, viae latae, porticus, templa, muri, nihilo magis efficiebant, Dionysio tenente, ut esset illa respublica; nihil enim populi, et unius erat populus ipse. Cic. rep. III. 31. (Tyrannis.)

5.) Praeclare quidem dicis, Laelius; etenim video jam, quo pergat oratio. *Scip.* Vides igitur, ne illam quidem, quae tota sit in factionis potestate, posse vere dici rempublicam. *L.* Sic plane judico. *S.* Et rectissime quidem judicas; quae enim fuit tum Atheniensium res, quum post magnum illud peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi injustissime praefuerunt? num aut vetus gloria civitatis, aut species praeclara oppidi, aut theatrum, gymnasia, porticus, aut propylaea nobilia, aut arx, aut admiranda opera Phidiae, aut Piraeus ille magnificus rempublicam efficiebat? Minime vero, Laelius; quoniam quidem populi res non erat. *S.* Quid quum decemviri Romae sine provocatione fuerunt, tertio illo anno, cum vindicias amisisset ipsa libertas? *L.* Populi nulla res erat; imo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret. Cic. rep. III. 32. (Tyrannis.)

6.) Ad consilium de republica dandum, caput est, nosse rempublicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis; qui, quia crebro mutantur, genus quoque orationis est saepe mutandum. Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen, quia summa dignitas est populi, gravissima causa reipublicae, maximi motus multitudinis: genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur, maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnumquam aut cohortatione aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos, saepe etiam a temeritate, iracundia, spe, injuria, invidia, crudelitate revocandos. Cic. de orat. II. 82.

(Orator. Vir politicus.)

7.) Quietem atque otium secuti, Pythagoras, Democritus, Anaxagoras a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quae vita propter tranquillitatem, et propter ipsius scientiae suavitatem,

qua nihil est hominibus jucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit.

Cic. de orat. III. 15. (Scrutatio.)

8.) Philosophos admoneamus, ut illud, etiam si est verissimum, tacitum tamen, tamquam mysterium teneant, quod negant versari in republica esse sapientis. Nam, si hoc nobis, atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.

Cic. de orat. III. 17. (Philosophus.)

9.) Talis est quaeque respublica, qualis ejus aut natura, aut voluntas, qui illam regit.

Cic. rep. I. 31. (Regnator.)

10.) Debet enim constituta sic esse civitas, ut aeterna sit. Itaque nullus interitus reipublicae est naturalis, ut hominis; in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe. Civitas autem cum tollitur, deletur, exstinguitur. Simile est quodammodo, ut magnis parva conferamus, ac si omnis hic mundus intereat et concidat. Cic. rep. III. 23.

11.) Aliud civitas non est, quam concors hominum multitudo. Cic. rep. fragment.

12.) *Scip.* Cur igitur dubitas, quid de republica sentias? in qua, si in plures translata res sit, intelligi jam licet, nullum fore, quod praesit imperium; quod quidem nisi unum sit, esse nullum potest.

Cic. de rep. I. 38.

13.) Plato regionem sedesque civium aequis adprime partibus divisas requisivit; civitatemque, optandam magis, quam sperandam, quam minimam posuit; non quae possit esse, sed in qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit. Cic. rep. II. 30. (Plato.)

14.) Id enim tenetote, quod initio dixi, nisi aequabilis haec in civitate compensatio sit et juris et officii et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus, et auctoritatis in principum consilio, et libertatis in populo sit, non posse hunc incommutabilem reipublicae conversari statum. Cic. rep. II. 33.

15.) Ut enim in fidibus aut tibiis, atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures ferre eruditae non possunt; isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis et infimis et inter-

jectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimilorum concinit; et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum in omni republica vinculum incolumitatis; eaque sine justitia nullo pacto esse potest.
Cic. de republ. II. 42. (Concordia Justitia.)

16.) Nihil est, quod adhuc de republica dictum putemus, aut quo possimus longius progredi, nisi erit confirmatum, non modo falsum illud esse, sine injuria non posse; sed hoc verissimum esse, sine summa justitia rempublicam geri nullo modo posse.
Cic. rep II. 44. (Justitia.)

17.) Quaero, si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa justitia, singulari fide; alter insignis scelere et audacia; et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet; contra autem qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide; proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantnr, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat, postremo jure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur; vir denique optimus omnium existimatione et dignissimus omni fortuna optima judicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit? — Quod in singulis, id est in populis: nulla est tam stulta civitas, quae non injuste imperare malit, quam servire juste. Cic. rep. III. 17.
(Integritas; pravitas.)

Clementia.

1.) Quam multi indigni luce sunt! et tamen dies oritur. Senec. de benef. I. 1.

2.) Parcendum est etiam improbandis civibus, non aliter, quam membris languentibus; et si quando misso sanguine opus est, sustinendum est, ne ultra, quam necesse sit, incidas. Sen. Clement. I. 5.
(Indulgentia. Rex.)

3.) Natura contumax est humanus animus, et in contrarium atque arduum nitens; sequiturque facilius,

quam ducitur. Et ut generosi atque nobiles equi melius facili freno reguntur: ita clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur; et dignam putat civitas, quam servet sibi. Plus itaque hac via proficitur.

Senec. clement. I. 24. (Educatio. Homo.)

4.) Non est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, ut non stare in conspectu clementiam, paratam humanis erroribus, gaudeat.

Sen. clement. I. 1. (Venia.)

5.) Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est. Quid enim majus aut fortius, quam malam fortunam retundere? Haec tamen magnanimitas in bona fortuna latiorem locum habet, meliusque in tribunali, quam in plano conspicitur.

Senec. clement. I. 5. (Magnanimitas, rex.)

6.) Clementia in quamcumque domum pervenerit, eam felicem tranquillamque praestabit; sed in regia, quo rarior, eo mirabilior. Quid enim est mirabilius, quam eum, cujus irae nihil obstat, cujus graviori sententiae ipsi, qui pereunt, assentiuntur, quem nemo interrogaturus est, imo si vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum injicere et potestate sua in melius placidiusque uti? — hoc ipsum cogitantem: occidere contra legem nemo non potest, servare nemo, praeter me.

Senec. clement. I. 5. (Dominatio sui; rex.)

7.) Excessit e vita (Numa rex sc.), duabus praeclarissimis ad diuturnitatem reipublicae rebus confirmatis, religione atque clementia. Cic. rep. II. 14.

(Religio; respublica.)

8.) Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nemini. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet.

Sen. clement. I. 2. (Crudelitas.)

9.) Est, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus; quanto plus habet apud illos, quod servet, quantoque in majore materia adparet.

Senec. clement. I. 5. (Indulgentia; rex.)

10.) Nullum clementia ex omnibus magis, quam regem aut principem decet. Sen. clement. I. 3. (Rex.)

11.) Ita magnae vires decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est; nam pestifera vis est valere ad nocendum. Senec. clement. I. 3. (Potestas.)

12.) »Vellem nescire literas« (sic Nero princeps juvenilis exclamasse dicitur, quum ad supplicium nominis ejus subscriptio exigeretur) O dignam vocem, quam audirent omnes gentes! O vocem, in concionem omnium mortalium mittendam, in cujus verba principes regesque jurent. Senec. clement. II. 1. (Princeps. Rex.)

13.) Felicitas illa (sc. est), multis salutem dare, et ad vitam ab ipsa morte revocare, et mereri clementia civicam. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusque est, quam illa corona: »ob cives servatos.« Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Haec divina potentia est, gregatim ac publice servare; multos autem occidere et indiscretos, incendii ac ruinae potentia est. Sen. clement. I. 26.
(Princeps. Rex.)

14.) Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi; vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis poenis. Dici potest et inclinatio animi ad lenitatem in poena exigenda. Maxime ad verum accedat, si dixerimus, clementiam esse moderationem, aliquid ex merita ac debita poena remittentem.
Senec. clement. II. 3.

15.) Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quam clementia; quocumque modo is, et quocumque jure praepositus ceteris erit.
Senec. benef. I. 19. (Rex.)

16.) Non opus est instruere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris, turribusque sepire: salvum regem in aperto Clementia praestabit. Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium. Senec. clement. I. 19. (Rex.)

17.) Sicut medicinae apud aegros usus, etiam apud sanos honor est: ita clementiam, quamvis poena digni invocent, etiam innocentes colunt.
Senec. clement. I. 2. (Medicina.)

18.) Habet clementia in persona quoque innocentium locum; quia interim fortuna pro culpa est, nec innocentiae tantum clementia succurrit, sed saepe vir-

tuti; quoniam quidem conditione temporum incidunt quaedam, quae possint laudata puniri.

Senec. clement. I. 2.

Clima.

Temperie coeli corpusque animusque juvantur.

Ovid. ex Pont. II. 7.

Coelestia.

1.) Haec (res scilicet sublimiores, coelestes) inspicere, haec discere, his incumbere, — nonne transsilire est mortalitatem suam et in meliorem transscribi sortem? Senec. quaest. natural. lib. I. praef.

(Scrutatio.)

2.) Est animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturae; erigimur, elatiores fieri videmur; humana despicimus, cogitantesque supera atque coelestia, haec nostra, ut exigua et minima, contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum maximarum tum etiam occultissimarum habet oblectationem; si vero aliquid occurret, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.

Cic. Academ. quaest. IV. 41. (Scrutatio.)

3.) Haec coelestia semper spectato, illa humana centemnito (loquitur Scip. Maj. defunctus ad Minorem vivum in somnio). Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Cic. rep. VI. Somn. Scip. (Gloria. Humana.)

4.) Alte spectare si voles, atque hanc sedem (sermo de coelo) et aeternam domum contueri; neque te sermonibus vulgi dederis, nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus; quid de te alii loquantur, ipsi videant. Cic. rep. VI. 23. Somn. Scip.

(Gloria. Humana.)

Coelum.

1.) Rerum natura, te quae genuit, exspectat, et locus melior ac tutior. Illic non tremunt terrae, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt; non incendia regiones urbesque vastant; non naufragiorum totas classes sorbentium metus est; non arma contraria disposita vexillis, et in mutuam perniciem

multorum millium par furor; non pestilentia, et ardentes promiscue, communes populis cadentibus, rogi.
Senec. quaest. natural. VI. 32. (Elysium.)

2.) Praecipue vero fruuntur ea (sc. pulchritudine Elysii seu beatitudine post mortem) qui tum etiam, quum, has terras, incolentes, circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.
Cic. Tusc. Quaest. I. 19. (Elysium.)

Coena.

1.) Plerumque gratae divitibus vices.
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis et ostro,
Sollicitam exsplicuere frontem.
Hor. Od. III. 29.

2.) Prorsus jucunde coenam produximus illam.
Hor. satyr. I. 5.

Cogitatus.

Gratia Dis! menti quolibet ire licet.
Ovid. ex Ponto III. 5.

Cognitio.

Quem scis scire tuas omnes maculasque notasque. Lucil.

Cognitio sui.

1.) Quum te aliquis laudat, judex tuus esse memento:
Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli.
Cat. Dist. I. 14.

2.) Inventa sunt specula, ut homo se ipse nosceret. Multa ex hoc consecuta; primo sui notitia, deinde et ad quaedam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam, deformis, ut sciret, redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset; juvenis, ut flore aetatis admoneretur, illud tempus esse discendi, et fortia audendi; senex, ut indecora canis deponeret, et de morte cogitaret aliquid. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmet ipsos videndi. Fons cuique perlucidus aut laeve saxum imaginem reddit.
Senec. quaest. natura. I. 17. (Speculum.)

3.) Tecum habita; et noris, quam sit tibi curta supellex. Pers. satyr. 4.

4.) Minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque sentit.

Cic. orat. III. 9.

5.) — — E coelo descendit: Γνωθι σεαυτον;
Fingendum, et memori tractandum pectore, sive
Conjugium quaeras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis, seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas. Juv. Satyr. 11.

6.) Qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet, et sentiet: et, cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principia rerum omnium quasi adumbratas intelligentias, animo ac mente conceperit: quibus illustratus, sapientia duce, bonum virum, et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore. Cic. Leg. I. 22.

Cohortatio.

— — — Quo circa vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Hor. satyr. II. 2.

Color.

O formose puer, nimium ne crede colori.

Virg. Eclg. II. v. 17. (Forma,)

Cometae.

Erit, qui demonstret aliquando, in quibus Cometae partibus errent, cur tam seducti a caeteris eant, quanti qualescumque sint.

Senec. quaest. natural. VII. 26. (Posteritas.)

Commendatio.

Qualem commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Hor. epist. I. 18.

Commodum.

Inveniuntur, qui honesta in mercedem colant, quibusque non placeat virtus gratuita; quae nihil habet in se magnificum, si quidquam habet venale.

Sen. benef. IV. 1.

Commisseratio.

1.) — — — — Quis bonus esse
Ulla aliena sibi credat mala? separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Sensum a coelesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona et terram spectantia.

Juv. satyr. 15. (Sympathia.)

2.) Misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; aut intuens alium crebro ad se ipsum revertatur.

Cic. de orator. II. 52. (Misericordia. Orator.)

Communia.

Sunt illa communia, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti dare; quae sunt iis utilia, quae accipiunt; danti non molesta. Quare et his utendum est, et semper aliquid ad communem utilitatem adferendum. Cic. off. I. 16. (Auxilium.)

Comoedia.

1.) Comoediam esse, Cicero ait, imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.

Cic. rep. IV. 11. Donatus de comoeddia.)

2.) Creditur, ex medio quia res accessit, habere
Sudoris minimum; sed habet Comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus.

Hor. epist. II. 1.

3.) Numquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. Et Graeci quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quandam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum, ut, quod vellet comoedia, de quo vellet, nominatim diceret. Itaque quem illa non adtigit?

vel potius, quem non vexavit? cui pepercit? Esto, populares homines improbos in republica, seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. Patiamur; etsi ejusmodi cives a censore melius est, quam a poëta notari: sed Periclem, cum jam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et eos agi in scena, non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Cnejo Scipioni, aut Caecilius Marco Catoni maledicere. Cic. rep. IV. 10.

(Drama. Graeci. Romani, theatrum.)

Conatus.

1.) Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poëtis non Homero soli locus est (ut de Graecis loquar), aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo multitudo Platonis; nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia caeterorum studia restinxit. Cic. orat. I. (Incitatio. Sublimia.)

2.) Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Virg. Aen. VII. v. 313. (Precatio.)

Concordia.

1.) Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Pers. Satyr. 5.

2.) Nostra vel aequali suspendit tempora libra
Parca tenax veri; seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum.
Pers. Satyr. 5.

3.) Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae, concordiaeque sit: ex dissensionibus, atque discordiis percipi potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis, atque dissidiis funditus possit everti? ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest. Cic. amic. 7. (Discordia.)

Conjugium.

1.) Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset,
Huic uni forsan potui succumbere culpae.
Virg. Aen. IV. 18. (Matrimonium.)

2.) Prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis. Id autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicae. Cic. off. I. 17.

Conscientia.

1.) Mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt: non quo fugiendus sit (omnia enim benefacta in luce se collocari volunt), sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est. Cic. tusc. Quaest. II. 26. (Virtus.)

2.) Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.
Ovid. fast. I.

3.) Poena quidem vehemens, ac multo saevior illis,
Quas aut Caeditius gravis invenit, aut Rhadamantus;
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Juv. Sat. 13.

4.) Tutum aliqua res in mala conscientia praestat; nulla securum. Senec. epist. 105.

5.) Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra. Horat. l. I. 22.

6.) Non enim gazae, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, et curas, laqueata circum,
Tecta volantes. Hor. od. l. II. 16.

7.) — — — Prima est haec ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur; improba quamvis
Gratia fallaci Praetoris vicerit urna.
Juv. Satyr. 13.

8.) Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est; si honesta sunt, quae facis, omnes sciant; si turpia, quid refert, neminem scire, cum tu scias? O te miserum; si contemnis hunc testem! Sen. epist. 43.

9.) — — — Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,
Hor. epist. l. I. 1.

10.) Quid? cum cupiditatum dominatus excessit, et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum,

timor? quam est illa misera, quam dura servitus! omnes, qui aliquid scire videntur, tamquam domini, timentur. Cic. Parad. V.

Conscientia sui.

1.) Itaque etiam, quod Alcestidi tragico poëtae respondit (sc. Euripides), probabile: apud quem cum quereretur, quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is, se centum perfacile scripsisse, gloriaretur: Sed hoc, inquit, interest, quod tui in triduum tantum modo, mei vero in omne tempus sufficient. Alterius enim foecundi cursus scripta intra primas memoriae metas corruerunt, alterius cunctante stilo elucubratum opus omne aevi tempus plenis gloriae velis feretur.

Val. Max. III. 7. (Euripides.)

2.) Zeuxis autem, cum Helenam pinxisset, quid de eo opere homines censuri essent, exspectandum, non putavit, sed pronius hos versus adjecit:

Οὐ νεμεσις, Τρῶας τε και εὐκνημιδας Ἀχαιους
Τοιῆδ' ἀμφι γυναικι πολυν χρονον ἀλγεα πασχειν.
Ἀινως ἀθανατῃσι θεῆς εἰς ὠπα ἐοικεν,

Adeone dextrae suae multum pictor arrogavit, ut ea tantum forma comprehensum crederet, quantum aut Leda coelesti partu edere, aut Homerus divino ingenio exprimere potuit? Val. Max. III. 7. (Zeuxis.)

2.) Multo ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Sen. ep. 29.

(Cognitio sui.)

Conservatio sui.

Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetquo ea, quae nocitura videantur, omniaque, quaecumque ad vivendum sint necessaria, inquirat et paret: ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis.

Cic. off. I. 4.

Consilia.

O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio

saepe franguntur, et corruunt et ante, in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.

Cic. de orat. III. 2. (Spes.)

Consiliarius.

Divus Augustus filiam intra pudicitiae maledictum impudicam relegavit, et flagitia principalis domus in publicum emisit. Haec tam vindicanda principi, quam tacenda (quia quarumdam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens irae publicaverat. Deinde, cum interposito tempore in locum irae subiisset verecundia, gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tam diu nescierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamavit. »Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Maecenas vixisset.« Adeo tot habenti millia hominum duos reparare difficile est! Caesae sunt legiones, et protinus scriptae; fracta classis, et intra paucos dies natavit nova; saevitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora consumtis: tota vita Agrippae et Maecenatis vacavit locus..

Senec. benef. VI. 32.

Hunc cape consiliis socium, et conjunge volentem.

Virg. Aen. Lil. V. v. 712.

Consilium.

1.) — — — Quando non potest id fieri, quod vis. Id velis, quod possit. Terent. Andr. II. 1.

(Obsequium. Praeceptum.)

2.) Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.

Terent. Andr. II. 1. (Morbus.)

3.) Suadere aliquid, aut dissuadere, gravissimae mihi videtur esse personae. Nam et sapientis est consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Cic. de orat. II. 81.

4.) Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant; ceteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Sen. ep. 23.

5.) Proponendum est primum, quid sit, quod petamus; tunc circumspiciendum est, quo contendere illo celerrime possimus. Sen. vita beat. I.

(Felicitas. Vita.)

6.) Quamdiu passim vagamur, non ducem sequuti, sed fremitum et clamorem dissonum, in diversa vocantium, conteritur vita inter errores, brevis, etiamsi dies noctesque bonae menti laboremus.

Senec. vita beat. I. (Felicitas. Vita.)

7.) Ut enim pictores, et ii, qui signa fabricantur, et vero etiam poëtae, suum quisque opus a vulgo considerari vult: ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur; hique et secum, et cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum judicio permulta nobis et facienda et non facienda, et mutanda et corrigenda sunt. Cic. off. I. 41.

8.) Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Lucil.

9.) Utile consilium dominus ne despice servi.
Nullius sensum, si, prodest, temseris umquam
Cat. Dist. III. 11.

10.) Vides, quam facile sit, gratiam referre felicibus et in summo humanarum opum positis. Dic illis, non, quod volunt audire, sed quod audiisse semper volent, plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret: da consilium utile. Sen. benef. VI. 33.

(Gratus animus.)

11.) Consule, quis aetas longa magistra fuit.
Ovid. Heroid. Ep. 5.

12.) — — Causas nequidquam nectis inanis,
Nec mea jam mutata loco sententia cedet.
Virg. Aen. Lib. IX. v. 219. (Sententia.)

13.) — — — — Percipe porro,
Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.
Virg. Aen. lib. IX. v. 191. (Sententia)

Consolatio.

1.) Magnum opus est, probare moerenti, illum suo judicio, et quod se ita putet oportere facere, moerere. Nimirum igitur ut in causis non semper utimur eodem statu (sic enim adpellamus controversiarum genera), sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam adcommodamus; sic in aegritudine lenienda, quam quisque curationem recipere possit, videndum est. Cic. tuscul. Quaest. III. 33. (Solamen.)

2.) Erit in consolationibus prima medicina, docere, aut nullum malum esse, aut admodum parvum; altera et de communi conditione vitae, et proprie, si quid sit de ipsius, qui moereat, disputandum; tertia, summam esse stultitiam, frustra confici moerore, cum intelligas, nihil posse profici. Nam Cleanthes quidem sapientem consolatur; qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris; alienum autem tempus docendi. Cic. tusc. quaest. III. 32. (Solamen.)

Constantia.

1.) Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioque capienda servare constantiam. Cic. off. I. 34.

2.) Incorruptus vir sit externis et insuperabilis miratorque tantum sui; fidens animi atque in utrumque paratus, artifex vitae. Fiducia ejus non sine scientia sit, non sine constantia. Maneant illi semel placita, nec ulla in decretis ejus litura sit. Intelligitur etiam, si non adjecero, compositum ordinatumque fore talem virum, et in his, quae aget, cum comitate magnificum. Erit vera ratio sensibus insita, et capiens inde principia; nec enim habet aliud, unde conetur, aut unde ad verum impetum capiat, et in se revertatur.

Senec. vit. beat. VIII. (Vir, vita.)

3.) At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.

Prop. II. 24. (Fides.)

4.) Ille, velut pelagi rupes immota resistit,
(Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,)
Quae sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; scopuli nequidquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Virg. Aen. Lib. VII. v. 586.

Consuetudo.

1.) Ita compositi sumus, ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant; contra minimarum quoque rerum, si insolitae prodierunt, spectaculum dulce fiat. Senec. Quaest. natur. VII. 1.

(Insolitum.)

2) Levius accidunt familiaria; ex insolito formido est major. Senec. Quaest. natural. VI. 3.

3.) Impetratum est a consuetudine, ut peccare (sc. contra grammaticam) suavitatis causa liceret.
Cic. Orat. 47. (Grammatica.)

4.) Fac tibi consuescat; nil consuetudine majus.
Ovid. ars amat. l. II.

5.) Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Prop. II. 1. (Vitae conditio.)

6.) Quod male fers, assuesce; feres bene: multa vetustas
Lenit. Ovid. ars. amat. l. II.

7.) Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam quod, cum sciret, quibus aerumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem invenit, cito in familiaritatem gravissima adducens. Nemo duraret, si rerum adversarum eandem vim adsiduitas haberet, quam primus ictus. Senec. tranquill. anim. 10.

8.) Maxima est enim vis vetustatis, et consuetudinis. Cic. Amic. 19. (Vetustas.)

9.) In iis etiam, quae sunt inanimata, consuetudo valet: cum locis etiam ipsis montuosis delectemur, et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus.
Cic. amic. 19.

10.) Adhibita exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, et aures cantibus, quis est, quin cernat, quanta vis sit in sensibus? Quam multa vident pictores in umbris et in eminentia, quae nos non videmus? quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? Cic. Academ. Quaest. IV. 7.
(Exercitatio Sensus.)

Consules.

Tenuit Senatus rempublicam temporibus illis; ut in populo libero pauca per populum, pleraque Senatus auctoritate et instituto ac more gererentur; atque uti consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam, genere ipso ac jure regiam. Quodque erat ad obtinendam potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur: populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum adprobavisset auctoritas. Atque his ipsis temporibus dictator etiam est institutus, decem fere

annis post primos consules, T. Larcius, novumque id genus imperii visum est et proximum similitudini regiae. Sed tamen omnia summa cum auctoritate a principibus, cedente populo, tenebantur. Cic. rep. II. 32.

(Dictator. Romani.)

Contentio.

1.) Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec ab iis qui adsunt, probari. Cic. off. I. 38. (Jurgium. Dominatio sui.)

2.) Contra verbosos noli contendere verbis;
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.
Cat. Dist. I. 10.

3.) Adversus notum noli contendere verbis.
Lis minimis verbis interdum maxima crescit.
Cat. Dist. II. 11. (Lis.)

4.) Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.
Cat. Dist. II. 4. (Ira.)

5.) Alit se ipsa contentio, demissos altius tenet. Facilius, se a certamine abstinere, quam abducere.
Sen. de ira. III. 8.

Contentus animus.

1.) Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet.
Hor. epist. I. 2.

2.) Antiph. Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates, quas, cum res adversae fient, paulo mederi possis. Terent. Phorm. V. 4. (Vota.)

3.) Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est: contentum vero suis rebus esse, maximae sunt, certissimaeque divitiae.
Cic. Parad. VI. (Divitiae.)

4.) — — — Auctius, atque
Di melius fecere. Bene est. Nihil amplius oro.
Horat. Satyr. L. II. 6.

5.) — — — Fuge magna; licet sub paupere tecto
Reges, et regum vita praecurrere amicos.
Hor. ep. I. 10.

Continentia.

Curio ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt; non enim aurum habere, praeclarum sibi videri dixit; sed iis, qui haberent aurum, imperare. Cic. Sen. 16.

Convicium.

1.) Menedemus. — — — Harum rerum,
Quae sunt dictae in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus,
In illum nil potest. Exsuperat ejus stultitia haec omnia.
Ter. Heaut. V. 1. (Stultitia. Vituperatio.)

2.) Menedemus. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?
Ter. Heaut. V. 1. (Stultitia. Vituperatio.)

Convivium.

1.) Nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni, dubiam facientia carmina palmam.
Juvenal. Sat. 11.

2.) Pulchre invitati sumus, acceptique benigne.
Lucil.

3.) Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
Virg. Aen. I. 724.

4.) Convivium etiam solenne majores instituerunt idque Charistia adpellaverunt, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur; ut, si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensae et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiae adhibitis, tolleretur. Val. Max. II. 1.

5.) Neque enim (loquitur Cato) ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum, et sermonibus metiebar; bene enim majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius, quam Graeci; qui hoc idem tum compotationem, tum concoenationem vocant: ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.
Cic. Sen. 13. (Graeci. Romani.)

6.) Ego vero (sc. Cato) propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum aequalibus solum (qui pauci admodum restant) sed cum vestra etiam aetate, atque vobiscum. habeoque senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Cic. Sen. 14. (Senectus.)

7.) Me vero (dicit Cato) et magisteria delectant, a majoribus instituta: et is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis: et pocula, sicut in symposio Xenophontis, minuta, atque rorantia, et refrigeratio aestate, et vicissim aut sol, aut ignis hibernus; quae quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo; quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermone producimus. Cic. Sen. 14.

Corpus.

Bene Ennius:
»Flagitii principium est nudare inter cives corpora.«
Cic. Tusc. Quaest. IV. 33. (Decentia. Vestitus.)

Correctio.

1.) — — — Scelerum si bene poenitet
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa, et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Hor. Od. III. 24.

2.) Quae laedunt oculos, festinas demere; si quid
Est animum, tempus curandi differs in annum?
Hor. epist. I. 2.

3.) Cuncta prius tentata, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.
Ovid. Metam. I. 190.

4.) Quod nosti haud recte factum, nolito tacere,
Ne videare malos imitari velle tacendo.
Cat. Dist. III. 16. (Vituperatio.)

Corruptela.

1.) Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas; adeo indulgent sibi latius ipsi.
Cum dicis juveni, stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet, attollatque propinquum;

Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere.

Juv. Sat. 14. (Pravitas.)

2.) — — — O toties servus! quae bellua ruptis,
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

Horat. Satyr. L. II. 7.

3.) — — — Tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.

Horat. Sat. l. II. 7.

4.) — — — — — Nempe
Tu mihi, qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Horat. Satyr. L. II. 7.

5.) Quid est, cur suspiciamus nosmet ipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? Non video, quare sibi placeat, qui robustior est in valetudinario.

Senec. Quaest. natural. I. 1.

6.) Effugisti vitia animi: non est tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem sermo compositus, nec cor involutum, nec avaritia, quae quidquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat; nec luxuria, pecuniam turpiter amittens, quam turpius reparet; nec ambitio, quae te ad dignitatem, nisi per indigna non ducet. Nihil adhuc consequutus es: multa effugiste, te nondum.

Senec. Quaest. natural. I. 1.

Corruptio.

Maxime admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur. Cic. off. II. 11.

Corruptor.

— — Nunc, ad quas non Clodius aras.

Juven. Satyr. 6.

Cosmologia.

1.) Terra profecto, quoniam pars mundi est, pars est etiam dei (Epicureus contra Academicos). Atqui terrae maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit; pars obriguerit nive pruinaque, longinquo solis abscessu; quae si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt,

dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Cic. nat. deor. I. 10. (Plato.)

2.) Hicetas Syracusius (Nicetas, legunt alii), ut ait Theophrastus, coelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet; neque praeter terram rem ullam in mundo moveri: quae cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quasi stante terra coelum moveretur; atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius. Cic. Academ. Quaest. IV. 39. (Sol. Terra.)

3.) Illo quoque (nempe ad Astronomiam, et Cosmogoniam) pertinebit hoc excussisse, ut sciamus, utrum mundus terra stante circumeat, an mundo stante terra vertatur. Fuerunt enim, qui dicerent (sc. Pythagoras et secta ejus hoc jam statuerunt) nos esse, quos rerum natura nescientes ferat, nec coeli motu fieri ortus et occasus, sed ipsos oriri et occidere.

Senec. Quaest. natural. VII. 2.

4.) Quibus enim oculis animi intueri potuit (Epicureus contra Academicum) vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo, atque aedificari mundum facit? quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt? Unde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? longum est omnia: quae talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur. Sed illa palmaris quidem, quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum. Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? quae est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum?

Cic. nat. deor. I. 8. (Plato.)

5.) Ab utroque autem (sc. Academico et Stoico) sciscitor (loquitur Epicureus), cur mundi aedificatores repente exstiterint: innumerabilia ante secula dormierint. Non enim, si mundus nullus erat, secula non erant. Cic. nat. deor. I. 9. (Plato.)

6.) Scite, Chrysippus (Stoicus), ut clypei causa involucrum; vaginam autem, gladii: sic praeter mundum, cetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causa; animantes autem, hominum; ut equum vehendi causa; arandi, bovem; venandi et custodiendi, canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti. Sed mundus, quoniam omnia complexus est, nec est quidquam, quod non insit in eo, perfectus undique est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum? nihil autem est mente et ratione melius; ergo haec mundo deesse non possunt. Item, quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. Est autem nihil mundo perfectius: nihil virtute melius; igitur mundi est propria virtus. Nec vero hominis natura perfecta est: et efficitur tamen in homine virtus: quanto igitur in mundo facilius? est ergo in eo virtus; sapiens est igitur; et proptera deus.

Cic. nat. deor. II. 14. (Mundus. Stoici. Deus.)

7.) Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum: deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.

Cic. nat. deor. I. 10. (Thales. Aqua.)

8.) Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. Cic. nat. deor. II. 37.

9.) Hic ego (loquitur Stoicus contra Epicureorum atomos, unde hi mundum esse docent) non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida, atque individua, vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum, et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae, vel quales libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annalis Ennii, ut deinceps legi pos-

sint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna.

Cic. nat. deor. II. 37.

Credulitas.

Noli tu quaedam referenti credere semper.
Exigua est tribuenda fides, quia multa loquuntur.

Cat. Dist. II. 20. (Denunciator.)

Crimen.

1.) Heu, quam difficile est, crimen non prodere vultu!

Ovid. Metam. II. 447. (Simulatio.)

2.) Felices obeunt, quorum sine crimine vita est.

Cat. Dist. IV. 46.

Crudelitas.

1.) Est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas.

Cic. off. III. 11.

2.) Hoc inter caetera vel pessimum habet crudelitas, quod perseverandum est, nec ad meliora patet regressus. Scelera enim sceleribus tuenda sunt; quid autem eo infelicius, cui jam malo necesse est? O miserabilem illum, sibi certe! nam caeteris misereri ejus nefas sit, qui caedibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa quam domestica; cum arma metuat, ad arma confugiens; non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui ubi circumspexit, quaeque fecit, quaeque facturus est, et conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit, saepe mortem timet, saepius optat, invisior sibi, quam servientibus. Senec. clement. I. 13.

(Servitus. Tyrannus.)

3.) At ne Etrusci quidem parum feroces in poena excogitanda: qui vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata atque constricta, ita ut singulae membrorum partes singulis essent adcommodatae, tabescere simul patiebantur: amari vitae pariter ac mortis tortores. Val. Max. IX. 2.

4.) Sicut illi Barbari, quos ferunt mactatarum pecudum intestinis et visceribus egestis homines inserere, ita ut capitibus tantummodo emineant; quoque diutius poenae sufficiant, cibo et potione infelicem spiritum

prorogare; donec intus putrefacti, laniatui sint animalibus, quae tabidis corporibus innasci solent.

Val. Max. IX. 2.

5.) Saevus etiam ille aenei tauri inventor, quo inclusi, subditis ignibus, longo et abdito cruciatu, mugitus resonante spiritu edere cogebantur, ne ejulatus eorum, humanae sono vocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possint. Quam, quia calamitosis deesse voluit, deterrimum artis suae opus primus artifex inclusus merito auspicatus est.

Val. Max. IX. 2.

6.) Quidam non exigunt poenas; crudeles tamen sunt; tamquam, qui ignotos homines et obvios, non in compendium, sed occidendi causa occidunt. Nec interficere contenti saeviunt, ut Sinis ille et Procrustes, et piratae, qui captos verberant, et in ignem vivos imponunt. Haec crudelitas quidem; sed quia nec ultionem sequitur (non enim laesa est), nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen), extra finitionem nostram cadit; quae finitio continebat in exigendis poenis intemperantiam animi. Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati saevitia est; possumus insaniam vocare. Nam varia sunt genera ejus, et nullum certius, quam quod in caedes hominum et laniationes pervenit.

Senec. clement. II. 4.

7.) Illos crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem ajunt, non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum saevisse.

Senec. clement. II. 4.

8.) Crudelitas nihil aliud est, quam atrocitas animi in exigendis poenis. Senec. clement. II. 4.

9.) Quemadmodum domini crudeles tota civitate commonstrantur invisique et detestabiles sunt: ita regum et injuria latius patet, et infamia atque odium saeculis traditur. Quanto autem non nasci melius fuit, quam numerari inter publico malo natos?

Senec. clement. I. 18. (Rex.)

10.) Quemadmodum praecisae arbores plurimis ramis repullulant, et multa satorum genera, ut densiora furgant, reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberi-

que eorum, qui interfecti sunt, et propinque et amici in locum singulorum succedunt.

Senec. clement. I. 8.

11.) Tunc ille dirus animi morbus ad insaniam pervenit ultimam, cum crudelitas versa est in voluptatem et jam occidere hominem juvat. Nam talem virum a tergo sequitur eversio, odia, venena; gladii; tam multis periculis petitur, quam multorum ipse periculum est; privatisque nonnumquam consiliis, alias vero consternatione publica circumvenitur.

Senec. clement. I. 25. (Tyrannus.)

12.) Quantulum nocet privata crudelitas? Principum saevitia bellum est. Sen. clem. I. 5. (Rex.)

13.) Crudelitas minime humanum malum est, indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est sanguine gaudere ac vulneribus, et abjecto homine in silvestre animal transire. Senec. clement. I. 24.

14.) Hoc est, quare vel maxime abominanda sit saevitia, quod excedit fines, primum solitos, deinde humanos. Nova supplicia conquirit, ingenium advocat, instrumenta excogitat, per quae varietur atque extendatur dolor et delectatur malis hominum.

Senec. clem. I. 25.

15.) Quid interest, oro te Alexander, leoni Lysimachum objicias, an ipse laceres dentibus tuis? tuum illud os est, tua illa feritas. O quam cuperes tibi potius ungues esse, tibi rictum illum edendorum hominum capacem! Non exigimus a te, ut manus ista, exitium familiarium certissimum, ulli salutaris sit; ut iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem caedemque satietur. Clementia vocetur, si ad occidendum amicum carnifex inter homines eligitur.

Senec. clement. I. 25.

16.) Imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes? quid facta tyranni
Effera? Di capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) et sanie taboque fluentis
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Virg. Aen. Lib. VIII. v. 482.

Culpa.

1.) Quod merito pateris, patienter ferre memento:
Quumque reus tibi sis, ipsum te judice damna.
Cat. Dist. III. 18.

2.) Parva inquis res est: et magna culpa; nec enim peccata, rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio majus esse, aut minus: ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est. Auri navem evertat gubernator, an paleae: in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest. Cic. Parad. III. (Peccatum. Vitium.)

3.) Non te nullius exercent numinis irae
Magna luis commissa. Virg. Georg. l. IV. v. 453.
(Reus.)

4.) Nos omnia adversa, tum venientia metu augentes, tum moerore praesentia, rerum naturam, quam errorem nostrum, damnare malumus; sed et hujus culpae et caeterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est.
Cic. tusc. Quaest. V. I. (Error. Philosophia.)

5.) Denique se quisque consulat, et in secretum pectoris sui recedat, et inspiciat, quid tacitus optaverit; quam multa sunt vota, quae etiam sibi fateri pudet! quam pauca, quae facere coram teste possimus.
Senec. benef. VI. 38. (Vitium.)

6.) Peccavimus omnes: alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati; alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus, et innocentiam inviti ac renitentes perdidimus.
Senec. clem. I. 6. (Peccatum. Vitia.)

7.) Non deliquimus tantum, sed usque ad extremum aevi delinquemus. Etiam, si quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.
Senec. clemen. I. 6. (Peccatum. Vitia.)

8.) Aeschinus. Discrucior animi!
Hoccine ex improviso mali mi objici,
Tantum, ut neque, quid de me faciam, nec,
quid agam, certum siet!
Membra metu debilia sunt. Animus prae timore
Obstupuit. Pectore consistere nil consili quit.
Vah! quomodo me ex hac expediam turba, nescio,
Tanta nunc

Suspicio de me incidit;
Neque ea immerito. Ter. Adelph. IV. 4.
(Reus.)

Cultura.

1.) Felix, qui potuit rerum cognoscere causas;
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
Virg. Georg. Lib. II. v. 490.

2.) Jam molire animum, qui duret, et adstrue formae;
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis, ingenuas pectus coluisse per artes,
Cura sit; et linguas edidicisse suas.
Ovid. ars. am. L. II.

3.) Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.
Hor. Od. IV. 4.

4.) Nihil in fructum pervenit, quod non a primo usque ad extremum aequalis cultura prosequitur.
Sen. benef. II. 11.

5.) Scilicet ingenium placida mollitur ab arte;
Et studio mores convenienter eunt.
Ovid. ars. am. l. III.

6.) Ut corpus redimas, ferum patieris et ignem,
Arida nec sitiens ora levabis aqua:
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore majus habet.
Ovid. remed. am.

7.) Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem adcommodet aurem.
Hor. epist. I. 1.

8.) Neglectis urenda filix innascitur agris.
Hor. satyr. I. 3. (Neglectio.)

Cultus.

Cultus et in pomis succos emendat acerbos;
Fissaque adoptivas accipit arbor opes.
Ovid. fragm. Medic.

Cultus deorum.

1.) Nec bove mactato coelestia numina gaudent:
Sed, quae praestanda est, et sine teste, fide.
Ovid. Heroid. Ep. 20. (Fides.)

2.) Haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas humani generis et una excellentissima virtus, justitia, tollatur. Cic. nat. deor. I. 2.

3.) O curvae in terris animae, et coelestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona Dîs ex hac scelerata ducere pulpa?
Pers. Satyr. 2.

4.) Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatae a Virgine puppae.
Pers. Satyr. 2.

5.) Compositum jus, fasque animi; sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto:
Haec cedo, ut admoveam templis; et farre litabo.
Pers. Satyr. 2.

6.) Sunt philosophi et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? Haec enim omnia pure ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tribulum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, neque volunt; nec omnino curant: nec, quid agamus, animadvertunt; nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit: quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul et sunctitatem et religionem tolli necesse est: quibus sublatis perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Cic. nat. deor. I. 2.

7.) Ad divos adeunto caste: pietatem adhibento; opes amovento. Qui secus faxit, deus ipse vindex erit.
Cic. Leg. II. 8. (Religio.)

8.) Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur. Cic. nac. deor. II. 28.

Cupiditas.

Quidquid cupiditati contigit, penitus hauritur et conditur; nec interest, quantum in id, quod inexplebile est, congeras. Senec. benef. VII. 3.

Cupido.

Quod latet, ignotum est; ignoti nulla cupido.
Ovid. ars. am. l. III.

Curae.

1.) — — Timor et minae
Scandunt eodem, quo dominus; neque
Decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra cura. Hor. Od. III. 1.

2.) Projice omnia ista (sc. curas hominum), si sapis, imo ut sapias, et ad bonam mentem magno cursu, ac totis viribus tende. Sen. ep. 17. (Humana.)

3.) Scandit aeratas vitiosa naves
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis et agente nimbos,
Ocyor Euro. Hor. Od. l. II. 16.

4.) Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. Hor. epist. l. I. 11

5.) Attenuant vigiles corpus miserabile curae.
Ovid. Metam. III. 396.

6.) Saepe ego tentavi curas depellere vino.
At dolor in lacrymas verterat omne merum.
Tibull. I. 5.

7.) Cuncta videns, magno curarum fluctuat aestu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. Virg. Aen. VIII. v. 19.
(Dubitatio.)

Curiositas.

1.) Percontatorem fugito; nam garrulus idem est.
Hor. epist. I. 18.

2.) M e n e d e m u s. Chreme! tantumne ab re tua est otii tibi?,
Aliena ut cures; ea, quae nihil ad te adtinent?
Ter. Heaut. I. 1.

Damnum.

1.) B a c c h i s. Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda aequum est ferre. Terent. Hecyr. V. 3.
(Jactura.)

2.) — — Felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo!
Tibull. III. 6. (Exemplum.

Debita.

Ne sit aes alienum, quod republicae noceat, providendum est; quod multis rationibus caveri potest: non si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum; nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides: quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.

Cic. off. II. 24. (Respublica. Fides.)

Debitum.

Davus. — — Adeo res redit!
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
Terent. Phormio. I. 2. (Nequitia; solutio.)

Decemviri.

Cum summa esset auctoritas in senatu, populo patiente atque parente, inita ratio est, ut et consules et tribuni plebis magistratu se abdicarent, atque ut decemviri maxima potestate, sine provocatione, crearentur, qui et summum imperium haberent et leges scriberent. Qui cum decem tabulas summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides, nec justitia laudata.

Cic. rep. II. 36. (Romani.)

Decentia.

1.) — — Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, puerove viriles:
Semper in adjunctis, aevoque morabimur aptis.
Hor. Pis. 176.

2.) Tanta est quaerendi cura decoris!
Juv. Satyr. 6.

3.) Hujus (sc. decori) vis ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam et quod decet, honestum est, et quod honestum est, decet. Qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intelligi, quam explanari potest. Quidquid est enim, quod decet, id tum adparet, cum antegressa est honestas. Cic. off. I. 27.

4.) Et ratione uti atque oratione prudenter, et agere, quod agas, considerate; omnique in re, quid sit veri, videre et tueri decet; contraque falli, errare, la-

bi decipi tam dedecet, quam delirare et mente esse captum. Cic. off. I. 27.

5.) Justitiae partes sunt, non violare homines; verecundiae, non offendere; in quo maxime perspicitur vis decori. Cic. off. I. 28.

6.) Status, incessus, sessio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum, aut molle, et ne quid durum aut rusticum sit.

Cic. off. I. 35.

7.) Nec vero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt, et irrident, quod ea, quae turpia re non sint, verbis flagitiosa dicamus; illa autem, quae turpia sint, nominibus adpellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterari re turpe est: sed dicitur non obscoene; liberis dare operam, re honestum est; nomine obscoenum.

Cic. off. I. 35. (Pudicitia.)

8.) Cavendum est autem, ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur; aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates: quae cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur; ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam.

Cic. off. I. 36.

9.) Ut venustas et pulchritudo corporis secerni non potest a valetudine, sic decorum totum illud quidem est cum virtute confusum; sed mente et cogitatione distinguitur, Cic. off. I. 27.

10.) Tum servare illud poëtas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit, et dicitur. Ut, si Aeacus aut Minos diceret: »Oderint, dum metuant.« indecorum videretur; quod eos fuisse justos accepimus. At Atreo dicente, plausus excitantur; est nempe digna persona oratio.

Cic. off. I. 28.

11.) Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet adprobationem eorum, quibuscum vivitur, ordine

et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum. Cic. off. I. 28.

Deceptio.

1.) — — Amphora coepit
Institui; currente rota, cur urceus exit?
Hor. Pison. 21.
2.) Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus.
Hor. Pis. 139.

Decus.

— — Ingenio stat sine morte decus.
Prop. III. 2. (Ingenium.)

Defensio.

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem;
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Propert. II. 5.

Defuncti.

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua; nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies. Virg. Aen. III. 493.

Defunctus.

1.) Cogita, nullis defunctum malis adfici. Illa, quae nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos in illa libertate tam laxa; nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtae, et vanis nos agitavere terroribus. Senec. lib. ad Marc. c. 19. (Orcus. Solatium.)

2.) Non ira eum torquebit (de mortuo loquitur), non morbus adfliget, non suspicio lacesset, non edax et inimica semper alienis processibus invidia, consectabitur, non metus sollicitabit, non levitas fortunae, cito munera sua transferentis, inquietabit.
Senec. lib. ad Polyb. c. 28. (Solatium.)

3.) Imago dumtaxat filii tui periit, et effigies non simillima; ipse quidem aeternus meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis et sibi relictus.
Senec. lib. ad Marc. c. 24. (Mors. Solatium.)

4.) Non est, quod ad sepulchrum filii tui curras; pessima ejus, et ipsi molestissima illic jacent, ossa cineresque; non magis illius partes, quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit, et totus excessit.

Sen. lib. ad Marc. c. 25. (Luctus. Sepulchrum.)

5.) Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. Excepit illum magna et aeterna pax: non paupertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non invidia felicitatis alienae tangitur, nec suae premitur, nec conviciis quidem ullis verecundae aures verberantur; nulla publica clades conspicitur, nulla privata; non sollicitus futuri pendet ex eventu, semper in deteriora dependenti. Tandem ibi constitit, unde nil eum pellat, ubi nil terreat. Senec. lib. ad Marc. c. 19.

(Elysium. Mors. Solatium. Coelum.)

6.) Fruitur nunc aperto et libero coelo; ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solitas vinculis animas beato recipit sinu; et nunc libere vagatur, omniaque rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit. Erras, non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est: omnibus illo nobis commune est iter. Quid fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit.

Senec. lib. ad Polyb. c. 28. (Luctus. Solatium.)

Delicatus.

— — Nulli major fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo dependere morsu;
Et semel adspecti litus dicebat echini.

Juvenal. Satyr. 4.

Dementia.

Nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum (i. e. insanitatem, et aegrotum animum, quam adpellarunt insaniam). Omnes autem perturbationes animi, morbos philosophi adpellant; negantque, stultum quemquam his morbis vacare; qui autem in morbo sunt, sani non sunt, et omnium insipientium animi in morbo sunt; omnes insipientes igitur insaniunt; sani-

tatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam adpellarunt insanam, propterea, quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non posset. Nec minus illud acute, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam eamdemque dementiam. Cic. tusc. Quaest. III. 4. et 5.
(Insania. Stultitia.)

Democratia.

1.) Scipio. Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse videbuntur fortasse angustiae, quum per populum agi dicuntur et esse in populi potestate omnia; quum de quocumque vult, supplicium sumit multitudo, quum agunt, rapiunt, tenent, dissipant, quae volunt; potesne tum, Laeli, negare, rem esse illam publicam, quum populi sint omnia, quoniam quidem populi esse rem volumus rempublicam? Tum Laelius, ac nullam quidem citius negaverim esse rempublicam, quam quae tota sit in multitudinis potestate; plane ut nobis non placebat Syracusis fuisse rempublicam, neque Agrigenti, neque Athenis, quum essent tyranni; neque Romae, cum Decemviri: nec video, qui magis in multitudinis dominatu reipublicae nomen adpareat; quia primum mihi populus non est, ut tu optime definisti, Scipio, nisi qui consensu juris continetur; sed est tam tyrannus iste conventus, quam si esset unus; hoc etiam taetrior, quia nihil ista, quae populi speciem et nomen imitatur, immanius bellua est.
Cic. rep. III. 33. (Regimen.)

2.) Regnum malo, quam liberum populum.
Cic. rep. III. 34. (Regnum.)

Democritus.

1.) Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit, nutare videtur in natura deorum. Tum enim censet imagines divinitate praeditas inesse universitati rerum: tum principia mentesque, quae sunt in eodem universo, deos esse dicit: tum animantes imagines, quae vel prodesse nobis solent, vel nocere: tum ingentes quasdam imagines, tantasque, ut universum mundum

complectantur extrinsecus. Quae quidem omnia sunt patria Democriti, quam Democrito, digniora.

Cic. nat. deor. I. 43. (Dii.)

2.) Quid loquor de Democrito? quem cum eo conferre possumus, non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi? Quis hunc philosophum non anteponit Cleanthi, Chrysippo reliquisque inferioris aetatis? qui mihi, cum illo collati, quintae classis videntur.

Cic. Academ. Quaest. IV. 23.

Demosthenes.

1.) Verum haec vis, quam quaerimus, quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum nen habemus; aut, si exempla sequimur, a Demosthene sumamus, et quidem perpetuae dictionis, ex eo loco, unde in Ctesiphontis judicio de suis factis, consiliis, meritis in rempublicam adgressus est dicere. Ea profecto oratio in eam formam, quae est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut major elequentia non requiratur.

Cic. Orat. c. 38. (Eloquentia.)

2.) Ne illud quidem intelligunt (sc. homines indocti, malevoli) non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, quum Demosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendi causa, ex tota Graecia fierent. Cic. Brut. 84. (Orator.)

3.) Plane quidem perfectum, et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verhorum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.

Cicer. Brutus. c. 9. (Orator.)

4.) Nihil illo oratore (de Demosthene sermo) arbitror cogitari posse divinius.

Cic. de optimo genere orat. c. 6.

5.) Demosthenes quidem nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil levitate Aeschini, et splendore verborum. Multae sunt ejus totae orationes subtiles, ut contra Leptinem; multae totae graves, ut quaedam philippicae; multae variae, ut contra Aeshinem, falsae legationis, ut contra eumdem

pro causa Ctesiphontis. Jam illud medium, quoties vult, arripit, et a gravissimo discedens, eo potissimum delabitur. Clamores tamen tum movet, et tum in dicendo plurimum efficit, quum gravitatis locis utitur.

Cic. Orat. cap. 31.

6.) Demosthenis non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur.

Cic. Orat. cap. 70. (Euphonia.)

Depositum.

1.) Et promissa non facienda non numquam: neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit; non reddere, officium. Cic. off. III. 25.

2.) Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae, reddas ne depositum? non, credo: facias enim contra republicam, quae debet esse carissima. Sic multa, quae honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta; facere promissa, stare conventis, reddere deposita commutata utilitate, fiunt non honesta. Cic. off. III. 25. (Circumstantiae.)

Depravatio.

1.) — — Genus hoc vivo jam decrescebat Homero:
Terra malos homines nunc educat atque pusillos;
Ergo Deus quicumque adspexit, ridet et odit.

Juven. Satyr. 15.

2.) — — — — Aliudque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora proboque;
Deteriora sequor.

Ovid. Metamorph. VII. 19. (Pravitas.)

3.) — — Qua terra patet, fera regnat Erinnys;
In facinus jurasse putes — —.

Ovid. Metam. I. 247.

4.) Numquam in tantum virtus exstinguitur, ut non certiores animo notas imprimat, quam ut illas eradat ulla mutatio. Ferae inter nos educatae, cum in silvas eruperunt, aliquid mansuetudinis pristinae retinent, tantumque a placidissimis absunt, quantum a veris feris et numquam humanam manum passis Nemo in summam nequitiam incidit, qui umquam haesit sapientiae; altius infectus est, quam ut ex toto elui et transire in colorem alium possit. Sen. benef. VII. 79.

Deprecatio.

Demiph. Quando jam adcusando fieri infectum non potest,
Ignosce; orat, confitetur, purgat; quid vis amplius?
Ter. Phorm. V. 9. (Excusatio.)

Desiderium.

1.) Movet lugentem desiderium ejus, quem dilexit.
Sen. lib. ad Marc. 19. (Luctus.)

2.) Illic est aptum nostrae navale carinae:
Et melius nulla stat mea puppis aqua.
Ovid. Heroid. Ep. 18.

3.) Me miserum, turba, quod non ego cernor in illa!
Ovid. ex Ponto. IV. 4.

Desidia.

1.) Mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non videtur.
Cic. nat. deor. II. 16. (Inertia.)

2.) Micio. Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos deos? Ter. Adelph. IV. 5. (Inertia.)

Desperatio.

1.) — — Magne pater Divom, miserere tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo;
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Virg. Aen. IX. 495.

2.) Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. Sen. clem. I. 12.

3.) Occurrunt animo pereundi mille figurae;
Morsque minus poenae, quam mora mortis habet.
Ovid. Heroid. Ep. 10.

4.) Una salus victis, nullam sperare salutem.
Virg. Aen. II. 354. (Salus.)

5.) Mortem orat; taedet coeli convexa tueri.
Virg. Aen. IV. 451.

6.) Quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insania mutat? Virg. Aen. IV. 495.

Destinatio.

1.) Quid est praecipuum (in rebus humanis) non admittere in animum mala consilia, puras ad coelum manus tollere; nullum petere bonum, quod, ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere; optare,

quod sine adversario optatur, bonam mentem; caetera magno aestimata mortalibus, etiam si quis domum casus adtulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerint.

Sen. quaest. natur. III. praef. (Sapientia.)

2.) Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
Quid sumus, et quid nam victuri gignimur; ordo
Quis datus, aut metae quam mollis flexus et unde;
Quis modus argento; quid fas optare; quid asper
Utile nummus habet; patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat; quem te Deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re.

Persii Satyr. 3.

3.) Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum.

Hor. ep. I. 18.

4.) Quid praecipuum in rebus humanis est? Non classibus maria complevisse, nec in rubri maris litore signa fixisse, nec deficiente terra ad injurias aliorum errasse in oceano, ignota quaerentem: sed animo omne vidisse, et, qua nulla est major victoria, vitia domuisse.

Sen. quaest. nat. III. praef. (Dominatio sui.)

5.) Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta;
Fama nec ex aequo ducitur una jugo.

Prop. III. 9.

6.) Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.

Prop. III. 9.

7.) Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renuciassent, hoc unum in extremam usque aetatem egerunt, ut vivere scirent; plures tamen ex his nondum se scire confessi, e vita abierunt. Sen. brev. vit. 7. (Vita.)

8.) Decernatur, et quo tendamus, et qua; non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quae procedimus; quoniam quidem non eadem hic, quae in caeteris peregrinationibus conditio est. In illis comprehensus aliquis limes et interrogati incolae non patiuntur errare; at hic tritissima quaeque via et celeberrima maxime decipit. Nihil ergo magis praestandum est, quam, ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur.

Sen. vit. beat. I. (Exemplum. Felicitas. Vita.)

9.) Tunc consummatum habet plerumque bonum sortis humanae (sc. virtus), cum calcato omni malo,

petit altum et in interiorem naturae sinum venit. Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere et totam cum auro suo terram; non illud tantum dico, quod egessit et signandum monetae dedit, sed et illud, quod in occulto servat posteriorum avaritiae.
Sen. quaest. natur. I. 1. (Philosophia. Scrutatio.)

10.) Nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quae magno adsensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Sen. vit. beat. I. (Exemplum. Felicitas. Vita.)

11.) Nos numerus sumus et fruges consumere nati.
Hor. ep. I. 2. (Nebulo.)

12.) Solemus dicere, summum bonum esse, secundum naturam vivere: — natura nos ad utrumque genuit, et contemplationi rerum et actioni.
Sen. d. otio. 31. (Philosophia.)

13.) Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides (loquitur defunctus Scipio Major ad vivum Minorem in somnio), quae terra dicitur: hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis: quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Cic. rep. VI. 15. Somn. Scip. (Homo. Sidera.)

14.) Quomodo res appetere, sine ullo virtutum amore, et sine cultu ingenii, ac nudas edere operas, minime probabile est (misceri enim inter se ista, et conferri debent) sic imperfectum ac languidum bonum est, in otium sine actu projecta virtus, numquam id, quod didicit, ostendens. Sen. d. otio. 32. (Virtus.)

15.) Simile tu putas esse, utrum cures, ut incorruptum a fraude advehentium et negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur, et concalescat, ut ad mensuram pondusque respondeat: an ad haec sacra et sublimia accedas, sciturus, quae natura sit diis, quae voluntas, quae conditio, quae forma? quis animum tuum casus exspectet, ubi nos a corporibus dimissos natura componat? quid sit, quod hujus mundi gravissima quaeque in medio sustineat, supra levia suspendat, in summum ignem ferat, sidera cursibus suis excitet? Caetera deinceps ingentibus plena miraculis. Vis tu, relicto solo, mente ad ista re-

spicere? Nunc dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Exspectat te in hoc genere vitae multum bonarum artium, amor virtutum atque usus, cupiditatum oblivio, vivendi atque moriendi scientia, alta rerum quies. Sen. brev. vit. 19.

(Philosophia. Scrutatio. Sapientia.)

16.) Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur; sed ad severitatem potius, et ad quaedam studia graviora atque majora. Ludo autem et joco uti illo quidem licet; sed sicut somno et quietibus caeteris; tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Cic. off. I. 29.

(Ludus. Jocus. Seria.)

Deus.

1.) Inprimis venerare Deos. Virg. Georg. I. 338.

2.) Deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? Cic. nat. deor. I. 10.

3.) Philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat, postea, cum vidissent motus ejus finitos et aequabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem, et moderatorem, et tamquam architectum tanti operis, tautique muneris. Cic. nat. deor. II. 35. (Mundus.)

4.) De Platonis inconstantia longum est dicere, qui in Timaeo patrem hujus mundi nominari neget posse: in legum autem libris, quid sit omnino deus anquiri oportere non censeat. Quod vero sine corpore ullo deum vult esse, ut Graeci dicunt, ἀσώματον; id quale esse possit, intelligi non potest.

Cic. nat. deor. I. 12. (Plato.)

5.) Vide, quaeso, si omnes (loquitur Academicus contra Stoicum) motus, omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conservant, divina dicimus, ne tertianas quidem febres, et quartanas, divinas esse dicendum sit, quarum reversione et motu quid potest esse constantius? Cic. nat. deor. III. 10.

6.) Nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat.

Cic. Leg. I. 8.

7.) Xenophon facit in iis, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere: eundemque et solem, et animum deum dicere: et modo unum, tum autem plures deos; quae sunt iisdem in erratis fere, quibus ea, quae de Platone diximus. Cic. nat. deor. I. 12. (Xenophon.)

8.) Roges me, quid, aut quale sit deus: auctore utar Simonide: de quo cum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit; cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Cic. nat. deor. I. 22. (Simonides.)

9.) Nihil est, quod deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo. Cic. nat. deor. III. 39.

10.) Mitte arcana Dei, caelumque inquirere quid sit:
Quum sis mortalis, quae sunt mortalia, cura.
Cat. Dist. II. 2. (Scrutatio.)

11.) Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius?

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem; illum vero et Jovem, et dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et, ut idem Ennius,

— — — patrem divumque, hominumque,

et praestantem et praepotentem deum. Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, caeteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? opinionum enim commenta delet dies: naturae judicia confirmat.

Cic. nat. deor. II. 2.

12.) Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quae dicuntur a me comprobare? possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra? aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus, discessusque solstitiis brumisque cognosci? aut aestus maritimi, fretorumque angustiae ortu aut obitu lunae commoveri? aut una totius coeli conversione cursus astrorum dispares conservari? haec ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno divino et continuato spiritu continerentur. Cic. nat. deor. II. 7.

13.) Subjectam putant (sc. Academici) omnibus sine ulla specie, atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando usitatius hoc verbum et tritius) materiam quandam, ex qua omnia expressa atque efficta sint; quae tota omnia accipere possint, omnibusque modis mutari, atque ex omni parte; eoque etiam interire, non in nihilum, sed in suas partes, quae infinite secari ac dividi possint, cum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat: quae autem moveantur, omnia intervallis moveri; quae intervalla item infinite dividi possint. Et cum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse diximus, et cum sic ultro citroque versetur; et materiam ipsam totam penitus commutari putant et ita effici, quae adpellant qualia, e quibus in omni natura cohaerente et continuata cum omnibus suis partibus effectum esse mundum; extra quem nulla pars materiae sit nullumque corpus: partes autem esse mundi omnia, quae insint in eo, quae natura sentiente teneantur; in quá ratio perfecta insit, quae sit eadem sempiterna; nihil enim valentius esse, a quo intereat: quam vim animum esse dicunt mundi, eamdemque esse mentem sapientiamque perfectam, quem Deum adpellant, omniumque rerum, quae sunt ei subjectae, quasi prudentiam quandam, procurantem coelestia maxime; deinde in terris ea, quae pertinent ad homines: quam interdum eandem necessitatem adpellant, quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit, inter quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnumquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa haec, nec opina-

ta nobis, propter obscuritatem ignorationemque causarum. Cic. Academ. quaest. I. 7.

(Mundus. Philosophia. Plato.)

14.) Eundem (omnes), quem nos, Jovem intelligunt, custodem rectoremque universi, animum ac spiritum, mundani hujus operis Dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia; causa causarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices. Est enim, cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia; cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua. Sen. quaest. nat. II. 45. (Jupiter.)

15.) Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Hor. Od. III. 3.

16.) Est aliquid spectare deos, et adesse putare;
Et quasi: cum vero numine posse loqui.

Ovid. ex Ponto. II. 8.

17.) Nisi enim, quod numquam vidimus, id quale sit, intelligere possumus; certe et Deum ipsum et divinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti non possumus. Cic. Tusc. quaest. I. 22.

18.) Deum colit, qui novit. Senec. ep. 95.

19.) Non quaerit ministros Deus. Quidni? ipse humano generi ministrat; ubique est omnibus praesto.

Sen. ep. 95.

20.) Firmissimum hoc adferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur. Nec vero id colloquutio hominum aut consensus effecit; non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.

Cic. Tusc. quaest. I. 13.

21.) Deos nemo sanus timet; furor est enim metuere salutaria; nec quisquam amat quos timet.

Sen. benef. IV. 19.

22.) Equidem tunc naturae rerum gratias ago, cum disco, quae universi materia sit, quis auctor, aut custos; quid sit Deus, totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit; pars mundi sit, an mundus; liceat illi hodieque decernere et ex lege fatorum aliquid derogare, an majestatis deminutio sit et confessio erroris mutanda fecisse. Necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt; nec ab hoc minus liber et potens est: ipse enim est necessitas sua.

Sen. quaest. natur. I. 1. (Philosophia. Scrutatio.)

23.) Quid est Deus? mens universi. Quid est Deus? quod vides totum et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua ille redditur, qua nihil majus excogitari potest, si solus est omnia; opus suum et extra et intra tenet. Sen. quaest. natur. I. praef.

24.) Quid interest inter naturam Dei et nostram? Nostri melior pars animus est; in illo nulla pars extra animum: totus ratio est.

Sen. quaest. natur. I. praef.

25.) Ne miremur, tam tarde erui, quae tam alte jacent. Sen. quaest. natur. VII. 30. (Difficilia.)

26.) Non omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota operis tanti nostris oculis committitur? Ipse, qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa se, major est pars operis sui, ac melior, effugitque oculos; cogitatione visendus est.

Sen. quaest. nat. VII. 30. (Mundus.)

27.) Egregie Aristoteles ait, namquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Diis agitur. Si intramus templa compositi; si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus; si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, aut ignorantes adfirmemus aut scientes mentiamur?

Sen. quaest. nat. VII. 30. (Religio.)

28.) — Immensa est finemque potentia coeli
Non habet, et quidquid Superi voluere, peractum est. Ovid. Metamorph. VIII. 18.

29. Cura pii dîs sunt, et qui coluere, coluntur.
Ovid. Metamorph. VIII. 724. (Pietas.)

30.) Non sunt ad coelum elevandae manus, nec exorandus aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: prope est a te Deus, tecum est, intus est. Sen. ep. 47.

31.) Adspiciunt oculis Superi mortalia justis.
Ovid. Metam. XIII. 70.

Deus vindex.

Ad coërcendos animos imperitorum sapientissimi viri judicaverunt inevitabilem metum, — ut supra nos aliquid timeremus. Utile erat in tanta audacia scelerum aliquid esse, adversum quod nemo sibi satis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus innocentia, nisi metu, non placet, posuere super caput vindicem, et quidem armatum.
Sen. quaest. nat. II. 42.

Dexteritas.

Seu linguam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres hederae victricis praemia.
Hor. ep. I. 3.

Difficilia.

1.) Non semel quaedam sacra traduntur: Eleusis servat, quae ostendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non simul tradit. Initiatas nos credimus; in vestibulo ejus haeremus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent: reducta et in interiore sacrario clausa sunt. Ex quibus aliud haec aetas, aliud, quae post nos subibit, adspiciet. Sen. quaest. nat. VII. 31. (Natura.)

2.) Quando ista (de cognitione naturae rerum loquitur) in notitiam nostram perducentur? Tarde magna proveniunt, utique, si labor cessat.
Sen. quaest. natur. VII. 37. (Natura.)

Syrus. Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet. Ter. Heaut. IV. 2.

Difficultates.

Non, quia difficilia sunt, non audemus; sed quia non audemus, difficilia sunt.

Sen. epist. 104.

Diffidentia.

1.) Hegio. Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt, nescio, quo modo,
Suspiciosi; ad contumeliam omnia accipiunt magis;
Propter suam impotentiam se semper credunt ludier.

Ter. Adelph. IV. 3. (Infelix. Suspicio)

2.) O turpem humano generi fraudis ac nequitiae publicae confessionem! annulis nostris plus, quam animis, creditur. Sen. benef. III. 15.

Dignitates.

Nemo est, praesertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem; sed vincit utilitas plerumque, quum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri.

Cic. de orat. II. 82. (Honores.)

Dii.

1.) Nota est diis operis sui series; omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est; nobis ex abdito subit, et quae repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria.

Sen. benef. IV. 32.

2.) Ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum; quo quidem loco convocandi omnes videntur, qui, quae sit earum vera, judicent. Itaque mihi libet axclamare, ut Statius in Synephebis:

Pro deûm, popularium omnium, omnium adolescentium
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem!

non levissima de re, ut queritur ille,

Fieri in civitate facinora capitalia:
Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult:

Sed ut adsint, cognoscant, quid de religione, pietate, sanctitate, caeremoniis, fide, jure jurando; quid de templis, delubris, sacrificiisque solemnibus; quid de ipsis anspiciis, quibus nos praesumus, existi-

mandum sit; haec enim omnia ad hanc de diis immortalibus quaestionem referenda sunt.

Cic. de nat. deor. I. 6. (Religio.)

3.) Esse deos ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanae mentis existimem.

Cic. nat. deor. II. 16.

4.) Solus Epicurus vidit, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus.

Cic. nat. deor. I. 16. (Epicurus.)

5.) Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant: ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum; ex quo illud Terentii.

Sine Cerere et Libero friget Venus.

Cic. nat. deor. II. 23.

6.) Praeclare Aristoteles, »Si essent,« inquit »qui »sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus »domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, »instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, »qui beati putantur, nec tamen exissent umquam su»pra terram: accepissent autem fama et auditione, esse »quoddam numen, et vim deorum: deinde aliquo tem»pore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedi»bus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque »exire potuissent: cum repente terram, et maria, cae»lumque vidissent; nubium magnitudinem, ventorum»que vim cognovissent, adspexissentque solem, ejusque »tum magnitudinem, pulchritudinem, tum etiam effi»cientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto »caelo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset, »tum caelum totum cernerent astris distinctum et or»natum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, »tum senescentis eorumque omnium ortus et accasus, at»que in omnia eternitate ratos immutabilesque cursus: »haec cum viderent, profecto et esse deos, et haec tan»ta opera deorum esse arbitrarentur.« Cic. nat. deor. II. 37.

7.) Quaerere a nobis (Epicureus ad Stoicum), Balbe, soletis, quae vita deorum sit, quaeque ab iis de-

gatur aetas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest; nihil enim agit: nullis occupationibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientia et virtute gaudet: habet exploratum, fore se semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus. Hunc deum rite beatum dixerimus; vestrum vero laboriosissimum; sive enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est: sive in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras et maria contemplans, hominum commoda vitasque tueatur: nae ille est implicatus molestis negotiis et operosis. Cic. nat. deor. I. 19. 20.

(Epicurei. Stoici.)

8.) Inter omnes omnium gentium sententia constat: (omnibus enim innatum est, et in animo quasi insculptum) esse deos. Quales sint, varium est; esse nemo negat. Cic. nat. deor. II. 4.

9.) De forma quidem (sc. deorum) partim natura nos admonet, partim ratio docet; nam a natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam, nisi humanam, deorum; quae enim alia forma occurrit umquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti?

Cic. nat. deor. I. 18.

10.) Hominis esse (loquitur Epicureus) specie deos confitendum est. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. Cic. nat. deor. I. 18.

Dilatio.

1.) Impendio vitae vitam instruunt; cogitationes suas in longum ordinant; maxima porro vitae jactura dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem; illa eripit praesentia, dum ulteriora promittit.

Sen. brev. vit. 9. (Vita.)

2.) Maximum vivendi impedimentum est exspectatio, quae pendet ex crastino. Perdis hodiernum; quod in manu fortunae positum est, disponis: quod in tua,

dimittis: Quo spectas? quo te extendis? Omnia, quae ventura sunt, in incerto jacent; protinus vive.

Sen. brev. vit. 9. (Vita.)

Diligentia.

1.) Roscius quidem scenicae industriae notissimum exemplum, nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendavit: nec vulgi tantum favorem, verum etiam principum familiaritates amplexus est. Haec sunt attenti et anxii et nunquam cessantis studii praemia: propter quae tantorum virorum laudibus non impudenter se persona histrionis inseruit. Val. Max. VIII. 7. (Actor.)

2.) P. Crassus, cum in Asiam ad Aristonicum regem debellandum consul venisset, tanta cura Graecae linguae notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quae res maximum ei sociorum amorem conciliavit, qua quis eorum lingua apud tribunal illius postulaverat, eadem decreta reddenti.

Val. Max. VIII. 7.

3.) Carneades, laboriosus et diuturnus sapientiae miles, (si quidem nonaginta expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit), ita se mirificum doctrinae operibus addixerat, ut, cum cibi capiendi caussa recubuisset, cogitationibus inhaerens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur. Sed eum Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellandi, sed inediae succurrendi officio dexteram suam necessariis usibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur, corpore vero quasi alieno et supervacuo circumdatus erat. Val. Max. VIII. 7. (Carneades.)

4.) Demosthenes, cujus commemorato nomine, maximae eloquentiae consummatio audientis animo oboritur, cum inter initia juventae, artis, quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut ea a nullo expressius efferretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum et gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmita-

te defectus, quas corporis habitus vires negaverat, a labore mutuatus est. Multos enim versus uno impetu spiritus complectebatur, eosque, adversa loca celeri gradu scandens, pronuntiabat. Ac vadosis littoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis auribus (in actionibus) uteretur. Fertur quoque ore insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quo vacuum promptius esset et resolutius. Proeliatus est contra rerum naturam, et quidem victor abiit, malignitatem ejus partinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est. Val. Max. VIII. 7.

5.) Jam Solon quanta industria flagraverit, et versibus complexus est, quibus significat, se quotidie aliquid addiscentem senescere, et supremo vitae die confirmavit, quum, assidentibus amicis et quadam de re sermonem inter se conferentibus, satis jam pressum caput erexit, interrogatusque, qua propter id fecisset, respondit: ut, cum istud, quicquid est, de quo (jam) disputatis, percepero, moriar. Migrasset profecto ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingrederemur, quo eam Solon egressus est. Val. Max. VIII. 7. (Solon)

6.) Te quoque, Cleanthe, tam laboriose haurientem, et tam pertinaciter tradentem sapientiam, numen ipsius industriae suspexit, cum adolescentem quaestu extrahendae aquae nocturno tempore inopiam tuam sustentantem diurno Chrysippi praeceptis percipiendis vacantem eundemque ad undecentessimum annum attenta cura erudientem auditores tuos videret. Duplici enim labore unius seculi spatium occupasti, incertum reddendo, discipulusne an praeceptor esses laudabilior. Val. Max. VIII. 7. (Cleanthes.)

7.) Ut longae et felicis industriae quasi in unum acervum exempla redigamus, Isocrates nobilissimum librum, qui inscribitur Παναθηναικος, quartum et nonagesimum annum agens, ut ipse significat, composuit, opus ardentis spiritus plenum. Ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum, intus animos industriae beneficio florem juventae retinere. Neque hoc stilo terminos vitae suae clausit: namque admirationis ejus fructum quinquennio percepit. Val. Max. VIII. 7.

(Isocrates.)

8.) Venturae memores jam nunc estote senectae:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Ovid. ars. amat. l. III.

9.) Haec (nempe diligentia) praecipue colenda est nobis; haec semper adhibenda; haec nihil est, quod non adsequatur. Cic. de orat. II. 35. (Industria.)

Diogenes.

At vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset: Nunc quidem paullulum, inquit, a sole; offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret; sibi nihil deesse, illi nihil satis umquam fore; se ejus voluptates numquam desiderare, quibus numquam satiari ille posset: suas eum consequi nullo modo posse.
Cic. Tusc. quaest. V. 32. (Frugalitas.)

Disceptatio.

Quoniam in omnibus, quae ratione docentur et via, primum constituendum est, quid quidque sit; nisi enim inter eos, qui disceptant, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur; nec recte disseri, nec umquam ad exitum perveniri potest) explicanda est saepe verbis mens nostra de quaque re, atque involutae rei notitia definiendo aperienda est; siquidem definitio est oratio, quae, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Cic. Orat. 33. (Orator. Definitio.)

Discere.

Quid, quod etiam addiscunt (sc. senes) aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se, quotidie aliquid addiscentem, senem fieri dicit: ut ego feci (sc. Cato), qui Graecas litteras senex didici.
Cic. Sen. 8. (Senectus. Solon.)

Disciplina militaris.

1.) Papirius dictator, cum adversus imperium ejus Q. Fabius Rullianus, magister equitum, exercitum in aciem eduxisset, quanquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque virtute ejus, neque successu, neque nobilitate motus, virgas expediri eumque nudari jussit. O spectaculum admirabile: Rullianus et

magister equitum, et victor scissa veste spoliatoque corpore, lictorum verberibus lacerandus; ut in acie exceptorum vulnerum nodosis ictibus cruore renovato, victoriarum, quos modo speciosissimos erat adeptus, titulos respergeret. Precibus deinde suis exercitus occasionem Fabio confugiendi in urbem dedit; ubi frustra senatus auxilium imploravit. Nihilominus enim Papirius in exigenda poena perseveravit: itaque coactus est pater ejus post dictaturam tertiumque consulatum, rem ad populum devocare, auxiliumque tribunorum plebis supplex pro filio petere. Neque hac re severitas Papirii refrenari potuit; caeterum cum ab universis civibus et ipsis tribunis plebis rogaretur, testatus est, non poenam illam se Fabio, sed populo Romano, et tribunitiae concedere potestati. Val. Max. II. 7.

2.) Haesitante animo vos, bellicarum rerum severissimi custodes, Postumi Tuberte et Manli Torquate, memoria ac ratione complector, quia animadverto, fore ut, pondere laudis, quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenii mei detegam, quam vestram virtutem, sicut par est, repraesentem. Tu namque, Postumi dictator, A. Postumium, quem ad generis penetraliumque sacrorum successionem propagandam genueras, cujus infantiae blandimenta sinu atque osculis foveras, quam puerum literis, quem juvenem armis instruxeras, sanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriae, quia, non tuo jussu, sed sua sponte praesidio progressus, hostes fuderat, victorem securi feriri jussisti, et ad hoc peragendum imperium, paternae vocis ministerio sufficere valuisti. Nam oculos tuos, certum scio, clarissima in luce tenebris offusos ingens animi opus intueri nequivisse. Tum item, Manli Torquate, Latino bello consul, filium, quod provocatus a Gemino Metio duce Tusculanorum ad dimicandum te ignaro descenderat, gloriosam victoriam et speciosa spolia referentem, abripi a lictore, et in modum hostiae mactari jussisti: satius esse indicans, patrem forti filio quam patriam militari disciplina carere.

Val. Max. II. 7.

3.) P. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago avitum cognomen dedit, consul in Hispaniam missus, ut insolentissimos Numantiae urbis spiritus, superiorum ducum culpa nutritos, contunderet, eodem temporis

momento, quo castra intravit, edixit: ut omnia ex his, quae voluptatis caussa comparata essent, auferrentur ac summoverentur. Constat, tum maximum inde institorum et lixarum numerum cum duobus millibus scortorum abiisse. Hac turpi atque erubescenda sentina vacuefactus noster exercitus, qui paulo ante metu mortis, deformi se foederis ictu maculaverat, erecta virtute recreataque acrem illam et animosam Numantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo aequavit.
Val. Max. II. 7.

Discordia.

1.) Dissidium vobis proximus annus erit.
Prop. II. 24.

2.) Mille hominum species, et rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Persii Satyr. 5.

3.) — Jam serpentum major concordia; parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam: saevis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum laetale incude nefanda
Produxisse parum est; cum rastra et sarcula tantum
Assueti coquere et marris as vomere lassi
Nescierint primi gladios extundere fabri.
Juv. Sat. 15. (Bellum.)

Discrepantia.

Hegio. Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos. Ter. Phorm. II. 4. (Judicium.)

Discrimen.

1.) Hoc aliud longe est, inquit, qui cepe serebat.
Lucil.

2.) Aliter cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit; quibusdam nomina opponenda sunt, et auctoritas, quae liberum non relinquat animum, ad speciosa stupentem. Sen. lib. ad Marc. 2. (Solatium.)

3.) Micio. — — Multa in homine, Demea,
Signa insunt, quibus ex conjectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, saepe ut possis dicere:

Hoc licet impune facere huic, illi non licet;
Non, quo dissimilis res sit, sed quo is, qui facit.
Ter. Adelph. V. 3. (Persona.)

Disputatio.

1.) Omnis enim, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio, debet a definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.
Cic. off. I. 2. (Definitio.)

2.) Id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo: ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur; ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligant.
Cic. de oratore. I. 48.

3.) Non tam auctoritatis, in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt: quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum qui se docere profitentur: desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, ipse dixit; ipse autem erat Pythagoras; tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.
Cic. nat. deor. I. 5. (Auctoritas.)

4.) Ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si errorem velis tollere, ut ejus rei, de qua quaeretur, si nomen, quod sit conveniat; explicetur, quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem: numquam enim, quale sit illud, de quo disputabitur, intelligi poterit, nisi, quod sit, fuerit intellectum prius. Cic. de republ. I. 24. (Explicatio.)

Dissensio.

1.) Attic. Me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gellium, familiarem tuum, cum proconsule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum convocasse, ipsisque magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum; quod si essent eo ani-

mo, ut nollent aetatem in litibus conterere; posse rem convenire: et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire.

Cic. Leg. I. 20. (Philosophi.)

2.) Et vero in dissensione civili, cum boni plus, quam multi valent, expendendos cives, non numerandos puto. Cic. rep. VI. 1.

3.) Profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio.

Cic. nat. deor. I. 6. (Dubitatio.)

Dissimulatio.

Si quid vidisti; semper vidisse negato;
Aut si quid doluit forte, dolere nega.

Prop. II. 18.

Distantia.

Quid potest esse sole majus, quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse, quam terram? (Et tamen ex tanta distantia) quantulus nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis.

Cic. Acad. quaest. IV. 26. (Sol.)

Diu.

Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum; cum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis. Horae quidem cedunt, et dies, et menses, et anni: nec praeteritum tempus umquam revertitur, nec quid sequatur, sciri potest; quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocumque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad Plaudite vivendum. Cic. Sen. 19. (Tempus. Virtus. Vita.)

Dives.

1.) Dives agris, dives positis in foenore nummis.

Hor. Satyr. I. 2.

2.) Animus hominis, dives, non arca appellari solet; quamvis illa sit plena; dum te inanem videbo, divitem non putabo. Cic. Parad. VI.

3.) Animus oportet tuus te judicet divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae.
Cic. Parad. VI.

Divinatio.

1.) Aristoteles quidem eos etiam, qui valitudinis vitio furerent, et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum. Ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis. Animi enim integri, non vitiosi corporis, est divinatio. Cic. div. I. 38. (Aristoteles.)

2.) Quam (sc. divinationem) quidem esse re vera, hac Stoicorum ratione concluditur. Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, quae futura sunt; aut non diligunt homines; aut, quid eventurum sit, ignorant; aut existimant, nihil interesse hominum, scire, quid futurum sit; aut non censent esse suae majestatis, praesignificare hominibus, quae sunt futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta et designata sunt, neque nostra nihil interest, scire ea, quae eventura sunt; erimus enim cautiores, si sciemus. Neque hoc alienum ducunt majestate sua; nihil est enim beneficentia praestantius: neque non possunt futura praenoscere. Non igitur sunt dii, nec significant futura. Sunt autem dii, significant ergo: et non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam; frustra enim significarent: nec, si dant vias, non est divinatio; est igitur divinatio. Cic. div. I. 38.

3.) Gentem quidem nullam video, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quae non significari futura, et a quibusdam intelligi, praedicique posse censeat.
Cic. div. I. 1. (Praesagia.)

4.) Chaldaei diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset.
Cic. div. I. 1. (Chaldaei.)

5.) Quae est autem gens, aut quae civitas, quae non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut

vaticinationum, (haec enim duo naturalia putantur) praedictione moveatur? quarum quidem rerum eventa magis arbitror, quam causas quaeri oportere; est enim vis et natura quaedam, quae cum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat. Cic. divin. I. 6.

6.) Vide igitur, ne, etiam si divinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam, neminem tamen divinum reperire possimus. Cic. div. II. 64.

7.) Non est igitur, ut mirandum sit, ea praesentiri a divinantibus, quae nusquam sint; sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur: sic in causis conditae sunt res futurae; quae esse futuras aut concita mens aut soluta somno, cernit: aut ratio, aut conjectura praesentit. Cic. div. I. 56.

8.) Non habeo denique (loquitur Ennius) nauci
Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somniûm.
Non enim sunt ii aut scientia, aut arte divini,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli.
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat.
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera. Cic. div. I. 58.

9.) Rex Prusias cum Annibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, carunculae vitulinae mavis, quam imperatori veteri credere? Cic. div. II. 24.

10.) Quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optimum virum, Dejotarum regem, commemorem? qui nihil umquam nisi auspicato gerit: qui, cum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset, aquilae admonitus volatu; conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe revertit ex intinere, cum jam progressus esset multorum dierum viam.

Cic. div. I. 15. (Augurium.)

Divites.

Davus. Quam inique comparatum est! Ii, qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus.
Ter. Phorm. I. 1. (Pauperes.)

Divitiae.

1.) Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Cic. Parad. VI.

2.) Quis dubitet, quin in virtute divitiae sint?
Cic. Parad. VI. (Virtus.)

3.) Nemo nascitur dives. Quisquis exit in lucem, jussus est lacte et panno esse contentus. Ab his initiis nos regna non capiunt. Sen. ep. 20.
(Incontentus animus.)

4.) Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, numquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Sen. ep. 16. (Paupertas.)

5.) Nil feret ad manes divitis umbra suos.
Ovid. trist. V. 15.

6.) Tantis parta malis cura majore metuque
Servantur. Misera est magni custodia census.
Juv. Satyr. 14.

7.) Nempe dat id, (divitias sc.) cuicumque libet fortuna, rapitque;
Irus et est subito, qui modo Croesus erat.
Ovid. trist. III. 8.

8.) Expetuntur autem divitiae, cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates.
Cic. off. I. 8.

9.) Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps vellet esse, cujus fructibus exercitum alere non posset.
Cic. off. I. 8. (Crassus.)

10.) Inter potiora divitiae sunt. Quid ergo, inquis, me derides, cum eumdem apud te locum habeant, quem apud me? Vis scire, quam non habeant eundem locum? Mihi divitiae, si effluxerint, nihil auferent, nisi semet ipsas: tu stupebis, et videberis tibi sine te relictus, si illae a te recesserint. Apud me divitiae aliquem locum habent: apud te summum; ad postremum, divitiae meae sunt; tu divitiarum es. Sen. Vit. beat. 22.
(Philosophus. Vituperator.)

11.) Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Hor. epist. I. 2.

12.) Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Juven. satyr. 10. (Metus.)

13.) — — Nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.
Juv. satyr. 10.

14.) Virtus, fama, decus divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam et rex,
Et quidquid volet. Hor. satyr. II. 3.

15.) An dives, omnes quaerimus, nemo, an bonus.
Sen. ep. 115.

16.) Non quare et unde, quid habeas, tantum rogant.
Sen. ep. 115.

17.) Necessariis rebus et exilia sufficiunt; supervacuis nec regna. Animus est, qui divites facit.
Sen. ad Helv. matr. de cons. c. 11.

18.) Divitiae inflant animos, superbiam pariunt, invidiam contrahunt, et usque eo mentem alienant, ut fama pecuniae nos etiam nocitura delectet.
Sen. ep. 78.

19.) — — — In mare proximum
Gemmas et lapides, aurum et inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus. Hor. Od. III. 24.

20.) Divitias nego bonum esse; nam si essent, bonos facerent. Nunc quoniam, quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest, hoc illis nomen nego; caeterum et habendas esse, et utiles, et magna commoda adferentes, fateor. Sen. vit. beat. 24.

21.) Divitiae apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio. Sen. vit. beat. 26.

22.) Sapienti quisquis abstulerit divitias, omnia illi sua relinquet: vivit enim praesentibus laetus, futuri securus. Sen. vit. beat. 26. (Sapiens.)

23.) Desine philosophis pecunia interdicere; nemo sapientiam paupertate damnavit. Habebit philosophus amplas opes; sed nulli detractas, nec alieno sanguine

cruentas, sine cujusquam injuria partas, sine sordidis quaestibus, quarum tam honestus sit exitus, quam introitus; quibus nemo ingemiscat, nisi malignus.

Sen. vit. beat. 23. (Philosophus. Vituperator.)

24.) Neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis maximeque reipublicae; singulorum enim facultates et copiae, divitiae sunt civitatis. Cic. off. III. 15.

25.) Sed corrupti mores, depravatique sunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo quid ad unum quemque nostrum pertinet? Illum fortasse adjuvat, qui habet: ne id quidem semper; sed fac juvare: utentior sane sit: honestior vero quomodo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitiae, quo minus juvetur, modo ne adjuvent: sitque omne judicium, non quam locuples, sed qualis quisque sit. Cic. off. II. 20.

Divitiarum contemtus.

— — — Quid simile isti (sc. avaro)
Graecus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Lybia, quia tardius irent.
Propter onus segnes.

Hor. sat. II. 3. (Aristippus.)

Doctrina.

1.) Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Persii. sat. 1.

2.) Quam pulchrum est digito monstrari et dicier: hic est. Persii. sat. 1. (Gloria.)

3.) Instrue praeceptis animum, nec discere cesses;
Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.

Cat. Dist. III. 1. (Discere.)

4.) Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus. Ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. Cic. tusc. quaest. II. 5. (Philosophia.)

5.) Loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare. Cic. tusc. quaest. V. 37.

6.) Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

Hor. ep. I. 1.

7.) Illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semper esse in omni orationis ratione versatos. Ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam venissit, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem et poëtarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est conjectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praeclarissimis artibus adpetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. Cic. de oratore III. 32.

(Doctus. Scientiae.)

Doctus.

— — — Unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte.
Virg. Aen. Lib. V. v. 705.

Dolor.

1.) — — — Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis volgare dolorem?
Virg. Aen. X. 63.

2.) Ad ferendum dolorem placide et sedate plurimum proficit, toto pectore, ut dicitur cogitare, quam id honestum sit; sumus enim natura, ut ante dixi (dicendum est enim saepius) studiosissimi adpetentissimique honestatis. Cic. tusc. quaest. II. 24. (Honestas)

3.) Si fletibus fata vincuntur, conferamus; eat omnis inter luctus dies; noctem sine somno tristitia consumat; ingerantur lacerato pectori manus, et in ipsam faciem impetus fiat, atque omni se genere saevitiae profecturus moeror exerceat. Scd si nullis planctibus defuncta revocantur; si sors immota, et in aeternam fixa, nulla miseria mutatur, et mors tenet, quidquid abstulit; desinat dolor, qui perit.

Sen. lib. ad. Marc. c. 6. (Luctus. Solatium.)

4.) Tristitia inhabilis est ad dispiciendos res, utilia excogitanda, aequa aestimanda.
Sen. clement. II. 5. (Luctus. Tristitia.)

5.) Vim suam dolor perdit in eo, qui ultra sensum mali miser est. Sen. quaest. nat. III. 27. (Miser.)

6.) Ponamus nimias gemitus; flagrantior aequo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Juv. Satyr. 13.

7.) Est aliquis et dolendi decor: hic sapienti servandus est; et quemadmodum in caeteris rebus, ita et in lacrymis aliquid sat est. Sen. ep. 99. (Lacrymae.)

8.) Durum! sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas. Hor. I. 24.

9.) Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus Melpomene; cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit. Hor. I. 24.

10.) Illud quoque te non minimum adjuverit, si cogitaveris, nulli minus gratum esse dolorem tuum, quam ei, cui praestari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit. Nulla itaque ejus officii ratio est, quod ei, cui praestatur, si nihil sentit, supervacuum est, si sentit, ingratum. Sen. lib. ad Polyb. 23.
(Luctus. Solatium.)

11.) Est autem hoc ipsum solatii loco, inter multos dolorem suum dividere; qui, quia dispensatur inter plures, exigua debet apud te parte subsidere.
Sen. lib. ad Polyb. 31. (Solatium. Sympathia.)

12.) Nihil est difficilius, quam magno dolori paria verba reperire. Sen. lib. ad Polyb. 22.

13.) Satis praestiterit ratio, si id unum ex dolore, quod et superest et abundat, exciderit; nam ut quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum ulli nec concupiscendum est. Sen. lib. ad Polyb. 37.

14.) Quis tam demens, ut sua voluntate moereat? Natura adfert dolorem. Cic. tusc. quaest. III. 29.
(Luctus.)

15.) Illud quoque te non minimum adjuverit, si cogitaveris, nil profuturum dolorem tuum; nec illi, quem desideras, nec tibi. Sen. lib. ad Polyb. 21.
(Luctus. Solatium.)

16.) Solebat narrare Pompejus, se, quum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium;

sed quum audivisset, eum graviter esse aegrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere: quem ut vidisset et salutavisset, honorificisque verbis prosequutus esset, molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire: at ille, Tu vero, inquit, potes; nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, eum graviter et copiose de hoc ipso, Nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputavisse: cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: Nihil agis dolor; quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum.

Cic. Tusc. quaest. II. 25.)

Dolores.

Et voluptates blandissimae dominae, majores partes animi a virtute detorquent; et dolorum cum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiae, paupertas, omnes homines vehementissime permovent. Cic. off. II. 10. (Voluptates.)

Dolus.

Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Hor. Pis. 437. (Cautio.)

Dominatio.

1.) Potest enim, dii immorteles! cuiquam esse utile foedissimum et taeterrimum parricidium patriae: quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus Parens nominetur. Cic. off. III. 21. (Regnare.)

2.) Non habeo, ad vulgi opinionem, quae major utilitas, quam regnandi, esse possit: nihil contra inutilius ei, qui id injuste consecutus sit, invenio, cum ad veritatem coepi revocare rationem; possunt enim cuiquam esse utiles, angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum, periculorumque plenissima? Cic. off. III. 21. (Regnare.)

3.) Disputatur certe acerrime atque fortissime in libris de republica adversus injustitiam pro justitia. Et quoniam cum prius ageretur pro injustitiae partibus contra justitiam, et diceretur, nisi per injustitiam rempublicam stare augerique non posse; hoc veluti validissimum positum erat, injustum esse, ut homines ho-

minibus dominantibus serviant; quam tamen injustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cujus est magna res publica, non eam posse provinciis imperare: responsum est a parte justitiae, ideo justum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri, cum recte fit, id est, cum improbis aufertur injuriarum licentia; et domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt: subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti a natura sumtum nobile exemplum, atque dictum est: — Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini caeterisque vitiosis animi partibus? Cic. rep. III. 24.

Augustin. civ. dei XIX. 21. (Servitus.)

4.) Annon cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiaeque et caeteris vitiosis ejusdem animi partibus? — Sed et imperandi et serviendi sunt dissimilitudines cognoscendae. Nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini; sed corpori, ut rex civibus suis, aut parens liberis; libidini autem, ut servis dominus, quod eam coercet et frangit. Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque praesunt, ut corporibus animus: domini autem servos ita fatigant, ut optima pars animi, id est sapientia, ejusdem animi vitiosas imbecillasque partes, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes caeteras. Cic. rep. III. 25.

5.) Difficile est, cum praestare omnibus concupieris, servare aequitatem, quae est justitiae maxime propria. Ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur. Existuntque in republica plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maximas consequantur, et sint vi potius superiores, quam justitia pares. Sed quo difficilius, hoc praeclarius. Cic. off. I. 19.

6.) Nam si violandum est jus, (Caesar dicebat) regnandi gratia violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Cic. off. III. 21. (Regnare.)

7.) Ecce tibi, (de Caesare sermo) qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est; probat enim legum, et libertatis

interitum; earumque oppressionem taetram, et detestabilem, gloriosam putat. Cic. off. III. 21. (Regnare.)

Dominatio sui.

1.) Pittacus Mitylenaeus, cujus aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut suis ei suffragiis tyrannidem deferrent, tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bellum de Sigeo cum Atheniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax victoria parta est, continuo reclamantibus Mitylenaeis deposuit; ne dominus civium ultra, quam reipublicae necessitas exegerat, permaneret. Val. Max. VI, 5.

2.) Inaestimabile bonum est, suum fieri.
Sen. ep. 75.

3.) Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate: paucissimi, qui se.
Sen. quaest. nat. III. praef.

4.) Scip. Quid? tum cum tu es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui? Lael. Non, mehercule! sed imitor Archytam illum Tarentinum, qui, cum ad villam venisset, et omnia aliter offendissit, ac jusserat: tete infelicem, inquit villico, quem necassem jam verberibus, nisi iratus essem! Cic. rep. I. 38.

5.) Laches. Istuc est sapere, qui ubicumque opus sit, animum possis flectere;
Quod sit faciundum fortasse post, idem hoc nunc si feceris.
Ter. Hecyr. IV. 3. (Moderatio. Sapientia.)

6.) — Qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias, posse jam habere ipsum suae vitae modum.
Ter. Andr. I. 1. (Sodalitas.)

7.) Utile propositum, saevas exstinguere flammas,
Nec servum vitii pectus habere sui.
Ovid. remed. amor.

8.) Quem magis admiraberis, quam qui imperat sibi, quam qui se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrii, regere, quam animum suum continere et tradere sibi.
Sen. benef. V. 7.

9.) Constabat, eos, qui concidentem vulneribus Cn. Pompejum vidissent, cum illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hosti-

um circumfusos viderent, nihil tum aliud egisse, nisi ut remiges hortarentur, et ut salutem adipiscerentur fuga; postea quam Tyrum venissent, tum afflictari lamentarique coepisse. Timor igitur ab iis aegritudinem potuit repellere, ratio ac sapientia vera non poterit?

Cic. tusc. quaest. III. 27.

10.) In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam, fastidium arrogantiamque magnopere fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est; praeclaraque est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus, eademque frons, ut de Socrate, item de Caj. Laelio accepimus.

Cic. off. I. 26.

Domus.

Domus non ea est, quam parietes nostri cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium, quamque patriam dî nobis communem secum dederunt.

Cic. de rep. I. 13. (Patria.)

Dona.

1.) Secum habet ingenium, qui, cum libet, accipe dicit.
Ovid. ars. amat. II.

2.) Prodigus, et stultus donat, quae spernit et odit.
Haec seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Hor. ep. I. 7. (Ingratus.)

3.) Quae quamquam misisse pudet, quia parva videntur,
Tu tamen haec, quaeso, consule missa boni.
Ovid. ex Pont. III. 8.

Donum.

1.) Multiplicat semper gravitas auctoris honorem;
Et majestatem res data dantis habet.
Ovid. ex Ponto IV, 9.

2.) Qui dabit, ille tibi magno fit major Homero;
Crede mihi, res est ingeniosa, dare.
Ovid. Amor. I. 8.

3.) Quod donare potes, gratis concede roganti;
Nam recte fecisse bonis, in parte lucrorum est.
Cat. Dist. IV. 8.

Dos.

Dos est magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo foedere castitas;
Et peccare nefas, aut pretium est mori.
Hor. Od. III. 24.

Dubitatio.

1.) Hi, qui negant quidquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta (artes intelligit) vel ornamenta (philosophiam vel sapientiam et virtutem ita dicit) vitae; vel potius etiam totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo: ut difficile sit de temeritate eorum, perinde, ut causa postulat, dicere. Cic. Academ. quaest. IV. 10. (Incertum.)

2.) Quid Cyrenaei videntur? minime contemti philosophi: qui negant esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quae tactu intimo sentiant, ut dolorem, ut voluptatem; neque se, quo quid colore aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire, adfici se quodam modo.
Cic. Academ. quaest. IV. 24. (Incertum. Sensus.)

3.) Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Virg. Aen. II. 39.

4.) — — — Quae prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?
Virg. Aen. III. 36. (Pericula.)

5.) Heu, quid agat, vario nequidquam fluctuant aestu;
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Virg. Aen. XII. v. 486.

6.) Geta. Quid fiet? In eodem haesitas luto! vorsura solvis.
Praesens quod fuerat, in diem malum abiit; plagae crescunt,
Nisi prospicis. Ter. Phormio. V. 2. (Periculum.)

7.) Syrus. Quid si redeo ad illos, qui ajunt: quid si nunc coelum ruat?
Ter. Heaut. IV. 3.

8.) Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit an iniquum. Aequitas enim lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat injuriae. Cic. off. I. 9.

9.) Antipho. Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis:
Quin, si hoc celetur, in metu, sin patefit, in probro sim. Ter. Phorm. V. 4.
(Periclum.)

Dubium.

1.) Nihil aeque amarum, quam diu pendere. Aequiore quidam animo ferunt, praecidi spem suam, quam trahi. Sen. benef. II. 5.

2.) Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.
Ter. Andr. I. 5.

3.) — — — — Vae misero mihi!
Ut animus in spe atque in timore usque ante hac adtentus fuit,
Ita, post quam ademta spes est, lassus cura confectus stupet.
Ter. Andr. II. 1. (Spes.

Durities.

1.) — — — Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Virg. Aen. IV. 366.

2.) Te lapis et montes, innataque rupibus altis
Robora, te saevae progenuere ferae.
Ovid. Heroid. Ep. 7.

3.) Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla vorax, quae vasta Charybdis? Catull. 64.

4.) Cur mea dicta negat duras demittere in aures:
Virg. Aen. IV. 428.

5.) — — Nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Virg. Aen. IV. 438.

6.) Mens immota manet; lacrymae volvuntur inanes.
Virg. Aen. IV. 449.

7.) Ille habet et silices et vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrymas lentus in ore videt.
Ovid. Amor. III. 6.

8.) Illi robur et aes triplex.
Circa pectus erat. Hor. I. 3.

9.) Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis.
Hor. Epod. 17.

Dux.

1.) Auguror, en! vinces, votivaque carmina reddam:
Et magno nobis ore sonandus eris.
Ovid. ars. amat. I.

2.) — — Ducis ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.
Hor. Sat. II. 8.

3.) Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum.
Haec manet, haec avidos effugit una rogos.
Ovid. ad Liv.

4.) Solve metu patriam, quae nunc, te vindice freta,
Imposuit prorae publica vota tuae.
Prop. IV. 6. (Preces.)

Dynastia.

Hanc fas imperii frena tenere domum.
Ovid. fast. I.

Ebrietas.

1.) Ebrietas depingitur in Ep. Sen. 83.

2.) Omne vitium ebrietas et incendit et detegit; obstantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abstinent. Sen. ep. 83. (Pudor.)

Educatio.

1.) Micio. Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa, Aeschine, est,
Quia non justa injusta prorsus omnia omnino obsequor;
Missa facio: effundite, emite, facite, quod vobis lubet!
Sed si id vultis potius — quae vos propter adolescentiam
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum —
Haec reprehendere et corrigere quem, obsecundare in loco:
Ecce me, qui id faciam vobis.
Ter. Adelphi. V. 9. (Objurgatio.)

2.) Non dubie tamquam frugi laudatur avarus
Tamquam parcus homo, et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens aut ponticus; adde, quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat acquirendi
Artificem; quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt, quocumque modo, majoraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.
Juv. Satyr. 14.

3.) — — — Ipse pater felices credit avaros;
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat; juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, et eidem incumbere sectae.
Sunt quaedam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, et cogit minimas ediscere sordes;
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens; neque enim omnia sustinet umquam
Mucida caerulei panis consumere frusta.
Juv. Sat. 14.

4.) Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat; facile est enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creverunt. Sen. de. ira II. 18.

5.) Nihil facit magis iracundos, quam educatio mollis et blanda; ideo unicis, quo plus indulgetur, pupillisque, quo plus licet, corruptior animus est.
Sen. de ira II. 21.

6.) Non resistet offensis, cui nihil umquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater abstersit, cui de paedagogo satis factum est. Sen. de ira II. 21.

7.) Longe ab assentatione pueritia removenda est. Audiat verum, et timeat interim, vereatur semper; majoribus assurgat; nihil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur.
Sen. de ira II. 21.

8.) Demea. Inspicere tamquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.
Ter. Adelph. III. 3.

9.) Micio. Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest. Hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis
Ter. Adelph. I. 1.

10.) Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur, ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur; quum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus; tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Accedunt etiam poëtae; qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerint, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus; cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister, populus: atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus; ut nobis optimam naturam invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt.
Cic. tusc. quaest. III. 1. et 2.

11.) Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus hunc tu
Moribus instituas. Juvenal. Satyr. 14.

12. — — — — — Sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitioque carentem.
Juvenal. Satyr. 14.

13.) Micio. — Qui mentiri aut fallere, ita ut fit, patrem
Audebit, tanto magis audebit caeteros.
Ter. Adelph. I. 1. (Fraus. Mendacium.)

14.) Micio. — Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Ter. Adelph. I. 1. (Pudor.)

15.) Micio. Mea sic est ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre; praesens absensque idem erit.
Ter. Adelph. I. 1. (Officium.)

16.) Est ille prudens, qui, ut saepe in Africa vidimus, immani et vastae insidens belluae, coërcet et regit belluam; quocumque vult, levi admonitu, non actu inflectit illam feram. Cic. rep. II. 40.
(Rector. Regnator.)

17.) Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est. Procul hinc, procul inde puellae
Lenonum et cantus pernoctantis parasiti:
Maxima debetur puero reverentia.
Juvenal. Satyr. 14.

18.) Plurima sunt, Fuscine et fama digna sinistra,
Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
Quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Juvenal. Satyr. 14.

Egoismus.

1.) — — Nullane in re esse cuiquam homini fidem!
Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,
Omnis, sibi esse bene, mavelle, quam alteri.
Terent. Andr. II. 5. (Fides.)

2.) Charinus. Hoccine credibile, aut memorabile;
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparent commoda?
Terent. Andr. IV. 1. (Petulantia.)

3.) Auctor opus laudat. Sic forsitan Agrius olim
Thersiten facie dixerat esse bona.
Ovid. ex Ponto III. 9.

4.) Nempe justitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo justus faciet, si forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nonne illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixus evadat, maxime cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet; ipsi

enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri, jam vero justus ille, sed stultus est, qui vitae suae non parcat, dum parcit alienae. Idem (de Carneade sermo) si acie suorum fusa, hostes insequi coeperint, et justus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem; eine parcet, ut ipse occidatur, an dejiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? quod si fecerit, sapiens, sed idem malus; si non fecerit, justus, sed idem stultus sit necesse est. Cic. rep. 20. (Justitia; Officium.)

5.) Familiariter domestica adipiscimus, et semper judicio favor officit. Puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent, se pervenisse. Non est, quod nos magis aliena judices adulatione perire, quam nostra. Senec. tranquill. anim. 1.

6.) Quis sibi verum dicere ausus est? quis non inter laudantium blandientiumque positus greges, plurimum tamen sibi ipse assentatus est.

Senec. tranquill. anim. 1.

7.) Micio. Homine imperito numquam quidquam injustius est;
Qui, nisi quod ipse fecit, nil rectum putat.

Ter. Adelph. I. 2. (Imperitus. Morositas.)

8.) Micio. — — — Tu nunc tibi
Id laudi duces, quod tum fecisti inopia?

Ter. Adelph. I. 2.

9.) Magnam hominum partem damnabis. Cui enim non ex alieno incommodo lucrum? Miles bellum optat; agricolam annonae caritas erigit; eloquentiae exoptat pretium litium numerus; medicis gravis annus in quaestu est; institores delicatarum mercium juventus corrupta locupletat; nulla tempestate, nullo igne laedantur tecta: — jacebit opera fabrilis.

Senec. benef. VI. 38. (Philautia.)

Elementa.

1.) Ex terra, aqua; ex aqua oritur aër: ex aëre aether: deinde retrorsum vicissim ex aethere, aër; ex aëre, aqua; ex aqua terra infima. Cic. nat. deor. II. 33.

2.) Nihil deficit, quod in se redit. Omnium elementorum alterni recessus sunt. Quidquid alteri perit, in alterum transit. Senec. quaest. natural. III. 10. (Interitus.)

3.) Aër, ignis, aqua et terra elementa dicuntur: e quibus aër et ignis movendi vim habent et efficiendi: reliquae partes accipiendi et quasi patiendi. aquam dico et terram, quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare, eorumque quatuor, quae supra dixi, dissimile Aristoteles quiddam esse rebatur.

Cic. Academ. quaest. I. 7.

Eloquentia.

1.) Regibus exactis plebs dissidens a patribus juxta ripam fluminis Anienis in colle, qui Sacer appellatur, armata consedit. Eratque non solum deformis, sed etiam miserrimus reipublicae satus: a capite ejus caetera parte corporis pestifera seditione divisa. Ac ni Valerii subvenisset eloquentia, spes tanti imperii in ipso paene ortu suo corruisset. Is namque populum, nova et insolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora et saniora consilia revocatum, senatui subjecit, id est, urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio, et arma cesserunt. Val. Max. VIII. 9.

2.) Pericles autem, felicissimis naturae incrementis, sub Anaxagora praeceptore summo studio perpolitus et instructus, liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit: egit enim ille urbem, et versavit arbitrio suo. Cumque adversus voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus et popularis ejus vox erat. Itaque veteris comoediae maledica lingua quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris ejus hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui praedicabat. Fertur quidam, cum admodum senex primae concioni Periclis adolescentuli interesset, idemque juvenis Pisistratum jam decrepitum concionantem audisset; non temperasse sibi quominus exclamaret, cavere illum civem oportere, quod Pisistrati orationi simillima ejus esset oratio. Nec hominem aut aestimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quod enim inter Pisistratum et Periclem interfuit, nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit?

Val. Max. VIII. 9. (Pericles.)

3.) Quae (sc. verba diserta) etiam Marianos Cinnanosque mucrones civilis profundendi sanguinis cupidi-

tate furentes, inhibuerunt. Missi enim a saevissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone ejus obstupefacti, destrictos jam et vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Quibus digressis, P. Antronius (is enim solus in ambitu expers Antonianae vocis steterat,) crudele imperium truculento ministerio peregit. Quam disertum igitur eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modo vocem ejus ad aures suas voluit admittere! Val. Max. VIII. 9.

4.) Quantum eloquentia valuisse Hegesiam Cyrenaicum philosophum arbitramur, qui sic mala vitae repraesentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariae mortis oppetendae cupiditatem ingeneraret? Ideoque a rege Ptolemaeo ulterius hac de re disserern prohibitus est.

Val. Max. VIII. 9.

5.) Perditae luxuriae Athenis adolescens Polemo, neque illecebris (ejus) tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens, cum e convivio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque repetens Xenocratis philosophi patentem januam vidisset; vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit. Nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima praecepta temulentiae lasciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissaque re, quam disserebat, de modestia ac temperantia loqui coepit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primum coronam capite, detractam projecit, paullo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit; ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

Val. Max. VI. 9. (Xenocrates.)

6.) Jam vero domina rerum (ut vos (sc. Academici) soletis dicere) eloquendi vis, quam est praeclara, quamque divina! quae primum efficit, ut ea, quae ignoramus, discere, ut ea, quae scimus, alios docere possi-

mus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasque restinguimus; haec nos juris, legum, urbium societate devinxit: haec a vita immani et fera segregavit. Cic. nat. deor. II. 59.

7.) Magna est admiratio copiose, sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, et sapere plus, quam ceteros arbitrantur. Si vero inest in oratione mista modestiae gravitas, nil admirabilius fieri potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente.

Cic. Off. II. 14.

8.) Videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? tertiam enim jam aetatem hominum vivebat: nec erat ei verendum, ne vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. Etenim (ut ait Homerus) ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus: et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris; quod si acciderit, non dubitat, quin brevi Troja sit peritura. Cic. Sen. 10. (Nestor. Senectus.)

9.) Nihil enim est aliud, Brute (quod quidem tu minime omnium ignoras) pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere. Et nec sententia ulla est, quae fructum oratori ferat, nisi apte exposita atque absolute; nec verborum lumen adparet, nisi diligenter collocatorum; et horum utrumque numerus illustrat. Cic. Orat. cap. 68.

(Euphonia.)

10.) Caput est, quod (ut vere dicam) minime facimus: (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. Stilus optimus, et praestantissimus dicendi effector ac magister; neque injuria.

Ciceronis d. orat. I. 33. (Scriptio.)

11.) Mihi, etiam qui optime dicunt, quique id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur; tametsi id accidere non potest. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem variosque eventus orationis hominumque exspectationem pertimescit.

Ciceronis de oratore I. 26. (Orator.)

12.) Huic arti (scilicet eloquentiae) finitima est dicendi gravior facultas, et gratior, et ornatior. Quid enim eloquentia praestabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium vel eorum, qui defensi sunt, gratia? huic quoque ergo a majoribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Cic. Off. II. 19.

13.) Positum sit igitur in primis, (quod post magis intelligetur) sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem: non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adjuvet, ut palaestra histrionem. Parva enim magnis saepe rectissime conferuntur. Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere: siquidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praestitisse caeteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor: a quo censet, eum, quum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et foecundum fuisse gnarumque, (quod est eloquentiae maximum) quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest: cujus ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus; nec judicare, quae vera, quae falsa sint; neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi posse?

Ciceronis orator IV. (Philosophia.)

14.) Neque mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes adlicere, voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est. Quid est enim aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et perpolita? aut tam potens tamque magnificum, quam

populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus. Cicero de oratore. I. 8. (Orator.)

15.) Satis est caeteris artificiis percipiendis, tantummodo similem esse hominis; et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, si quis forte sit tardior, posse percipere animo et memoria custodire. Non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria juris consultorum, vox tragoedorum, gestus paene fummorum actorum est requirendus. Quam obrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest. Ciceronis de oratore. I. 28. (Orator.)

16.) Quis non jure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? Cic. de oratore. I, 4. (Orator.)

17.) Oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere. Ciceronis de orat. I. 13. (Orator.)

18.) Illud est probabilius neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes; illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque si id optime sciat, ignarusque si sit, facundiae ac poliendae orationis, diserte id ipsum posse, de quo sciat, dicere. Cic. de orat. I. 14. (Orator.)

19.) Quis nescit, maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium, aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? quae, nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit. Cic. de orat. I. 12. (Orator.)

20.) Unum erit profecto, quod ii, qui bene dicunt, adferent proprium, compositam orationem et ornatam

et artificio quodam et expolitione distinctum. Haec autem oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione laudatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia?

Cicero de oratore I. 12. (Orator.)

21.) Caeterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae: bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur. Omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est. Cic. de Orat. II. 2. (Orator.)

22.) Ii sumus, ut sine his studiis (sermo est de eloquentia) vitam nullam esse ducamus.

Cic. de oratore II. 5.

23.) Non causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit ejus artis antistes, cujus quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse deus putatur, ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur; deinde, qui possit, non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari: tum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subjicere odio civium, supplicioque constringere: idemque ingenii praesidio innocentiam judiciorum poena liberare: idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique quemcumque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit, vel sedare.

Cic. de oratore I. 46. (Orator.)

24.) Mihi quidem saepenumero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus rebus, quam in dicendo admirabiles exstitissent. — Quis dubitet, quin belli duces praestantissimos ex hac una civitate paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? Jam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rempublicam possent,

multi nostra, plures patrum memoria atque etiam majorum exstiterunt: quum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. Ac ne quis forte cum aliis studiis, quae reconditis in artibus atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet; convertat animum ad ea ipsa artium genera, circumspiciatque, qui in iis floruerint, quamque multi: sic facillime quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas, judicabit. Cic. d. oratore I. 2. (Orator.)

25.) Sentio, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus; quibus ipsis si in dicendo non utimur, tamen adparet atque exstat, utrum simus earum rudes, an didicerimus. Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus didicerintne palaestram, an nesciant. Cic. de oratore I. 16. (Orator.)

26.) In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt: id est, quod dico, ornate. Qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, ii sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum et congruens nomino. Cic. de orat. III. 14. (Orator.)

27.) Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus; quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares, sed tamen est species alia magis alia formosa et illustris; sicut haec vis, quae scientiam complexa rerum, sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, possit impellere; quae quo major est vis, hoc est magis probitate jungenda summaque prudentia: quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus. Cic. de oratore III. 14. (Orator.)

28.) Tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta dicta est »flexanima atque omnium regina rerum oratio,«

ut non modo inclinantem excipere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

Cic. de oratore II. 44. (Orator.)

29.) Neque fieri potest ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur: nisi omnes ii motus, quos orator adhiberi volet judici, in ipso oratore imprehensi esse atque inusti videbuntur.

Ciceronis de oratore II. 45. (Orator.)

30.) Nullo loco plus facetiae prosunt, et celeritas, et breve aliquod dictum, nec sine dignitate, et cum lepore (sc. quam coram multitudine). Nihil enim tam facile, quam multitudo a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode ac breviter et acute, et hilare dicto deducitur. Cic. de orat. II. 83.

(Jocus. Sales. Multitudo.)

31.) Equidem omnia, quae pertinent ad usum civium, morem hominum, quae versantur in consvetudine vitae, in ratione reipublicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus comprehendenda esse oratori puto.

Cic. de oratore II. 16. (Orator.)

32.) Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et permovet. Docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium. Cic. de optimo genere oratorum. Cap. I.

(Orator.)

33.) Haec (nempe exordia) in dicendo non extrinsecus alicunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. Id circo tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum.

Cic. de oratore II. 78. (Orator.)

34.) Et momenti aliquid adferent (nempe exordia in oratione) quum erunt paene ex intima defensione depromta, et adparebit, ea non modo non esse communia, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse.

Cic. de oratore II. 78. (Orator.)

35.) Ille Leontinus Gorgias de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps

ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire: cui tantus honos habitus est a Graecia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Cic. de oratore III. 32. (Gorgias.)

36.) Neque facile est perficere, ut irascatur ei, cui tu velis, judex, si tu ipse id lente ferre videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur; nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit, sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae posset incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris. Cic. de oratore II. 45. (Orator.)

37.) Omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare atque commune.
Cic. de oratore II. 76. (Orator.)

38.) Principia dicendi semper quum adcurata, et acuta, et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulcere atque adlicere debet.
Cic. de oratore II. 78. (Orator.)

39.) Vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim mutationesque teneat; eadem morem, leges, jura describat, rempublicam regat, omniaque, ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat. Cic. de oratore III. 20.

40.) De horridis rebus nitida, de jejunis plena, de pervulgatis nova quaedam est oratio tua. (dicit Cicero de Antonio) Cic. de oratore III. 14. (Orator.)

41.) Gaudeo judicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminem sapientiae laudem et eloquentiae sine summo studio, et labore, et doctrina consequi posse. Cic. de oratore II. 89.

42.) De virtute, de officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, praemio, poena, similibusque de rebus in utramque partem dicendi animos et vim et artem habere debemus.

Cic. de oratore III. 27.

43.) Neque apud homines res est ulla difficilior, neque major, neque quae plura adjumenta doctrinae desideret. (Loquitur de eloquentia.)

Cic. de oratore III. 22.

44.) Pacis est comes otiique socia, et jam bene constituta civitatis quasi alumna quaedam, eloquentia.

Ciceronis Brutus 12.

45.) Ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia; qua virum excellentem praeclare tum illi homines (scilicet veteres jam) florem populi esse dixerunt, »Suadaeque medulla.«

Ciceronis Brutus. 15.

46.) Vetus quidem illa doctrina, eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret, »oratorem verborum actoremque rerum.« Cic. de oratore III. 15.

47.) In oratoribus graecis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. Ac tamen, quum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt, et antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiae dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est, et in praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. Cic. orat. II. (Incitatio.)

48.) Actio, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris, hac instructus, summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Cic. de oratore III. 56. (Gesticulatio.)

49.) Verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat; ex omnique genere frequentissimae translationes erunt, quod eae propter similitudinem trans-

ferunt animos et referunt, ac movent huc et illuc; qui motus cogitationis celeriter agitatus, per se ipse delectat.
Cic. orator cap. 39. (Tropus.)

50.) Nec aliud quidquam est, dicere, nisi omnes, aut certe plerosque aliqua specie illuminare sententias.
Cic. orat cap. 39.

51.) Probabo primo eum, qui, quid deceat, videbit. Hac enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum personarumque moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror. Cic. orat. cap. 35. (Orator.)

52.) Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit adcommodare orationem. Quod quum statuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet; nec satura jejune, nec grandia minute, nec item contra, sed erit rebus ipsis par et aequalis oratio.
Cic. orat. 36. (Orator.)

53.) Duo sunt, etiam quae bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciant; quorum alterum est, quod Graeci ἠθικον vocant, ad naturas, et ad mores, et ad omnem vitae consuetudinem adcommodatum; alterum, quod iidem παθητικον nominant, quo perturbantur animi et concitantur; in quo uno regnat oratio.
Cic. orat. cap. 37. (Orator.)

54.) Sit orator nobis is, qui ad commodate ad persuadendum possit dicere; imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae, diligentia industriaque superaret; quumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius esse locutus putaretur; deinde quum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus scripta declarant) binae contentiones vocis et remissionis continerentur; qui etiam (ut memoriae proditum est) conjectis in os calculis summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat; neque is consistens in loco, sed inambulans atque adscensu ingrediens arduo. Cic. de oratore I. 61. (Orator.)

55.) Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset saepe multis modis eandem et unam rem, et haereat in eadem commoreturque sententia; saepe etiam ut extenuet aliquid; saepe ut irrideat; ut declinet a proposito deflectatque sententiam; ut proponat, quid dicturus sit; ut, quum transegerit jam aliquid, definiat; ut se ipse revocet; ut quod dixit, iteret; ut argumentum ratione concludat; ut interrogando urgeat; ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat; ut contra, ac dicat, accipi et sentiri velit; ut addubitet, quid potius, aut quomodo dicat; ut dividat in partes; ut aliquid relinquat ac negligat; ut ante praemuniat; ut in eo ipso, in quo reprehendatur, culpam in adversarium conferat; ut saepe cum iis, qui audiunt, nonnumquam etiam cum adversario quasi deliberet; ut hominum sermones moresque describat; ut muta quaedam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, avertat animos; ut saepe in hilaritatem risumve convertat; ut ante occupet, quod videat, opponi, ut comparet similitudines; ut utatur exemplis; ut aliud alii tribuens dispertiat; ut interpellatorem coërceat; ut aliquid reticere se dicat; ut denuntiet, quid caveat; ut liberius quid audeat; ut irascatur etiam, ut objurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur, ut a proposito declinet aliquantulum, ut optet, ut exsecretur, ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequetur: brevitatem, si res petet; saepe etiam rem dicendo subjiciet oculis; saepe supra feret, quam fieri possit; significatio saepe erit major, quam oratio; saepe hilaritas, saepe vitae naturarumque imitatio. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiae magnitudo. Cic. Orat. cap. 40. et 41.

(Orator.)

56.) Nec umquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio. Cic. orat. cap. 38.

57.) Jus profitentur etiam, qui nesciunt; eloquentiam autem illi ipsi, qui consequuti sunt, tamen ea se valere dissimulant, propterea quod prudentia hominibus grata est, lingua suspecta. Cic. orat. cap. 42.

(Jurisprudentia.)

58.) An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis, et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnum-

quam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent: ipse numquam ab illa acerrima contentione discederem? Sed quid poëtas divino ingenio profero? Histriones eos vidimus, quibus nihil posset in suo genere esse praestantius, qui non solum in dissimillimis personis satis faciebant, quum tamen in suis versarentur, sed et comoedum in tragoediis, et tragoedum in comoediis admodum placere vidimus. Ego non elaborem?

Cic. orat. cap. 31.

59. Sed jam illius perfecti oratoris et summae eloquentiae species exprimenda est, quem hoc uno excellere, i. e. oratione, cetera in eo latere indicat nomen ipsum. Non enim inventor aut compositor, aut actor haec complexus est omnia, sed et graece ab eloquendo ῥήτωρ, et latine eloquens dictus est. Caeterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat: dicendi autem, i. e. eloquendi, maxima vis soli huic conceditur. Quamquam enim et philosophi quidem ornate locuti sunt (si quidem et Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, et Xenophontis voce musas quasi locutas ferunt: et longe omnium, quicumque scripserunt, aut locuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps Plato) tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios et forenses habet.

Cic. orat. cap. 19.

60.) Invenire et judicare, quid dicas, magna illa quidem sunt, et tamquam animi instar in corpore; sed propria magis prudentiae, quam eloquentiae.

Cic. orat. cap. 14.

61.) Quoniam, quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, in eo, aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur: sitne, signis; quid sit, definitionibus; quale sit, recti pravique partibus: quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam. Latius enim de genere, quam de parte disceptare licet: ut, quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse.

Cic. orat. cap. 14.

62. Est autem, quid deceat, oratori videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis aucto-

ritas, non omnis aetas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum: semperque in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat, est considerandum; quod et in re, de qua agitur, positum est, et in personis, et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt.
Cic. orat. cap. 21.

63.) Quam enim indecorum est, de stillicidiis quum apud unum judicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus; de majestate populi Romani summisse et subtiliter! Cic. orat. cap. 21.

64.) Erit igitur eloquens is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est; delectare suavitatis; flectere victoriae; nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo; in quo uno vis omnis oratoris est. Magni igitur judicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille; et quasi temperator hujus tripartitae varietatis. Nam et judicabit, quid cuique opus sit; et poterit, quocumque modo postulabit causa, dicere. Cic. orat. c. 21.

65.) Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre; πρεπον adpellant hoc graeci, nos dicamus sane decorum. De quo praeclare, et multa praecipiuntur, et res est cognitione dignissima. Cic. orat. cap. 21.

66.) Jam vero ea, quae invenerit (sc. orator), qua diligentia collocabit? Vestibula nimirum honesta, aditusque ad causam faciet illustres; quumque animos prima adgressione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria; de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora. Cic. orat. cap. 15.

67.) Quodsi in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non verba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio. Cic. orat. cap. 16.

68.) Si pictor ille (Apelles.) vidit, quum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, maestior Ulysses, moereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summam illum luctum penicillo non

posset imitari; si histrio, quid deceat, quaerit: quid faciendum oratori putemus? Cic. orat. cap. 22.

69.) Is est enim eloquens, qui et humilia subtiliter, et alta graviter, et mediocria temperate potest dicere. Cic. orat. cap. 29.

70.) Is erit igitur eloquens, (ut idem illud iteremus), qui poterit parva submisse, modica temperate, magna graviter dicere. Cic. orat. cap. 29.

71.) Mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est.
Ciceronis de oratore I. 5. (Orator.)

72.) Videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. (loquitur de Servio oratore, qui suam artem, quam primam hic Cicero dicit, longe praetulit juris prudentiae, quam loco hic ponit secundo.) Ciceronis Brutus. 41.
(Juris prudentia.)

73.) Mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio; quae nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem.
Cic. de orat. I. 6. (Orator.)

74.) Vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re, quaecumque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur.
Cic. de oratore. I. 6. (Orator.)

75.) Veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequitur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est; et ab aliis, rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur. (queritur Cicero, quod Philosophia et oratoria non conjunctim traduntur.)
Ciceronis orator. V.

76.) In causa facili quemvis licet esse disertum,
Et minimae vires frangere quassa valent.
Ovid. Trist. III. 11. (Argumentum.)

77.) Ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus aut mentibus jucundius percipi possit.
Cic. de oratore II. 8.

78. Hujus (de oratore sermo est) in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia; ejusdem et languentis populi incitatio et effrenati moderatio. Eadem facultate et fraus hominum ad perniciem et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere adcusando potest? quis moerorem levare mitius consolando?

Cic. de orat. II. 9. (Orator.)

79.) Oportet ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia pro portione rerum praeponere. Itaque in parvis atque infrequentibus causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius.

Cic. de orat. II. 79. (Orator.)

80.) Illustriora sunt, quae in principiis, quam quae in mediis causis dicuntur, aut arguendo, aut refellendo.

Cic. de orat. II. 79. (Orator.)

81.) Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cujus e ludo, tamquam ex equo trojano, meri principes exierunt.

Cic de oratore II. 22 (Isocrates. Orator.)

82.) Nihil est in dicendo majus, quam ut faveat oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis, quam judicio aut consilio regatur. Cic. de oratore. II. 42. (Orator.)

83.) Si jam placet omnes artes oratori subjungere, tolerabilius est, sic potius dicere: ut quoniam dicendi facultas non debeat esse jejuna atque nuda, sed aspera atque distincta multarum rerum jucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse; neque ea, ut sua, possedisse, sed ut aliena libasse. Fateor enim callidum quemdam hunc et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.

Cic. de orat. I. 50. (Orator.)

84.) Est hujus institutae scriptionis ac temporis, 1.) neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere umquam et praestare potuisse. Cic. de orat. II. 1.

1.) Sensus: opus hoc meum et tempus expostulat, ut enuntiem simulque probem veritatem: neminem eloquentia, non modo sine etc. etc.

Eloquentiae abusus.

Quid est tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem hominum, et ad conservationem datam, ad bonorum pestem, perniciemque convertere?
Cic. off. II. 14.)

Elysium.

1.) Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Virg. Aen. Lib. VI. v. 640.

2.) Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Virg. Aen. Lib. VI. v. 660.

3.) Hic choreae cantusque vigent; passimque vagantis
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges totusque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Tibull. I. 3.

Emendatio.

Ut corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt. Senec. benefic. VII. 30.
(Correctio.)

Enthusiasmus.

1.) Est deus in nobis et sunt commercia coeli;
Sedibus aetheriis spiritus ille venit.
Ovid. ars amat. lib. III.

2.) Saepe audivi, poëtam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt,) sine inflammatione animorum existere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.
Cic. de oratore II. 46. (Poëta.)

3.) Illa concitatio declarat, vim in animis esse divi-

nam; negat enim, sine furore, Democritus, quemquam poëtam magnum esse posse. Quod idem dicit Plato; quem, si placet, appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phaedro Platonis laudatus est.

Cic. divin. I. 37.

4.) Est deus iu nobis; agitante calescimus illo;
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Ovid. fast. lib. VI.

5.) Ingenium potis irritat Musa poëtis.
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.

Prop. IV. 6. (Vinum.)

6.) Sive graeco poëtae credimus, aliquando et insanire jucundum est; sive Platoni; frustra poëticas fores compos sui pepulit; sive Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Non potest grande aliquid et supra caeteros loqui, nisi mota mens.

Senec. tranquill. anim. 15. (Insanire. Poësis.)

Epicurei.

1.) Accusat Timocratem, fratrem suum, Metrodorus, qui est Epicuri collega, quod dubitet omnia, quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri: neque id semel dicit, sed saepius. Cic. nat. deor. I. 40.

2.) Nos autem beatam vitam in animi securitate, et in omnium vacatione munerum ponimus, docuit enim nos idem, qui cetera (Epicureus ad stoicum) natura effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabrica; tamque eam rem esse facilem, quam vos effici negatis sine divina posse solertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. Quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis: ut tragici pooëtae, cum explicare argumenti exitum non possunt, confugitis ad deum. Cujus operam profecto non desideraretis, si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis: in quam se injiciens animus et intendens, ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum: quae interjecto inani cohaerescunt tamen inter se, et aliae alias apprehendentes, continuantur: ex quo efficiuntur hae rerum formae atque figurae: quas vos effici posse sine

follibus et incudibus non putatis. Itaque imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum, et plenum negotii deum? Hinc vobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην (fatum) dicitis: ut, quidquid accidat, id ex aeterna veritate, causarumque continuatione fluxisse dicatis. Quanti autem haec philosophia aestimanda est, cui, tamquam aniculis, et iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia? Sequitur μαντικὴ vestra, quae latine divinatio dicitur: qua tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut haruspices, augures, harioli, vates et conjectores nobis essent colendi. His terroribus ab Epicuro soluti, et in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus, nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere: et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem.

Cic. nat. deor. I. 20. (Stoici.)

3.) Episcureorum tota factio aequo semper errore a vero devia, et illa existimans ridenda, quae nesciat, sacrum volumen (loquitur Macrobius) et augustissima irrisit naturae seria. Cic. rep. VI. 7.

4.) Epicureos equidem non despicio; sed nescio, quo modo doctissimus quisque contemnit.

Cic. Tusc. Quaest. I. 31.

Epistola.

1.) Jam satis invalidos calamo lassavimus artus,
Et manus officium longius aegra negat.

Ovid. Heroid. Ep. 21.

2.) His arcana notis (sc. epistolis) terra pelagoque feruntur;
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.

Ovid. Heroid. Ep. 4.

Eques.

Quadrupedante putrem sonitu ferit ungula campum.

Virg. Aen. l. VIII. v. 596.

Error.

1.) O vim maximam erroris! Cic. div. II. 47.

2.) Nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitque invicem. Senec. epist. 94.

3.) Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se adtrahat, primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet, — nemo sibi tantum errat, sed alii erroris causa et auctor est.

Senec. vita beat. I. (Exemplum. Vita.)

4.) Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectori inesse tuo.

Tibull. III. 4.

5.) Quid est enim temeritate turpius? aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam ut falsum sentire, aut, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere? Cic. nat. deor. I. 1.

Eruditio.

Magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur.

Ciceronis Brutus 58. (Lingua. Educatio.)

Euphonia.

1.) Voluptati autem aurium morigerari debet oratio.

Cic. orat. cap. 48. (Oratio.)

2.) Omnino duo sunt, quae condiant orationem: verborum numerorumque jucunditas. In verbis inest quasi materia quaedam, in numero autem expolitio. Sed ut ceteris in rebus, necessitatis inventa antiquiora sunt, quam voluptatis: ita et in hac re accidit, ut multis saeculis ante oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium, excogitata. Nam quod et facilius est, et magis necessarium, id semper ante cognoscitur.

Cic. orat. cap. 55. (Verba.)

3.) In versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet: nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit; et tamen omnium longitudinum et brevitatum

in sonis, sicut acutarum graviumque vocum, judicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.

Cic. Orat. cap. 51. (Oratio.)

4.) Aures enim, vel animus aurium nuntio, naturalem quandam în se continet vocum omnium mensionem. Itaque et longiora et breviora judicat, et perfecta ac moderata semper exspectat. Cic. Orat. cap. 53. (Verba.)

5.) Genus illud tertium explicetur, quale sit, numerosae et aptae orationis. Quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit, nescio. Meae quidem et perfecto completoque verborum ambitu gaudent, et curta sentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? conciones saepe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent. Id enim expectant aures, ut verbis colligentur sententiae.

Cic. orat. Cap. 50. (Oratio.)

6.) Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat, et ne brevior sit, quam satis sit, neve longior. Cic. orat. Cap. 66. (Grammatica.)

Euripides.

1.) Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est. Ab Archelai enim regis coena in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obiit. Crudelitas fati tanto ingenio non debita.

Val. Max. IX. 12.

2.) Adfertur etiam de Sileno fabella quaedam; qui, quum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur; docuisse regem, non nasci, homini longe optimum esse; proximum autem, quam primum mori. Qua est sententia in Cresphonto usus Euripides:

»Nam nos decebat coetus celebrantes, domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantes mala:
At qui labores morte finisset graves,
Hunc omni amicos laude et laetitia exsequi.«

Cic. tusc. quaest. I. 48. (Mors.)

Eventus.

1.) Multi enim, etiam cum obesse vellent, profuerunt, et cum prodesse, obfuerunt.
Cic. nat. deor. III. 28. (Voluntas.)

2.) — — — — Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.
Ovid. Heroid. Ep. 2.

3.) Quae tamen inde seges? terrae quis fructus apertae? Juv. Sat. 7.

4.) — — — — — — Multi
Committunt eadem diverso crimina fato;
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Juv. Satyr. 13. (Discrimen. Persona.)

5.) Sapiens consilium omnium rerum non exitum spectat. Initia in potestate nostra sunt; de eventu fortuna judicat. Sen. ep. 14. (Initium.)

Excelsa periculosa.

1.) — — — Utrumque (Ciceronem et Demosthenem)
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix caesa; nec umquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
Juv. Satyr. 10. (Magnitudo.)

2.) — — — Saevus et illum (Demosthenem)
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.
Juv. Sat. 10. (Magnitudo.)

Excusatio.

1.) Non nos, aut ferro Lybicos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas.
Virg. Aen. I. 527.

2.) — — — — Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris
Cum venia dabis. Hor. Satyr. l. I. 4.

3.) Omnia me laedunt; timidus sum: ignosce timori.
Prop. II. 6.

Exemplum.

1.) Multorum disce exemplo, quae facta sequaris,
Quae fugias. Vita est nobis aliena magistra.
Cat. Dist. III. 14.

2.) Ut enim cupiditatibus principum, et vitiis infici solet tota civitas: sic emendari, et corrigi continentia.
Cic. leg. III. 18. (Potentes.)

3.) Nec enim tantum mali est peccare principes (quamquam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam. Cic. leg. III. 14. (Potentes.)

4.) Hoc sit primum in praeceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur (nempe eloquentiae studiosus) atque ita, ut, quae maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur. Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia, ac paene vitiosa, consectantur imitando. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo; deinde, quem probavit, in eo, quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur. Cic. de oratore II. 22. (Imitatio. Orator.)

5.) Ego autem nobilium vita, victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam, quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent Cic. Leg. III. 14. (Potentes.)

6.) Nemo te malum, quia est, faciat.
Senec. benef. VII. 17.

7.) Abstineas igitur damnandis; hujus enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti; quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus.
Juvenal. Satyr. 14.

8.) Si damnosa senem juvat alea ludit et haeres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Juvenal. Satyr. 14.

9.) Non melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terrae,
Boletum condire, et eodem jure natantes

Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et cara monstrante gula. Juvenal. Satyr. 14.

10.) Sic natura jubet: velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla demestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus.
Juvenal. Satyr. 14.

11.) — — — — Unus et alter
Forsitan haec spernant juvenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit praecordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.
Juvenal. Satyr. 14.

12.) Nocet adplicari antecedentibus, et dum unus quisque mavult credere quam judicare, numquam de vita judicatur, semper creditur; versatque nos et praecipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur a coetu; nunc vero stat contra rationem defensor mali sui, populus. Senec. vita beata. I. (Solitudo. Vita.)

13.) Cum de beata vita agitur, non est, quod mihi illud discessionum more respondeas: »Haec pars major esse videtur,« ideo enim pejor est.
Senec. vit. beat. II. (Vita.)

14.) Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi adfert, et fidem.
Cic. orat. Cap. 34. (Oratio.)

15.) Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Hor. Satyr. l. II. 3.

16.) Chremes — — — — — Hoc
Scitum est: periculum ex aliis facere, tibi quid ex usu ~~fiet.~~ fit.
Ter. Heaut. I. 2. (Praeceptum. Prudentia.)

17.) Fluctuamus; aliud ex alio comprehendimus; petita relinquimus, relicta repetimus: alternae inter cupiditatem nostram et poenitentiam vices sunt. Pendemus enim toti ex alienis judiciis, et id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet, non id, quod laudandum petendumque est.
Senec. de otio cap. 28. (Inconstantia.)

18.) Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut

meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est. Senec. vita beata. II. (Plebs. Vita.)

19.) Quaeramus, quid optime factum sit, non, quid usitatissimum; et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Senec. vita beat. II.
(Plebs. Veritas.)

20.) — — Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Hor. Satyr. l. I. 4.

21.) Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla; nec ratione componimur, sed consvetudine abducimur. Senec. epist. 123.

22.) Quod si pauci facerent, nollemus imitari; cum plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur: et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Senec. epist. 123.

23.) Cogita, quantum nobis exempla bona prosint: scies magnorum virorum, non minus praesentia, esse utilem memoriam. Senec. epist. 102.

Exilium.

1.) Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem.
Virg. Aen. II. 137.

2.) Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Virg. Aen. II. 157.

3.) Quanti vero ista civitas aestimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur?
Cic. Tusc. Quaest. V. 37.

4.) Non est istud exsilium, cujus neminem non magis, quam damnatum pudet. Senec. benef. VI. 37.

5.) Nos patriae fines et dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus! Virg. Eclg. I. 3.

Exitium.

Venit summa dies, et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troës; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Virg. Aen. II. 324.

Exitus.

1.) Exitus in dis est.
Ovid. Heroid. Ep. 20. (Eventus.)

2.) Exitus acta probat.
Ovid. Heroid. Ep. 2. (Eventus.)

Experientia.

1.) Nec vero alienum est, ad ea eligenda, quae dubitationem adferunt, adhibere doctos homines, vel etiam usu peritos; et, quid his de quoque officii genere placeat, exquirere. Cic. off. I. 41. (Consilium. Usus.)

2.) Magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis,
Victrix fortunae sapientia. Ducimus autem
Hos quoque felices, quae ferre incommoda vitae,
Nec jactare jugum, vita didicere magistra.
Juvenal. Satyr. 13.

3.) Fuisset imperitum animal, et sine magna experientia rerum homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Senec. quaest. natural. V. 18. (Itinera.)

Expiatio.

1.) Unum pro multis dabitur caput.
Virg. Aen. V. 815. (Victima.)

2.) Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.
Tibull. I. 2.

Expugnator.

Quae sunt patriae commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere meliora etc. Itaque haec bona quisquis patriae adquisierit, hoc est eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit: hic laudibus fertur in coelum; in hoc putatur summa et perfecta esse virtus; — qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est, qui praecepta quoque dant, ad injustitiam.
Cic. rep. III. 13.

Exsecratio.

1.) — — Sequar atris ignibus absens;
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis improbe poenas.
Audiam; et haec Manes veniet mihi fama sub imos.
Virg. Aen. IV. 384.

2.) Lingua exsecta avido sit data volturio;
Effossor oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, caetera membra lupi.
Catull. 107.

3.) Di te submoveant, o nostri infamia secli,
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negentur!
Ovid. Metamorph. VIII. 97.

4.) Di tibi dent nullosque lares, inopemque senectam,
Et longas hiemes perpetuamque sitim!
Ovid. Amor. I 8.

5.) Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
Semper, et e tectis strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens, herbasque sepulchris,
Quaerat, et a saevis ossa relicta lupis.
Currat et inguinibus nudis, ululetque per urbes
Post agat e triviis aspera turba canum.
Tibull. I. 5.

6.) Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas;
Deneget afflatus ventus et aura suos.
Nec tibi sol clarus, nec sit tibi lucida Phoebe;
Destituant oculos sidera cuncta tuos.
Nec se Vulcanus, nec se tibi praebeat aër;
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exul, inopsque erres, alienaque limina lustres;
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet aegra dolore;
Noxque die gravior sit tibi, nocte dies.
Sisque miser semper; nec sis miserabilis ulli.
Gaudeat adversis femina virque tuis.
Accedat lacrimis odium dignusque putere,
Qui, mala cum tuleris plurima, plura feras.
Sitque, quod est rarum, solito defecta favore
Aerumnae facies invidiosa tuae.

Causaque non desit, desit tibi copia mortis;
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatusque diu cruciatos spiritus artus
Deserat et longa torqueat ante mora.
Evenient. — — — — — Ovid. Ibis.

Exspectatio.

1.) Auribus interdum voces captamus, et omnem
Adventus strepitum credimus esse tui.
Ovid. Heroid. Ep. 19.

2.) Major est muneris gratia, quominus diu pependit. Est enim bonarum etiam rerum sollicita exspectatio.
Sen. benef. II. 5.

Facta.

Carent libri spiritu illo, propter quem majora eadem illa, quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent.
Cic. orat. cap. 37. (Scripta.)

Fama.

1.) Quum recte vivas, ne cures verba malorum
Arbitrii non est nostri, quid quisque loquatur.
Cat. Dist. III. 3.

2.) Si famam servare cupis, dum vivis honestam,
Fac fugias animo, quae sunt mala gaudia vitae.
Cat. Dist. IV. 17.

3.) Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.
Virg. Aen. XI. 224.

4.) Judicium populi numquam contemseris unus:
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.
Cat. Dist. II. 30.

5.) In eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus. Cic. off. II. 13.

6.) Nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.
Cic. Off. I. 28.

7.) Et terram rumor transilit et maria.
Prop. II. 18.

8.) Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupat humanam. Hor. Satyr. II. 2.

9.) Turba ruit, tantaeque virnm cognoscere famae
Expetit. Ovid. Metamorph. VII. 475.
(Vir magnus.)

10.) Orbe locus medio est inter terrasque fretumque
Coelestesque plagas, triplicis confinia mundi
Unde etc. descriptio famae.
Ovid. Metamorph. XII. 39.

11.) Aucupor infelix incertae murmura famae:
Speque timor dubia, spesque timore cadit.
Ovid. Heroid. Ep. 9.

12.) Non ita contemno volucris praeconia famae,
Ut probris terras impleat illa meis.
Ovid. Heroid. Ep. 17.

13.) Omnia post obitum fingit majora vetustas:
Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Prop. III. 1. (Obitus.)

14.) Si bona existimatio divitiis praestat et pecunia tanto opere expetitur: quanto gloria magis est expetenda. Cic. d. orat. II. 40. (Gloria.)

15.) Alia conditio est eorum, qui in turba, quam non excedunt, latent; quorum et virtutes, ut adpareant, diu luctantur, et vitia tenebras habent. Vestra facta dictaque rumor excipit; et ideo nullis magis cavendum est, qualem famam habeant, quam qui, qualemcumque habuerint, magnam habituri sunt.
Senec. clementia I. 8. (Humiles Potentes. Regnator.)

16.) — — — Major famae sitis est, quam
Virtutis; quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Praemia si tollas. Juv. Satyr. 10. (Virtus.)

17.) Conscia mens recti famae mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba sumus.
Ovid fast. l. IV.

18.) — — — — It fama per urbes:
Fama, malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis.
Monstrum horrendum, ingens; cui quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, (mirabile dictu!)
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat coeli medio terraeque, per umbram

Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes,
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Virg. Aen. IV. 173.

Fames.

1.) Deficit alma Ceres nec plebis pane potitur.
Lucil.

2.) Nec rationem patitur, nec aequitate mitigatur, nec ulla prece flectitur populus esuriens.
Sen. brev. vit. 18.

Famuli superbi.

Maxima quaeque domus servis est plena superbis.
Juvenal. Satyr. 5.

Famulus.

Vivendum recte est, cum propter plurima, tum his
Praecipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas; nam lingua mali pars pessima servi
Juv. Satyr. 9. (Garrulitas.)

Fata.

1.) In hoc omnes errore versamur, ut non putemus ad mortem nisi senes inclinatosque jam vergere; cum illo infantia statim, et juventa omnisque aetas ferat. Agunt opus suum fata; nobis sensum nostrae necis auferunt; quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitae nomine latet. Infantem in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, juventutem senectus abstulit. Incrementa ipsa, si bene computes, damna sunt.
Senec. lib. ad. Marc. 20. (Mors. Solatium.)

2.) Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa; privata ac publica longus ordo rerum trahit.
Senec. de prov. 5.

3.) Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas; et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit: accepimus peritura perituri. Senec. prov. 5. (Peritura.)

Fatum.

1.) Fata viam invenient. — —

Virg. Aen. X. 113.

2.) Desine fata Deum flecti sperare precando.

Virg. Aen. Lib. VI. v. 376.

3.) Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. — — — Virg. Aen. X. 467.

(Mors.)

4.) Fieri omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id adpello, quod Graeci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit; eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint. Cic. divin. I. 55.

5.) Appellatur quidam a philosophis ἀργος λογος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Et alterutrum fatum est; medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Cic. fat. 12.

6.) Fata jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece; non misericordia flectuntur, non gratia. Servant cursum irrevocabilem; ex destinato fluunt.

Senec. Quaest. natural. II. 35.

7.) Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens (fluctus) praecipitat: sic ordinem rerum fati aeterna series rotat; cujus haec prima lex est: stare decreto. Senec. Quaest. natural. II. 35.

8.) Fatum existimo necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.

Senec. quaest. natur. II. 36.

9.) Circuit fatum, et si quid diu praeteriit, repetit. Quaedam rarius sollicitat, saepius quaedam. Nihil immune esse et innoxium sinit. Non homines tantum, qui brevis et caduca res nascimur, urbes oraeque terrarum et littora et ipsum mare in servitutem fati venit. Senec. Quaest. natural. VI. 1.

(Fortuna mala.)

10.) Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, damnaturque longi
Sisyphus Aeolides laboris. Horat. l. II. 14.

11.) Linguenda tellus et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te praeter incisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur. Hor. l. II. 14.

12.) O dura fata, o nullis aequa virtutibus!
Senec. lib. ad. Polyb. c. 22.

13.) — — — Tantumne sibi quis posse videtur,
Fata quoque ut superet. Ovid Metamorph. IX. 428.

14.) Fixus est cuique terminus; manebit semper, ubi positus est, nec illum ulterius diligentia aut gratia, promovebit; solviturque, quod cuique promissum est; eunt vi sua fata; nec adjiciunt quidquam, nec ex promisso semel demunt: frustra vota ac studia sunt.
Senec. lib. ad Marc. 20. (Mors. Solatium.)

15.) Omnes cum fortuna copulati sumus. Aliorum aurea catena est, et laxa; aliorum arcta et sordida. Alium honores, alium opes vinciunt; quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit: omnis vita servitium est.
Senec. tranquill. anim. 10.

16.) Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo.
Juv. Satyr. 7.

17.) — — — Aequa lege necessitas
Sortitur insignes, et imos:
Omne capax movet urna nomen. Hor. Od. III. 1.

18) Fata regunt homines Juv. Satyr. 9.

Favor.

1.) Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Hor. epist. l. I. 18.

2.) — — — Tu dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Horat. epist. l. I. 18.

Felicitas.

1.) Nulli fere et magna bona et diuturna contingunt.
Non durat nec ad ultimum erit, nisi lenta felicitas.
Senec. lib. ad Marc. c. 12.

2.) Etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum, hisque major etiam, quam ante, tribuenda auctoritas. Iisdemque temporibus cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus; in quo falli facile est. Tales enim nos esse putamus, ut jure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata; cum homines, inflati opinionibus, turpiter irridentur, et in maximis versantur erroribus.
Cic. off. I. 26. (Adulator.)

3.) O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! Sen. brev. vit. 14. (Superbia.)

4.) Tunc beatum esse te judica, cum tibi ex te gaudium omne nascetur; cum in his, quae homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico, quod malis, sed quod velis. Senec. epist. 124.

5.) Nil opus invidia est; procul absit gloria vulgi
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Tibull IV. 12. (Gloria.)

6.) — — — — Ultima semper
Exspectanda dies homini; dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.
Ovid. Metam. III. 135.

7.) Cum omnia, quae excesserunt modum, noceant, periculosissima felicitas intemperantia est.
Senec. de prov. 4. (Intemperantia.)

8.) Vivere, Gallio frater, omnes beate volunt; sed ad pervidendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Senec. vita beata. I. (Vita.)

9.) Adeo non est facile, consequi beatam vitam, ut ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam citatius feratur, si via lapsus est; quae ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas majoris intervalli causa fit.
Senec. vita beata I. (Vita)

10.) Beatum illud in uno loco positum est, in ipsa mente, stabile, grande, tranquillum; quod sine scientia divinorum humanorumque non potest effici.

Sen. ep. 74. (Cultura.)

11.) Quamquam optatissimum est, perpetuo fortunam quam florentissimam permanere; illa tamen aequabilitas vitae non tantum habet sensum, quantum, cum ex saevis et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur. Cic. rep. fragment.

12.) Hi, quibus invidetur, non desinent transire; alii elidentur, alii cadent. Res est inquieta felicitas.

Sen. ep. 36.

13.) — — — — Tu gallinae filius albae:
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.

Juv. Satyr. 13.

14.) Nec sine sanitate (sc. mentis) quisquam beatus est, nec sanus, cui offutura pro optimis adpetuntur.

Senec. vita beata. VI. (Sapientia.)

15.) Beatus nemo dici potest extra veritatem projectus. Beata ergo vita est in recto certoque judicio stabilita et immutabilis. Tunc enim pura mens est et soluta omnibus malis, cum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit, statura semper, ubi constitit, ac sedem suam etiam irata et infestante fortuna vindicatura. Senec. vita beata. V.

16.) Beata vita est conveniens naturae suae, quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est, et in perpetua possessione sanitatis suae. Jam pro voluptatibus, et pro illis, quae parva ac fragilia sunt et in ipsis flagitiis noxia, ingens gaudium subit inconcussum et aequabile; tum pax et concordia animi, et magnitudo cum mansvetudine. Omnis enim ex infirmitate feritas est. Senec. vita beat. III. (Sapientia.)

17.) Nemo malus felix; minime corruptor.

Juvenalis Satyr. 4.

18.) Beatam vitam dico liberum animum et erectum, et interritum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum; cui unum bonum honestas, unum malum turpitudo. Caetera vilis turba rerum nec detrahens quidquam beatae vitae, nec adjiciens, sine auctu ac detrimento summi boni veniens ac recedens! Hunc ita fundatum necesse est, velit nolit, sequatur

hilaritas continua, et laetitia alta atque ex alto veniens; ut quae suis gaudeat, nec majora domesticis cupiat.

Senec. vita beat. IV. (Vita.)

19.) Mala pro bonis petenti periculosum est adsequi. Ut feras cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est; saepe enim laniant dominos: ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere, captaeque cepere. Quae quo plures majoresque sunt, eo ille minor, ac plurium servus est, quem felicem vulgus adpellat.

Senec. vita beat. XIV. (Preces. Voluptas.)

20.) Quid est beata vita? securitas et perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo, dabit constantia bene judicati tenax. Ad hoc quomodo pervenitur? si veritas tota perspecta est, si servatus est in rebus agendis ordo, modus, decor, et innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec umquam ab illa recedens, amabilis simul mirabilisque. Sen. epist. 92.

21.) Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis.

Virg. Aen. L. X. v. 501.

Felix.

1.) — — Pamphilus. Vix sum apud me: ita animus commotus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono.

Terent. Andr. V. 4. (Gaudium.)

2.) Charinus. Mi immortalitas
Parta est, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit. Terent. Andr. V. 5. (Gaudium.)

3.) Pamphilus. Quis me est fortunatior? venustatisque adeo plenior?
Egone pro hoc te nuntio quid donem.

Terent. Hecyr. V. 4. (Nuntius.)

4.) Geta. O omnium, quantum est, qui vivunt, hominum homo ornatissime!
Nam sine controversia ab Dîs solus diligere.

Ter. Phorm. V. 6.

5.) O quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve! Catull. 9.

Femina.

1.) Conjugis iratae, noli tu verba timere!
Nam struit insidias lacrimis, quum femina plorat.
Cat. Dist. III. 21.

2.) — — — — Tamen utile quid sit,
Prospiciunt aliquando viri; frigusque famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem femina censum;
At, velut exhausta redivivus pullulet arca
Nummus, et e pleno tollatur semper acervo,
Non umquam reputant, quanti sibi gaudia constent.
Juv. Satyr. 6. (Vir.)

3.) Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Ovid. Heroid. ep. 19. (Vir.)

4.) — — Varium et mutabile semper
Femina. Virg. Aen. IV. 569.

5.) — — Quoties facit ira nocentem
Hunc sexum rabie jecur incendente feruntur
Praecipites, ut saxa jugis abrupta. Juv. Sat. 6.

6.) — — — Si permutatio detur,
Morte viri cupient animam servare catellae.
Juv. Satyr. 6.

7.) Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Juv. Satyr. 6.

8.) Intolerabilius nihil est, quam femina dives.
Juv. Satyr. 6.

9.) Sed vobis facile est verba et componere fraudes:
Hoc unum didicit femina semper opus.
Prop. II. 9.

10.) Gnatho. — — — Novi ingenium mulierum:
Nolunt, ubi velis, ubi nolis, cupiunt ultro.
Ter. Eun. IV. 7.

11.) Clitipho. — — Nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.
Ter. Heaut. II. 2.

12.) Nulla fere causa est, in qua non femina litem
Moverit. Juv. Satyr. 6.

13.) — — — Nihil est audacius illis
Deprensis; iram atque animos a crimine sumunt.
Juv. Satyr. 6.

14.) Laches. Proh, Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est, quae haec est conjuratio?
Utn' omnes mulieres eadem aeque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
(Itaque adeo, uno animo, omnes socrus oderunt nurus)
Viris adversari aeque studium est, similis pertinacia est.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam.
Ei ludo, si ulla sit magistra, hanc esse satis certo scio. Ter. Hecyra II. 1.

15.) Chremes. Quid cum illisce agas, qui neque jus, neque bonum atque aequom sciunt?
Melius, pejus, prosit, obsit; nil vident, nisi quod lubet.
Ter. Heaut. IV. 1. (Levitas.)

16.) Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.
Catull. 70.

17.) Ah! crudele genus; nec fidum femina nomen!
Ah! pereat, didicit fallere si qua virum.
Tib. III. 4.

18.) Credule, nulla diu femina pondus habet.
Prop. II. 25.

19.) Quis dixerit, naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse, et virtutes illarum in arctum retraxisse? Par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta (libeat) facultas est; laborem doloremque ex aequo, si consuevere, patiuntur. Sen. lib. ad Marc. 16.

Festinatio.

1.) Sed propera, nec te venturas differ in horas;
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Ovid. remed. amor.

2.) In primis finibus hostis arcendus est; nam cum intravit, et portis se intulit, modum a captivis non accipit. Sen. de ira. I. 8. (Initium.)

3.) Flamma recens parva sparsa resedit aqua.
Ovid. Heroid. ep. 17. (Mature.)

Festum.

1.) Vina diem celebrent; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Tib. II. 1.

2.) Ite procul, durum, curae, genus; ite labores;
Fulserit hic niveis Delius alitibus!
Tib. III. 6.

3.) Adspiciam nullos hodierna luce dolentes!
Prop. III. 10.

4.) Hoc solenne sacrum multos celebretur in annos.
Tib. IV. 1.

5.) Prospera lux oritur; linguisque animisque favete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Ovid. fast. I.

6.) Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas. Hor. Od. III. 14.

7.) Salve, laeta dies meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli.
Ovid. fast. I.

8.) Jure solennis mihi, sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos. Hor. Od. IV. 11.

9.) Cuncta festinat manus, huc et illuc
Cursitant mistae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum. Hor. Od. IV. 11.

10.) Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem.
Virg. Aen. V. 58.

11.) Ore favete omnes, et tempora cingite ramis:
Virg. Aen. V. 71.

Fides.

1.) Quid? Urbinii Panopionis servus, quam admirabilis fidei? Qui cum ad dominum proscriptum occidendum, domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosset, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, et ut Panopionem occidi passus est. Brevis hujus facti narratio, sed non parva materia laudationis.
Val. Max. VI. 8. (Magnanimitas.)

2.) Si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris; nam pirata non est ex perduellium numero definitus: sed communis hostis omnium; cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse commune.

Cic. off. III. 29.

3.) — — — — En haec promissa fides est.

Virg. Aen. VI. 346.

4.) Si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quae infideli data sit, videant, ne quaeratur latebra perjurio.

Cic. off. III. 29. (Perjurium.)

5.) Firmamentum autem stabilitatis, constantiaeque ejus, quam in amicitia quaerimus, fides est. Nihil enim stabile est, quod infidum est. Simplicem praeterea, et communem, et consentientem, qui rebus iisdem moveatur, eligi par est: quae omnia pertinent ad fidelitatem; neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum. Neque vero, qui non iisdem rebus movetur, et natura consentit, aut fidus, aut stabilis potest esse. Cic. amic. 18.

6.) Ultima talis erit, quae mea prima fides.

Prop. II. 20.

7.) Semper autem in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum. Cic. off. I. 13.

8.) Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota aerugine follem;
Prodigiosa fides et Tuscis digna libellis,
Quaeque coronatâ lustrari debeat agna.

Juv. Sat. 13.

9.) Non est certa fides, quam non injuria versat.

Prop. III. 8.

10.) Unum bonum est, quod beatae vitae causa et firmamentum est: sibi fidere. Sen. ep. 31.

11.) Laudatur, et inter maxima humani generis bona fides colitur. Sen. benef. V. 10.

12.) Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam; nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos arbitramur, quosque et futura prospicere credimus, et cum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem et consilium ex tempore capere posse; hanc enim utilem homines existimant, veramque prudentiam. Justis autem et fidis hominibus,

id est, bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis, injuriaeque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam justitia plus pollet: quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad faciendam fidem. Cic. off. II. 9.

13.) Nusquam tuta fides! Virg. Aen. IV. 376.

14.) A rusticis natum est id, quod jam tritum est vetustate proverbium: cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant; dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Hoc, quam habet vim, nisi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiam si id possis nullo refellente obtinere? Cic. Off. III. 19.

15.) Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Ovid. Heroid. Ep. 17. (Res magnae.)

16.) Etiam si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda; ut primo punico bello Regulus captus a Poenis, cum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque, se rediturum: primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit; deinde, cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.
Cic. Off. I. 13. (Regulus.)

17.) Ambos una fides auferet, una dies.
Prop. II. 20.

18.) Claudius Quadrigarius in duodevicesimo annalium tradidit: cum obsideretur Adrumentum (urbs in Italia) et jam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse, et operae pretium fecisse. Deinde urbe capta, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum, in qua servierant, praecucurrisse, et dominam suam ante se egisse; et quaerentibus, quaenam esset, dominam, et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. Deinde, ut satiatus miles ad Romanos mores cito rediit, illos quoque ad suos redisse, et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa. Senec. benef. III. 23.

Filius.

— — — Datur ora tueri,
Nate, tua; et notas audire et reddere voces?
Virg. Aen. V. 688.

Finis.

Finem omnium rerum specta, et supervacua dimittes. Senec. ep. 119.

Foedus.

Foederis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti. Prop. IV. 7.

Foenerator.

1.) Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
Hor. Sat. I. 2.

2.) A Catone sene cum quaereretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, Bene pascere. Quid secundum? Satis bene pascere. Quid tertium? Male pascere. Quid quartum? Arare. Et, cum ille, qui quaesierat, dixisset, quid foenerari? Tum Cato: Quid huminem, inquit, occidere?
Cic. Off. II. 25. (Oeconomia.)

Fons.

Nam quamquam sapor est allata dulcis in unda;
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.
Ovid. ex Pont. III. 5.

Forma.

1.) Formae autem dignitas coloris bonitate tuenda est; color, exercitationibus corporis.
Cic. Off. I. 36. (Color.)

2.) Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor; et spatio carpitur ipsa suo.
Ovid. ars amat. II.

3.) Nec violae semper, nec hiantia lilia florent;
Et riget amissa spina relicta rosa:
Et tibi jam cani venient, formose, capilli;
Jam venient rugae, quae tibi corpus arent.
Ovid. ars amat. II.

4.) Par animo quoque forma suo respondet in illa;
Et genus et facies, ingeniumque simul.
Ovid. fast. VI. (Puella.)

5.) Non credi labor est; sibi quaeque videtur amanda;
Pessima sit, nulli non sua forma placet.
Ovid. ars amat. I.

6.) Ergo age, fallaci timide confide figurae,
Quisquis es; aut aliquid corpore pluris habe.
Ovid. ars amat. II.

7.) Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte senilis erit:
Injicietque manum formae damnosa senectus,
Quae strepitum passu non faciente venit.
Ovid. Trist. III. 8.

Fortis.

— — — Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat.
Virg. Aen. X. 770.

Fortitudo.

1.) Lacedaemonii Philippo minitanti per litteras, se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesierunt, num se esset etiam mori prohibiturus?
Cic. Tusc. Quaest. V. 14. (Magnanimitas.)

2.) Fortes creantur fortibus et bonis.
Horat. Od. IV. 4.

3.) Probe definitur a Stoicis fortitudo, quum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro aequitate.
Cic. Off. I. 19.

4.) Fortes igitur, magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. Cic. Off. I. 19.

5.) Quid est fortitudo? munimentum humanae imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitae obsidione perdurat.
Senec. epist. 113.

6.) Non est ulla fortitudo, quae rationis est expers.
Cic. Tusc. Quaest. IV. 22.

7.) Fortitudo est dolorum, laborumque contemtio.
Cic. Off. III. 33.

8.) Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Virg. Aen. V. 754.

9.) Ne C. Acilium quidem praeterire possumus, qui, cum decimae legionis miles pro C. Caesaris partibus maritima pugna proeliaretur, abscissa dextra, quam Massiliensium navi injecerat, laeva puppim apprehendit: nec ante dimicare destitit, quam captam profundo mergeret. Val. Max. III. 2.

10.) Saguntini victricibus Hannibalis armis intra moenia urbis suae compulsi, cum vim Punicam ulterius nequirent arcere; collatis in forum, quae unicuique erant carissima, atque undique circumdatis accensisque ignis nutrimentis, ne a societate nostra desciscerent, publico et communi rogo semet ipsi superjecerunt.
Val. Max. VI. 6.

Fortuna

1.) Ad invidiam usque Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitae fulgor excessit: nec sine causa. Omnes enim conatus ejus placido excipiebantur itinere: Spes certum cupitae rei fructum apprehendebat: vota nuncupabantur simul, et solvebantur: velle ac posse in aequo positum erat. Semel duntaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiae salebra succussum, tum cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit. Quem tamen continuo recuperavit, capto pisce, qui eum devoraverat. Sed hunc felicitatis semper plenis velis prosperum cursum tenere non potuit. Comprehensum enim Orontes, Darii regis praefectus, in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affixit. E qua putres ejus artus et tabido cruore manantia membra, atque illam laevam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam, Samos, amara servitudine aliquamdiu pressa, liberis ac laetis oculis aspexit. Val. Max. VI. 9. (Jactura.)

2.) Sequitur hunc (Dionysium) Syphax rex, consimilem fortunae iniquitatem expertus; quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Asdrubalem ultro petitum ad penates Deos ejus venerat. Caeterum eo claritatis evectus, ut validissimorum populorum tantum non arbiter victoriae existeret: parvi temporis interjecta mora catenatus a Laelio legato ad Scipionem imperatorem pertractus est: cujusque dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, ad ejus

genua supplex procubuit. Caduca nimirum (haec) et fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt, quae vires atque opes humanae vocantur.

Val. Max. VI. 9. (Jactura.)

3.) Dionysius autem, cum haereditatis nomine a patre Syracusanorum ac paene totius Siciliae tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens, propter inopiam litteras puerulos Corinthi docuit: eodemque tempore tanta mutatione majores natu, ne quis nimis fortunae crederet, magister ludi factus ex tyranno, monuit.

Val. Max. VI. 9. (Jactura.)

4.) Cede locum laesus fortunae, cede potenti.
Laedere qui potuit, prodesse aliquando valebit.

Cat. Dist. IV. 39.

5.) Non solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. Itaque efferuntur illi fere fastidio, et contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest.

Cic. Amic. 15.

6.) Cui spes omnis, et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil potest esse certi. Cic. Parad. II.

7.) Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas, quis ignorat? nam et cum prospero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur optatos: et cum reflavit, affligimur.

Cic. Off. II. 6.

8.) Puta deum ita dicere: auro illos (nempe sic dictos beatos hominum) argento et ebore ornavi; intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus adspicitis, si non, qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Bona vestra (sapientum) introrsus obversa sunt. Non egere felicitate, felicitas vestra est.

Senec. de prov. 6.

9.) Hoc est egregium, hoc securum ac liberum; nihil petere, et tota fortunae comitia transire.

Senec. epist. 118.

10.) Pamphilus. — — O fortuna, ut numquam
perpetua es data! Terentii Hecyra III. 3.

11.) **Demipho.** Omnes, cum secundae res sint maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant.
Terent. Phorm. II. 1. (Praeceptum.)

12.) — — — Heu, fortuna! quis est crudelior in nos
Te Deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Horat. Satyr. II. 8.

13.) Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo laeta manet, vultus modo sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est.
Ovid. Trist. V. 9.

14.) In mores fortuna jus non habet.
Sen. ep. 36. (Mores.)

15.) Non est, quod umquam fortunae armis putes esse te tutum: tuis pugna contra ipsam; fortuita non armant. Senec. epist. 113.

16.) Aequo animo excipe necessaria. Quid incredibile, quid novum evenit? Senec. epist. 99.
(Necessitas.)

17.) Errant, qui aut boni aliquid nobis, aut mali judicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac malorum, et initia rerum, apud nos in malum bonumve exiturarum. Senec. just. 98.

18.) Quanti animi res est, solum nihil petere, nulli supplicare, et dicere: Nihil mihi tecum, fortuna; non facio mei tibi copiam; nihil rogo. Senec. epist. 118.

19.) Nulla re major invidia fortunae fit, quam aequo animo. Senec. lib. ad Marc 6.
(Sapientia, Tranquillitas.)

20.) In regnum fortunae, et quidem durum atque invictum pervenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri. Senec. lib. ad Marc. 10. (Vita.)

21.) Quo melior est quisque, hoc saepius ferre te (de fortuna sermo est) consuevit, sine ullo delectu furentem, et inter ipsa beneficia metuendam.
Senec. lib. ad Polyb. 22.

22.) Hoc fuit in rebus humanis fortuna, hoc erit; — nihil invasum sibi reliquit, nihil intactum relinquet. Senec. lib. ad Polyb. 35.
(Interitus. Mutatio. Solatium.)

23.) — — — Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hic posuisse gaudet.
Horat. I. 34. (Mutatio.)

24.) Interim tene hoc mordicus: adversis non succumbere, laetis non credere, omnem fortunae licentiam in oculis habere, tamquam, quidquid potest facere, factura sit. Quidquid exspectatum est diu, levius accedit. Senec. epist. 78.

25.) Si fortuna volet, fies de rhetore consul;
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Juven. Satyr. 7.

26.) Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deum, coeloque locamus.
Juvenal. Satyr. 10.

27.) Nihil nobis improvisum esse debet; in omnia praemittendus est animus, cogitandumque, non quidquid solet, sed quidquid potest, fieri.
Senec. epistol. 91.

28.) Non habet, ut putamus, fortuna longas manus; neminem occupat; nisi haerentem sibi.
Senec. ep. 82.

29.) — — — Dî tibi formam,
Dî tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Hor. ep. I. 4.

30.) Nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigeris, accidere.
Senec. de Ira III. 6.

31.) Fortuna saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores:
Nunc mihi, nunc alii benigna. Hor. Od. III. 29.

32.) Nec forma aeternum, aut cuiquam est fortuna perennis. Prop. II. 28.
(Pulchritudo.)

33.) Luxuriant animi rebus plerumque secundis;
Nec facile est aequa commoda mente pati.
Ovid. ars amat. II.

34.) Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est;
Quae simul intonuit, proxima quaeque fugat.
Ovid. ex Ponto II. 3.

35.) Non est, quod me victum, victoremque te credas; vicit fortuna tua fortunam meam.

Senec. constant. sapient. 6.

36.) Quid est praecipuum (in rebus humanis)? Altos supra fortuita spiritus adtollere; hominis meminisse, ut, sive felix eris, scias, hoc non futurum diu; sive infelix, scias, hoc te non esse, si non putes.

Senec. quaest. natur. III. praef. (Sapientia.)

37.) Nescit fortuna quiescere, gaudet laetis tristia substituere, et utraque miscere. Itaque in secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat; alternae sunt vices rerum.

Senec. quaest. natural. III. praef.

38.) Major sum, quam cui possit fortuna nocere.

Ovid. Metamorph. VI. 195.

Fortuna mala.

1.) Quum tibi displiceat rerum fortuna tuarum,
Alterius specta, quo sit discrimine pejor.

Cat. Dist. IV. 32.

2.) Ignis aurum probat, miseria fortes viros.

Sen. de prov. 5.

3.) Praebendi fortunae sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur. — Ad contemnendam malorum potentiam animus patientia pervenit. Senec. de prov. 4.

(Patientia.)

4.) Quid miraris, bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est arbos solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Senec. de prov. 4.

5.) Nihil accidere bono viro mali potest. Est enim omnibus externis potentior. Senec. de prov. 2.

6.) Hanc rationem dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores; qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.

Senec. de prov. 4.

7.) — — — Grande dolori
Ingenium est, miserisque venit sollertia rebus.

Ovid. Metamorph. VI. 574. (Ingenium.)

8.) Non fert ullum ictum illaesa felicitas. At ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit, nec ulli malo cedit. Senec. de prov. 2.

9.) Felix qui patitur, quae numerare potest.
Ovid. Trist. V. 1. (Solatium.)

10.) Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quae dii immortales velut stimulos admovent animis. Calamitas virtutis occasio est. Senec. de prov. 4. (Virtus.)

11.) Hic status, haec rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat ut lacrymis nullus abesse modus.
Ovid. Trist. I. 8.

12.) Ecce spectaculum deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus! Senec. de prov. 2.

13.) Quae mea coelestes injuria fecit iniquos?
Quod mihi, vae miserae! sidus obesse querar?
Ovid. Heroid. Ep. 8.

14.) Quis deus opposuit nostris sua numina votis?
Ovid. Heroid. Ep. 5.

15.) An gravis inceptum peragit fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Ovid. Heroid. Ep. 15.

16.) Non mea sunt summa leviter districta sagitta
Pectora: descendit vulnus ad ossa meum.
Ovid. Heroid. Ep. 16.

17.) Cogita, non esse magnum se rebus prosperis fortem gerere; ubi secundo cursu vita procedit: nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare et obsequens ventus ostendit; adversi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. Senec. lib. ad Marc. 6.
(Luctus. Solatium.)

18.) Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi. Non licuit enim illi se experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum, male tamen de illo dii judicaverunt. Indignus visus est, a quo vinceretur aliquando fortuna. Senec. de prov. 3.

19.) Prospera in plebem ac vilia ingenia deveniunt. At calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem et sine morsu animi velle transire vitam, ignorare est rerum naturae alteram partem. Senec. de prov. 4.
(Vir magnus.)

Fragilitas.

1.) Honores, monumenta, quidquid aut decretis ambitio jussit, aut operibus exstruxit, cito subruitur;

nihil non longa demolitur vetustas, et movet ocyus, quod consecravit. Sen. brevit. vitae 15.

(Honores. Tempus.)

2.) Ita est; nihil perpetuum, pauca diuturna sunt; aliud alio modo fragile est; rerum exitus variantur; caeterum quidquid coepit, et desinit.

Senec. lib. ab Polyb. 20. (Interitus,)

Fraus.

1.) Tam facile et pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat! Juvenal. Sat. 13.

2.) — — — Adspice quanta
Voce neget, quae sit ficti constantia vultus!
Per solis radios Tarpejaque fulmina jurat.
Juvenal. Sat. 13.

3.) — — — Qui nigrum in candida vertunt.
Juvenal. Satyr. 3.

4.) — — — Pulchra Laverna!
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri:
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
Hor. ep. I. 16.

5.) Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti,
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose;
Blanditia certare; bonum simulare virum se;
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.
(Lucil.)

Frigus.

Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Virg. Eclg. VII. 51.

Frugalitas.

1.) M. autem Curius exactissima norma Romanae frugalitatis, idemque fortitudinis perfectissimum specimen, Samnitium legatis agresti se in scamno assidentem foco atque ligneo catillo coenantem (quales epulas, apparatus indicio est) spectandum praebuit. Ille enim Samnitium divitas contemsit: Samnites ejus paupertatem mirati sunt. Nam cum ad eum magnum auri pondus publice missum attulissent, benignis verbis invitatus, ut eo uti vellet, vultum risu solvit, protinusque,

Supervacuae, inquit, ne dicam ineptae legationis ministri, narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: atque istud ut pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, et mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. Val. Max. IV. 3.

2.) Commoda naturae nullo tibi tempore deerunt,
Si fueris contentus eo, quod postulat usus.
Cat. Dist. IV. 2.

3.) Rebus et in censu si non est, quod fuit ante,
Fac vivas contentus eo, quod tempora praebent.
Cat. Dist. III. 12. (Paupertas.)

4.) Socrates, in pompa cum magna vis auri argentique ferretur: Quam multa non desidero! inquit.
Cic. Tusc. Quaest. V. 32. (Socrates.)

5.) Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta adtulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima, abduxit legatos ad coenam in Academiam; iis adposuit tantum, quod satis esset, nullo adparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerari juberet: Quid? vos hesterna, inquit, coenula non intellexistis, me pecunia non egere? Quos cum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.
Cic. Tusc. Quaest. V. 32. (Xenocrates.)

6.) Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leves somnos timor aut cupido.
Sordidus aufert. Horat. Od. II. 16.

7.) Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus arcturi cadentis
Impetus aut orientis hoedi;
Non verberatae grandine vineae.
Fundusve mendax. Horat. Od. III. 1.

8.) Quanto quisque sibi plura negaverit,
A dis plura feret. Horat. Od. III. 16.

9.) — — — Multa petentibus
Desunt multa; bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu. Hor. Od. III. 16.

10.) — — — Haud paravero,
Quod, aut avarus, ut Chremes, terra premam;
Discinctus aut perdam ut nepos. Hor. Epod. I.

11.) Dies deficiat, si velim paupertatis causam defendere; aperta enim res est, et quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus. Cic. Tusc. Quaest. V. 35. (Paupertas.)

12.) Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,
Discite! Horat. satyr. II. 2.

13.) Sensit Alexander, testa cum videt in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis aequanda pericula rebus.
Juven. Sat. 14.

14.) — — — — Cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet.
Hor. Satyr. II. 2.

15.) — — — Non in caro nidore voluptas
Summa; sed in te ipso est. Horat. satyr. II. 2.

16.) Ventre nihil novi frugalius.
Juvenal. Satyr. 5.

17.) Hoc erat in votis: modus agri, non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons,
Et paullum sylvae super his foret.
Horat. Satyr. II. 6.

18.) — — — — Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius, hic, qui
Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum;
An qui contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Hor. Satyr. II. 2.

Frustra.

1.) In sylvam ne ligna feras insanius.
Hor. sat. I. 10. (Supervacanea.)

2.) Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti.
Catull. 64.

Furia.

1.) — — — Adsum dirarum ab sede sororum,
Bella manu letumque gero. Virg. Aen. VII. 454.
(Bellum.)

2.) — — — Cui tristia bella,
Iraeque, insidiaeque, et crimina noxia cordi.
Virg. Aen. VII. 325.

3.) Tu potes unanimos armare in proelia fratres,
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Secundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Virg. Aen. VII. 335. (Bellum.)

Furtum.

1.) Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Cic. Off. III. 6.

2.) Non magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi, quam detractio, aut appetitio alieni. Cic. Off. III. 6.

3.) Quis tibi permisit nostras praecidere messes?
Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?
Ovid. Heroid. Ep. 20.

Futurum.

1.) Quis scit an adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora dî superi? Hor. Od. IV. 7.

2.) Non enim illa, quae futura sunt, subito existunt, sed est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis, nihil novi efficientis, et primum quidque replicantis. Cic. divin. I. 56.

3.) Syrus. — — — O Demea,
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est,
Videre, sed etiam illa, quae futura sunt,
Prospicere. Ter. Adelph. III. 3. (Sapientia.)

4.) Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Hor. Od. III. 29.

5.) Effugere nemo id potest, quod futurum est. Saepe autem ne utile quidem est scire, quid futurum sit; miserum est enim, nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremum, et tamen commune solatium. Cic. nat. deor. III. 6.

Garrulitas.

1.) Quid de quoque viro, et cui dicas, saepe videto.
Hor. ep. I. 18.

2.) — Tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, et rixae multo minus, invidiaeque
Hor. ep. I. 17.

3.) Rumorem fuge, ne incipias novus auctor haberi,
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
Cat. Dist. I. 12. (Taciturnitas.)

Gaudia.

1.) Ingratus est, qui injuriam vocat finem voluptatis; stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi praesentium; qui non in praeteritis acquiescit, et ea judicat certiora, quae abierunt; quia de illis, ne desinant, non est timendum. Senec. lib. ad Polyb. 29. (Voluptates.)

2.) Nimis angustat gaudia sua, qui eis tantum modo, quae habet ac videt, frui se putat, et habuisse eadem pro nihilo ducit. Cito enim nos omnis voluptas relinquit; quae fluit et transit, et paene ante, quam veniat, aufertur. Itaque in praeteritum tempus animus mittendus est, et, quidquid nos umquam delectavit, reducendum ac frequenti cogitatione pertractandum est. Longior fideliorque est memoria voluptatum, quam praesentia. Senec. lib. ad Polyb. 29. (Voluptates.)

3.) — — — Nulli sincera voluptas,
Sollicitique aliquid laetis intervenit.
Ovid. Metamorph. VII. 453.

4.) Gaudia principium nostri sunt saepe doloris.
Ovid. Metamorph. VII. 796.

5.) Jam nos securae reddamus tempora mensae;
Venit post multos una serena dies.
Tibull. III. 6. (Festum.)

6.) At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere; non tardo labitur illa pede. Tibull. I. 8.

7.) Si quidquam cupido quoe optantique obtigit umquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Catull. 106.

8.) Anguste fructus rerum determinat, qui tantum praesentibus laetus est; et futura et praeterita delectant: haec exspectatione, illa memoria. Senec. epist. 99.

9.) Et quodcumque mali est, et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.
Tibull. II. 3.

10.) Animus esse debet alacer et fidens et super omnia erectus.
Mihi crede, res severa est verum gaudium.
Sen. epist. 23.

11.) Levium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assidue plenius responsura fodienti. Senec. epist. 23. (Labor.)

12.) Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte,
Immortalis ero, si altera talis erit. Prop. II. 14.

13.) Cujus perpetua futura laetitia, is suo gaudeat. Omnia autem, quibus vulgus inhiat, ultro citroque fluunt. Sen. ep. 72.

14.) Omnes tendunt ad gaudium; sed unde stabile magnumque consequantur, ignorant. Sen. ep. 59.

15.) Si appetis voluptates et undique et omnes, scito tantum tibi ex sapientia, quantum ex gaudio deesse. Sen. ep. 59. (Voluptates.)

Genus.

1.) Istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. (serm. de Scip.) Ciceronis Brutus 58. (Origo.)

2.) Plato ait: Neminem regem non ex servis esse oriundum, neminen non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, et sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergo generosus? ad virtutem bene a natura compositus. Hoc unum est intuendum; alioqui si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. Senec. ep. 44 (Nobilitas.)

Geographia.

Ego quidem centuriones duos, quos Nero Caesar, ut aliarum virtutum, ita veritatis imprimis amantissimus, ad investigandum caput Nili miserat, audivi narrantes, longum illos iter peregisse, cum a rege Aethiopiae instructi auxilio, commendatique proximis regibus, penetrassent. Ad ulteriora quidem, ajebant, pervenimus ad immensas paludes, quarum exitum nec incolae noverant, nec spirare quisquam potest; ita implicitae aquis herbae sunt, et aquae nec pediti eluctabiles, nec

navigio; quod nisi parvum et unius capax, limosa et obsita palus non ferat. Senec. Quaest. natural. VI. 8.
(Nilus.)

Geometria.

1.) Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo judicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur; Themistoclesque aliquot ante annos, quum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur; in summo apud illos honore Geometria fuit. Itaque nihil mathematicis illustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate, hujus artis terminavimus modum. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 2.
(Graeci, Mathesis, Musica, Romani.)

2.) Quaedam res semel perceptae, haerent; quaedam, ut scias, non est satis didicisse (intercidit enim eorum scientia, nisi continuetur): Geometriam dico et sublimium cursum. Seneca. benef. III. 5.

Gesticulatio.

1.) Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem; et idem tertium, respondisse. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit; talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.
Ciceronis Brutus 38. (Orator.)

2.) Est actio quasi sermo corporis: quo magis menti congruens esse debet. Cic. de oratore III. 59.

3.) In actione secundum vocem vultus valet. Is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguae societate conjunctus est; sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet; iisdem notis et in aliis agnoscunt, et in se ipsi indicant. Cic. de oratore III. 59.
(Oculi, Vultus.)

4.) Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, quum constet e voce et motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Cic. Orat. cap. 27.

5.) Nam et infantes, actionis dignitate, eloquentiae saepe fructum tulerunt; et diserti, deformitate agendi, multi infantes putati sunt: ut jam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas et secundas et tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac, haec autem sine eloquentia tanta est: certe plurimum in dicendo potest. Cic. Orat. cap. 17.

6.) Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam adfert tum dignitatem, tum venustatem, in quo quum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. Nam ut imago est animi, vultus, sic indices oculi; quorum et hilaritatis, et vicissim tristitiae modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt.

Cic. Orat. cap. 18.

Gloria.

1.) Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum est?
Juv. Satyr. 7.

2.) Unus Pellaeo juveni non sufficit orbis.
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyarae clausus scopulis parvaque Seripho;
Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Juv. Satyr. 10.

3.) Quid in hac republica tot tantosque viros ob rempublicam interfectos cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? Nemo umquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offeret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi. Sed nescio quomodo inhaereat in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existit maxime, et adparet facillime. Quo quidem demto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret? Loquor de principibus. Quid poëtae? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud?

»Adspicite, o cives, senis Enii imagini' formam:«
Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres adfecerat gloria; idemque:

»Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivu' per ora virûm.«

Sed quid poëtas? opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervae, quum inscribere non liceret? quid nostri philosophi? nonne in his ipsis libris quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?

Quod si omnium consensus naturae vox est, omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint: nobis quoque idem existimandum est; et, si, quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturae vim maxime: verisimile est, quum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensum sit habiturus. Cic. Tusc. Quaest. I. 15. (Immortalitas.)

4.) Sed famae vigilare juvet. Quis nosset Homerum,
Ilias aeternum si latuisset opus?
Ovid. ars amat. III.

5.) Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis, et coelestia tentat.
Hor. epist. I. 17. (Vita practica.)

6.) — — — Patriam obruit olim
Gloria paucorum, et laudis titulique cupido.
Juv. Sat. 10.

7.) — Fulgente trahit constrictos gloria curru,
Non minus ignotos generosis. Hor. Satyr. I. 6.

8.) Cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam diu loquentur? (loquitur Scip. Maj. defunctus ad vivum Minorem in somnio).
Cic. rep. VI. 20. Somn. Scip.

9.) Propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. Quid autem interest, ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, et certe meliores fuerunt viri. Cic. rep. VI. 21. Somn. Scip.

10.) Quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? (loquitur de anno isto magno mundi, quem nostrorum annorum 15000 efficere putant philosophi).

Cic. rep. VI. 23. Somn. Scip.

11.) Dignum laude virum Musa vetat mori,
Coelo Musa beat. Hor. Od. IV. 8.

12.) Corpora debentur moestis exsanguia bustis:
Effugiunt structos nomen honorque rogos.

Ovid. ex Ponto. III. 2.

13.) Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus.

Cic. off. I. 19.

14.) Facillime autem ad res injustas impellitur, ut quisque est altissimo animo, gloriae cupiditate. Qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui, laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Cic. Off. I. 19.

15.) Cavenda est etiam gloriae cupiditas, ut supra dixi. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnumquam. Cic. off. I. 20.

16.) Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes. Horat. II. 2.

17.) Gloria vanum et volatile quiddam est, auraque mobilius. Senec. epist. 123.

18.) Ardua per praeceps gloria vadit iter.

Ovid. Trist. IV. 3.

19.) Non tua carminibus major fit gloria, nec quo,
Ut major fiat, crescere possit habet.

Ovid. Trist. II.

20.) Fertur optimus quisque ad gloriam popularem, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime inquirit, in summa inanitate versatur, consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae; est enim gloria, solida quaedam res et expressa, non adumbrata; ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute; ea virtuti resonat, tamquam imago; quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quae se ejus imitatricem esse vult, temeraria atque in-

considerata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit; qua caecitate homines, cum quaedam etiam praeclara cuperent, eaque nescirent nec ubi nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt; atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quam cursus errore falluntur.

Cic. Tusc. Quaest. III. 2.

21.) Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt. Virg. Ecl. V. 78.

22.) Tantus amor laudum, tantae est victoria curae! Virg. Georg. Lib. III. v. 112.

23.) Summa igitur, et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo: si fidem habet: si cum admiratione quadam honore dignos putat.

Cic. Off. II. 9.

24.) Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra. Virg. Aen. Lib. IX. v. 641.

25.) Themistocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, cum ille dixisset, non eum sua, sed patriae gloria splendorem assecutum: Nec hercule, inquit, si ego Seriphius essem, nobilis: nec tu, si Atheniensis esses, clarus umquam fuisses.

Cic. Sen. 3. (Merita.)

26.) De cunctatore Fabio praeclare familiaris noster Ennius:

Unus, qui nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Cic. Sen. 4.

27.) Nulla dies umquam memori vos eximet aevo. Virg. Aen. IX. 447.

28.) Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus. Cic. Off. II. 14.

29.) Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent: iidem gloriae jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante; ut Callicratidas, qui cum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello, multaque fecisset egregie; vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam, nec cum Athenien-

sibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit: Lacedaemonios classe illa amissa aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris; illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebot enim rumores ante salutem.
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Cic. Off. I. 24.

30.) Quamquam praeclare Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, et inani ostentatione, et ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Cic. Off. II. 12.

31.) Qui adipisci veram gloriam volet, justitiae fungatur officiis. Cic. Off. II. 13.

32.) Ut pecuniae non quaerendae solum ratio est, sed etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria et quaerenda, et collocanda ratione est.

Cic. Off. II. 12.

Graeci.

1.) Jam illa, quae natura, non literis adsequuti sunt (sc. Romani), neque cum Graecia, neque ulla cum gente sunt conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in illis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda?

Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 1. (Romani.)

2.) Doctrina Graecia nos et omni literarum genere superabat; in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam quum apud Graecos antiquissimum sit e doctis genus poëtarum, si quidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo; serius poëticam nos accepimus: annis enim fere quingentis decem post Romam conditam Livius fabulam de-

dit, C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano, consulibus, anno ante natum Ennium, qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 1. (Romani.)

3.) — — Vos exemplaria graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
Hor. Pis. 268.

4.) Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Hor. Pis. 323.

5.) Graecis carere in hoc quidem sermonis genere non possumus (loquitur de literis); nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda. Cic. de oratore III. 34. (Romani.)

6.) Meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Graecos; aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 1. (Romani.)

7.) Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio. Hor. epist. II. 1.

Grammatica.

1.) De rebus grammaticalibus et verbis singulis Cicero tractat in opere suo rhetorico, quod inscribitur »Orator.« Cic. Orat. cap 44. usque cap. 51. (Verba.)

2.) Quamvis enim suaves gravesque sententiae, tamen, si inconditis verbis efferuntur, offendent aures; quarum est judicium superbissimum. Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit conjugere. Cic. Orat. cap. 44. (Verba.)

Gratia.

1.) Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. Cic off. I. 15.

2.) Quodsi ea, quae utenda acceperis. majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus: quid nam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus adferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt? Cic. off. I. 15.

3.) Cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, nec ne, in nostra potestate est; non reddere, viro bono non licet.
Cic. off. I 15.

4.) Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi; nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen imprimis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo, in omnes, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda, atque ea, quae judicio, considerate constanterque delata sunt. Cic. off. I. 15.

5.) Videndum illud est, quod si opulentum, fortunatumque defenderis, in illo uno, aut forte in liberis ejus manet gratia; sin autem inopem, probum tamen, et modestum, omnes non improbi humiles (quae magna in populo multitudo est) praesidium sibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto. Cic. off. II. 20.

6.) Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid,
Usquam justitia est, et mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. Virg. Aen. I. 603.

Gratiae.

1.) Nominis ante mei venient oblivia nobis,
Pectore quam pietas sit tua pulsa meo.
Ovid. ex Pont. II. 11.

2.) Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quam fiat meriti gratia vana tui.
Ovid. ex Pont. II. 11.

3.) O referant grates, quoniam non possumus ipsi,
Di tibi: qui referent, si pia facta vident.
Ovid. ex Pont. II. 11.

4.) An quisquam in mediis persolvit vota procellis?
Quum saepe in portu fracta carina natet.
Prop. II. 25.

5.) Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde est;
Et finem pietas contigit illa suum.
Ovid. ex Pont. IV. 8.

6.) Est tanti, ut gratum invenias, experiri et ingratos.
Sen. epist. 81.

7.) — — — — — — Numquam
Esse satis potero (praestem licet omnia) gratus.
Ovid. Metamorph. XIV. 170.

Gratulatio.

1.) — — Pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris! Horat. Od. IV. 4.
2.) — — Habes, tota quod mente petisti.
Virg. Aen. IV. 100.

3.) Quem esse natum et nos gaudemus, et haec civitas, dum erit, laetabitur. Cic. Amic. 4.

4.) — — Quod optanti Divom promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro!
Virg. Aen. IX. 6.

Gratus.

1.) Gratum hominem semper beneficium delectat; ingratum semel. Comparari autem potest utriusque vita; cum alter tristis sit et sollicitus, qualis esse inficiator ac fraudulentus solet, apud quem non parentum, qui debet, honor est, non educatoris, non praeceptorum: alter laetus, hilaris, occasionem referendae gratiae exspectans, et ex hoc ipso affectu gaudium grande percipiens. Sen benef. III 17.

2.) — — Nec me meminisse pigebit,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus. Virg. Aen. IV. 335.

3.) Male agit, qui famae, non conscientiae gratus est.
Senec. benef. VI. 42.

Gratus animus.

1.) O mihi post ullos nunquam memorande sodales,
Et cui praecipue sors mea visa sua est!
Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras
Ibit et in tepido deseret ossa rogo,
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro,
Et longa pietas excidat ista die.
Ovid. Trist. I. Eleg. 4.

2.) Quid est honestius, quam gratum esse? Hujus virtutis materia tam late patet, quam vita.
Sen. benef. IV. 19.

3.) Prodest gratum esse; ero tamen gratus, etiam si noceat. Sen. benef. IV. 20.

4.) Non minoris est animi beneficium debere, quam dare; eo quidem operosius hoc quam illud, quo majore diligentia custodiuntur accepta, quam dantur.

Sen. benef. VI. 43.

5.) Quam multa sunt, per quae, quidquid debemus, reddere etiam felicibus possumus! fidele consilium, assidua conversatio, sermo comis, et sine adulatione jucundus; aures, si deliberare velit, diligentes; tutae, si credere; convictus familiaritas. Sen. benef. VI. 29.

6.) Omnis virtus, et imprimis illa grati animi, multum quidem praestat, sed non vult ob hoc diligi: amplius quiddam in se habet, nec satis ab eo intelligitur, a quo inter utilia numeratur. Senec. benef. IV. 24.

7.) Plus praestitit, qui fugientes occassiones sequutus est, et alia atque alia captavit, per quae referre gratiam posset, quam is, quem, sine ullo sudore, gratum prima fecit occasio. Senec. benef. VII. 14.

8.) Alia fortasse minus dignitatem suam praeferunt, et, an sint honesta, interprete egent; hoc expositum est, pulchriusque, quam ut splendor ejus dubie ac parum luceat: quid tam laudabile, quid tam aequaliter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam. Senec. benef. IV. 16.

9.) Aeque delinquit, qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quam qui suo cessat.

Senec. benef. VI. 43.

10.) Quod si animus, sine re, ad referendam gratiam non valet, nemo adversus Deos gratus est; in quos voluntas sola confertur. Diis, inquit, nihil aliud praestare possumus. Sed si huic quoque, cui referre gratiam debeo, nihil aliud praestare possum; quid est, quare non eo adversus hominem gratus sim, quo nihil amplius in Deos confero? Senec. benef. VII. 15.

11.) Officia etiam ferae sentiunt; nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat. Senec benef. I. 3.

12.) Malo loco beneficium est, nisi et excussis manibus esse grato licet. Senec. benef. II. 31.

13.) Non referre beneficiis gratiam, et est turpe, et apud omnes habetur. Senec. benef. III. 1.

Gustus.

Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
Ille Bioneis sermonibus, et sale nigro.
Hor. epist. II. 2.

Harmonia sphaerarum.

1.) Hoc sonitu (e volutatione sc. corporum caelestium) oppletae aures hominum obsurduerunt; nec est ullus hebetior sensus in vobis (loquitur Scip. Maj. defunctus ad Minorem vivum in somnio): sicut, ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum adcolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint; sicut intueri solem adversum nequitis, ejusque radiis acies vestra sensusque vincitur.
Cic. rep. VI. 18. (Somn. Scip.)

2.) Ad harmoniam canere mundum, Pythagoras existimat. Cic. nat. deor. III. 11.

Haruspex.

1.) Mirabile videtur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem viderit. Cic. nat. deor. I. 26.
(Superstitio.)

2.) Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se ajebat, quod non rideret haruspex haruspicem cum vidisset. Cic. divin. II. 24.

Helluo.

1.) — — — Quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia? Catull. 29.
2.) — — — — Grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus.
Hor. Satyr. II. 2.
3.) — — — Quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poscit, et adpositis queritur jejunia mensis;
Inque epulis epulas quaerit; quodque urbibus esse,
Quodque satis populo poterat, non sufficit uni.
Ovid. Metamorph. VIII. 830.
4.) — Quibus in solo vivendi causa palato est.
Juv. Satyr. 11.

5.) — — — — Harpyiis gula digna rapacibus.
Hor. Sat. II. 2.

6.) — — — — — — Simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Hor. Satyr. II. 2.

7.) — — — — Corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una;
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Hor. Satyr. II. 2.

8.) — — — In magna quaere popina.
Invenies aliquo cum percussore jacentem,
Permixtum nautis et furibus, ac fugitivis,
Inter carnifices et fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli:
Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Juv. Satyr. 9, 8.

9.) Sardanapalus incidi jussit in busto:
Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa et praeclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulchro inscriberes? Haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius habebat, quam fruebatur. Cic. Tusc. Quaest. V. 35. (Sardanapalus.)

Hereditas.

1.) Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio praestantior, gloria virtutis rerumque gestarum; cui dedecori esse nefas et vitium judicandum est. Cic. off. I. 33.

2.) Mihi quidem etiam verae hereditates, non honestae videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum; non veritate sed simulatione quaesitae.
Cic. off. II. 18.

3.) Hereditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non observat? loquitur ad voluntatem: quidquid denunciatum sit, facit: assectatur, assidet, muneratur. Cic. Parad. V.

Herodotus.

Sunt Herodotus Thucydidesque mirabiles. Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter

incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, primisque ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere. Cic. Orat. cap. [illegible]2.

(Historicus. Thucydides.)

Hiems.

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curasque resolvit:
Ceu pressae cum jam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
Virg. Georg. l. I. 300.

Hilaritas.

1.) Cressa ne careat pulchra dies nota;
Neu promptae modus amphorae;
Neu morem in Salium sit requies pedum,
Neu desint epulis rosae. Hor. l. I. 36.

2.) Nunc est bibendum, nunc, pede libero,
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales. Horat. l. I. 37.

3.) Musis amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare creticum
Portare ventis. Horat. l. I. 26.

4.) Misce stultitiam consiliis brevem;
Dulce est desipere in loco. Horat. Od. IV, 12.

5.) — — Rapiamus amici
Occasionem de die:
Dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Hor. Epod. 13.

6.) Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.
Cat. Dist. III. 7.

7.) Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amoenae ferre jube rosae,
Dum res et aetas et sororum
Fila trium patiuntur atra. Horat. l. II. 3.

8.) Quid sit futurum cras, fuge quaerere, et
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone. Horat. l. I. 9.

9.) Tu ne quaesieris (scire nefas), quem mihi, quem tibi
Finem di dederint; vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida
Aetas; carpe diem. Horat. l. I. 11.

10.) Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum. Hor. Od. l. II. 16.

11.) Immortalia ne speres, monet annus, et almum
Quae rapit hora diem. Hor. Od. IV. 7.

12.) Cuncta manus avidas fugient haeredis, amico
Quae dederis animo. Horat. Od. IV. 7.

13.) Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituit pietas. Hor. Od. IV. 7.

14.) Me juvat et mentem multo vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Prop. III. 5. (Vinum.)

15.) Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam; nec metuam, quid de me judicet haeres.
Hor. ep. II. 2.

16.) — — — Quod adest memento
Componere aequus; caetera fluminis
Ritu feruntur. Hor. Od. III. 29.

17.) — — — Ille potens sui,
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse: vixi. Cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcumque retro est efficiet.
Hor. Od. III. 29.

Historia.

1.) Nescire autem, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est, semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur? Cic. Orat. cap. 34.

2.) Quintus. Intelligo, te, frater, alias in historia leges observandas putare, alias in poëmate. Mar-

cus. Quippe cum in illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque.

Cic. Leg. I. 1. (Poësis.)

3.) Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.

Cic. de oratore II. 9.

4.) Quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde, ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum, quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cujusque vita atque natura. Cic. de oratore II. 15.

(Historicus.)

Historicus.

1.) Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sentiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et praessus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Cic. de oratore II. 13. (Thucydides.)

2.) Consumpsere se quidam, dum acta regum externorum componunt, quaeque passi invicem ausique sunt populi. — Quanto satius est, sua mala exstinguere, quam aliena posteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quam Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuere pestes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfusum est; quam conflagratio, qua magna pars animimantium exaruit!

Senec. Quaest. Natural. III. praef. (Philosophari.)

Homerus.

Non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur: qui in insula, quia quaestionem a piscatoribus propositam solvere non potuisset, dolore absumptus creditur. Val. Max. IX. 12.

Homo.

1.) Illae (sc. belluae) nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu. hominis autem mens discendo alitur et cogitando; semper aliquid anquirit aut agit, videndique et audiendi delectatione ducitur. Cic. Off. I. 30.

2.) Quod autem imperium, qui magistratus, quod regnum potest esse praestantius, quam despicientem omnia humana et inferiora sapientia ducentem, nihil umquam nisi sempiternum et divinum animo volutare? cui persuasum sit, adpellari caeteros homines, esse solos eos, qui essent politi propriis humanitatis artibus.
Cic. de republica I. 17. (Sapiens. Tranquillitas. Humanitas.)

3.) Tu vero enitere, et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc; neque enim tu es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque; non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse; siquidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus; et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.
Cic. rep. VI. 24. Somn. Scip (Immortalitas.)

4.) In libro tertio de republica Tullius hominem dicit, non ut a matre, sed ut a noverca natura, editum in vitam corpore nudo, fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis.
Cic. rep. III. 1.

5.) Homo, cum fragilis imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est, et ea omnia, quae firmiora nascuntur, etiamsi vim coeli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quam natura mutis; quon-

iam in illis nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimantur a nobis, aut nostrae subjecta sint potestati.

Cic. rep. III. 1.

6.) Plato naturae gratias egit, quod homo natus esset.

Cic. rep. III. 1. (Plato.)

7.) Nec vero illa parva vis naturae est, rationisque, quod unum hoc animal (sc. homo.) sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat, in factis dictisque, qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat; cavetque, ne quid indecore, effeminateve faciat; tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum; quod, etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit, quodque vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile. Cic. off. I. 4.

8.) Nullum animal morosius est; nullum majore arte tractandum, quam homo; nulli magis parcendum.

Senec. clement. I. 17.

9.) Nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo, nec mortuo; nec umquam ejus res a diis immortalibus negligentur.

Cic. Tusc. Quaest. I. 41. (Virtus.)

10.) O quam contemta res est homo, nisi supra humana se erexerit!

Senec. Quaest. natural. I. 1. (Philosophia.)

11.) Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus pleneque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis adpareat; colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime his virtutibus lenioribus erit ornatus; modestia, temperantia, justitia. Cic. off. I. 15.

(Aestimatio.)

12. Pro bonis mala amplectimur; optamus contra

id, quod optavimus; pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consiliis. Sen. ep. 45.

(Dubitatio. Perversitas.)

13.) — — — — — — Mundi
Principio indulsit communis conditor illis (brutis)
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare juberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, et proavis habitatas linquere sylvas:
Aedificare domos, Laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus atque una portarum clave teneri.

Juv. Satyr. 15. (Societas.)

14.) Inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se adcommodat, paullulum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat et rebus praesentibus adjungit, atque adnectit futuras: facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias: eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem: ingeneratque imprimis praecipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque, ut hominum coetus et celebrationes esse et a se obiri velit: ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum: nec sibi soli, sed conjugi, liberis, caeterisque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quae cura exsuscitat etiam animos et majores ad rem gerendam facit.

Cic. off. 1. 4. (Ratio.)

15.) Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites, attribuit, ac nuntios: et rerum plurimarum obscuras, et necessarias intelligentias enodavit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem, et aptam ingenio dedit. Nam cum cete-

ras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caelique quasi cognationis, domiciliique pristini conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, praeter hominem, potest, indicat mores. Cic. Leg. I. 9.

16.) Hoc jubet illa Pythicis oraculis adscripta vox: »Nosce te.« Quid est homo? quodlibet quassum vas et quodlibet fragile; jactatu, non tempestate magna, ut dissiperis, est opus. Ubicumque arietaveris, solveris. Quid est homo? imbecillum corpus, et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnem fortunae contumeliam projectum; cum bene lacertos exercuit, cujuslibet ferae pabulum, cujuslibet victima, ex infirmis fluidisque contextum, ex lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, aestus, laboris impatiens; ipso rursus situ et otio iturum in tabem; alimenta metuens sua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur; anxiae sollicitaeque tutelae, precarii spiritus et male haerentis, quem pavor repentinus, aut item ex improviso sonus auribus gravis excutit; soli semper sibi nutrimentum vitiosum et inutile. Nam quid enim, ut concidat, res magni molimenti est? Odor illi saporque, et lassitudo, et vigilia, et humor, et cibus, et, sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocumque se movet, infirmitatis suae statim conscium, non omne coelum ferens, aquarum novitatibus, flatuque non familiaris aurae, et tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, cassum, a fletu vitam auspicatum: cum interim, quantos tumultus hoc tam contemtum animal movet? in quantas cogitationes oblitum conditionis suae venit? Immortalia, aeterna volutat animo, et in nepotes pronepotesque disponit; cum interim longa conantem eum mors opprimit; et hoc, quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum. Senec. lib. ad Marc. c. 11.

17.) Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni coelo, atque terra, ratione divinius? quae cum adolevit, atque perfecta est, nominatur rite Sapientia. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine, et in deo; prima homini cum deo rationis

societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem haec sunt inter eos communia, et civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis, et potestatibus parent: multo etiam magis parent huic coelesti descriptioni, mentique divinae, et praepotenti deo: ut jam universus hic mundus, una civitas fit communis deorum, atque hominum, existimanda.

Cic. Leg. I. 7. (Ratio.)

18.) Quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster; quanto valentiora animalia sub jugum miserimus, quanto velociora consequamur; quam nihil sit mortale, non sub ictu nostro positum. Sen. benef. II. 29.

19.) Virtus eadem in homine, ac deo est, neque ullo alio ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta, et ad summum perducta natura. Est igitur homini cum deo similitudo. Quod cum ita sit, quae tandem potest esse propior certiorve cognatio? Cic. Leg. I. 8. (Virtus.)

20.) Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in causa est; non posse praetenditur. Senec. epist. 116.

21.) Non vides, qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quae primum nascentium omen fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit; sic vitam agimus; ideoque moderate id fieri debet a nobis, quod saepe faciendum est. Et respicientes, quantum a tergo rerum tristium immineat, si non finire lacrymas, at certe reservare debemus. Nulli parcendum est rei magis, quam huic, cujus tam frequens usus est. Senec. lib. ad Polyb. c. 23.

(Lacrymae. Solatium. Vita.)

22.) Omnia licet, quae umquam ingenia fulserunt, in hoc unum consentiant, numquam satis hunc humanarum mentium caliginem mirabuntur: praedia sua occupari a nullo patiuntur, et, si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrunt; in vitam suam incedere alios sinunt, imo vero ipsi etiam possessores ejus futuros inducunt. Nemo invenitur, qui pe-

cuniam suam dividere velit: vitam unusquisque, quam multis distribuit? Adstricti sunt in continendo patrimonio: simul ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo, cujus unius honesta avaritia est.

Senec. de brev. vit. c. 3. (Tempus. Vita.)

23.) Chremes. Homo sum: humani nihil a me alienum puto. Ter. Heaut. I. 1. (Sympathia.)

24.) Demea. — — Proh, Juppiter!
Hominis stultitiam.

Ter. Adelph. III. 3. (Stultitia.)

25.) Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus: nos fruges serimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris foecunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus: nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

Cic. nat. deor. II. 60.

26.) Cogitavit nos ante natura, quam fecit; nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere. Vide, quantum nobis permiserit, quam non intra homines humani imperii conditio sit; vide, in quantum corporibus vagari liceat, quae non coërcuit fine terrarum, sed omnem in partem sui misit; vide, animi quantum audeant, quemadmodum soli aut noverint deos, aut quaerant, et mente in altum data divina comitentur.

Sen. benef. VI. 23. (Natura.)

27.) Scias, non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum natura nihil habet, quo magis glorietur, aut certe, cui glorietur. Senec. benef. VI. 23.

28.) Quid vero? hominum ratio non in coelum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus; ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus: defectiones solis et lunae cognitae, praedictaeque in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. Quae contuens animus, accipit ab his cognitionem deorum; ex qua oritur pietas: cui conjuncta justitia est, reliquaeque virtutes: e quibus vita beata exsistit par et similis deorum; nulla re nisi immortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens coelestibus.

Cic. nat. deor. II. 61.

29.) Ad hanc (praecedit de structura corporis) providentiam natura tam diligentem, tamque sollertem, adjungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a deo, quamque eximiae tributae sint: qui primum eos humo excitatos, celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem, e terra coelum intuentes, capere possent. Sunt enim homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Cic. nat. deor. II. 56.

30.) De quo (sc. homine) dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio esset in nobis: ex quo videlicet, quid ex quibuscunque rebus efficiatur, idque ratione, concludimus: singulasque res definimus, circumscripteque complectimur: ex quo scientia intelligitur quam vim habeat, qualis sit: qua ne in deo quidem est res ulla praestantior.
Cic. nat. deor. II. 59.

Homo novus.

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.
Juvenalis Satyr. 3.

Honestas.

1.) Dubitandum non est, quin numquam possit utilitas cum honestate contendere.
Cic. off. III. 3. (Utilitas.)

2.) Eadem utilitatis, quae honestatis est regula: qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus; sic enim cogitans: Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit: res a natura copulatas audebit errore divellere; qui fons est fraudium, maleficiorum scelerum omnium. Cic. off. III. 18. (Utilitas.)

3.) Pervertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, cum utilitatem ab honestate sejungunt, omnes enim expetimus utilitatem, ad eamdem rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus; nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? sed quia nusquam possumus, nisi in lau-

de, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima, et summa habemus. Cic. off. III. 28.
(Utilitas.)

4.) Si ad honestatem nati sumus, eaque aut sola expetenda est, (ut Zenoni visum est) aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum: quod autem bonum, id certe utile: ita quidquid honestum, id utile.
Cic. off. III. 8. (Utile.)

5.) Hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio (est enim totum sceleratum; et impium) qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent; in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Cic. Off. III. 8.

6) Quidquid enim justum sit, id etiam utile esse censent: itemque quod honestum, idem justum, ex quo efficitur, ut quidquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt, hi saepe versutos homines, et callidos admirantes, malitiam sapientiam judicant; quorum error eripiendus est, opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis, justisque factis, non fraude, et malitia se intelligant ea, quae velint, consequi posse. Cic. off. II. 3. (Utile.)

7.) Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur, in quo lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens, et constitueret, honestum esse aliquid, quod utile non esset: et utile, quod non honestum: qua nulla pernicies major hominum vitae potuit afferri. Cic. off. II. 3. (Utile.)

8.) Error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furta, peculatus, expilationes, direptionesque sociorum, et civium: hinc opum nimiarum potentiae non ferendae; postremo etiam in liberis civitatibus regnandi existunt cupiditates, quibus nihil nec taetrius, nec foedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus judiciis vident: poenam, non dico

legum, quas saepe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non vident.

Cic: off. III. 8. (Utile.)

9) Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret. Cic. off. III. 11.

10.) Viro bono, nullo modo videri potest, quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare.

Cic. off. III. 19. (Utile.)

11.) Nihil vero utile, quod nón idem honestum: nihil honestum, quod non idem utile sit, saepe testatur (sc. Panaetius philosophus) negatque ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. Cic. off. III. 7. (Utile.)

12.) Qui omnia metiuntur emolumentis et commodis, neque ea volunt praeponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant comparare: boni viri non solent.

Cic. off. III. 4. (Utile.)

13.) Etenim non modo pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum; sed haec etiam inter se comparare, et in his addubitare, turpissimum est.

Cic. off. III. 4. (Utile.)

14.) Quidquid honestum est, idem utile videtur: nec utile quidquam, quod non honestum.

Cic. off. III. 4. (Utile.)

15.) Est videlicet magna in ipso opere merces rei, et ad alliciendas mentes hominum ingens honesti potentia; cujus pulchritudo animos circumfundit et delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit.

Senec. benef. IV. 22.

16.) Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides; quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae.

Cic. off. I. 5.

17.) Quousque audebunt dicere quidquam utile, quod non honestum? Cic. off. III. 22. (Utile.)

18.) Est enim nihil utile, quod idem non honestum: nec quia utile, honestum, est; sed quia honestum, utile.

Cic. off. III. 30. (Utile.)

19.) Omne honestum in arduo est; non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri. Hac duce per totam

vitam eundum est; minima maximaque ex hujus consilio gerenda sunt. Sen. benef. II. 18. (Ratio.)

Honor.

Falsus honor juvat, et mendax infamia terret,
Quem? nisi mendosum et mendacem?
Hor. epist. l. I. 16.

Honores.

1.) Sed ut comitiorum maximum crimen referam: M. Porcius Cato, plus moribus suis praeturae decoris adjecturus, quam praetexto ejus splendoris ipse laturus, consequi illam a populo aliquando non potuit. Proxima dementiae suffragia! quae satis quidem graves poenas erroris sui pependerunt; quoniam, quem honorem Catoni negaverant, Vatinio dare coacti sunt. Ergo, si vere aestimare volumus, non Catoni tunc praetura, sed praeturae Cato negatus est. Val. Max. VII. 5.
(Repulsa.)

2.) — — — O gloria! vincitur idem (sc. Hannibal)
Nempe, et in exilium praeceps fugit, atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad praetoria regis,
Donec Bithynio libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quae res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela; sed ille,
Cannarum vindex, et tanti sanguinis ultor
Annulus. — I demens, et saevas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, et declamatio fias!
Juv. Satyr. 10.

3.) Ne invideamus altius stantibus; quae excelsa videbantur, prarupta sunt.
Senec. tranquill. anim. 10.

4.) Quid? jam illa cupiditas (quae videtur esse liberalior) honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens!
Cic. Parad. V.

Honorum fuga.

1.) Usibus edocto si quidquam credis amico,
Vive tibi et longe nomina magna fuge.
Ovid. Trist. III. 4. (Otium. Vita privata.)

2.) Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Ovid. Trist. III. 4. (Otium. Vita privata.)

Humana.

1.) Omnia humana brevia et caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia.
Senec. lib. ab Marc. c. 20.

2.) Omnia sunt hominum tenui pendentia filo;
Et subito casu, quae valuere, ruunt.
Ovid. ex Pont. IV. 3.

3.) Ludit in humanis divina potentia rebus;
Et certam praesens vix habet hora fidem.
Ovid. ex. Pont. IV. 3.

Humanitas.

1.) Morum Alexandri praeconium facere cogor: cujus ut infinitam gloriam bellica virtus, ita praecipuum amorem clementia meruit. Is, dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loci tempestate nivali oppressus, senio jam confectum militem Macedonem, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi et propinqua igni sede sedens, animadvertit. Factaque non fortunae, sed aetatis utriusque aestimatione, descendit, et illis manibus, quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore duplicatum in suam sedem imposuit:
Val. Max. V. I. (Magnanimitas. Reverentia.)

2.) Atticum non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem, et prudentiam intelligo.
Cic. de Sen. 1.

3.) L. etiam Paulli in tali genere audis memoria apprehendenda est. Qui cum Persen, parvi temporis momento captivum ex rege, ad se adduci audisset, occurrit ei Romani imperii decoratus ornamentis: conatumque ad genua procumbere, dextra manu allevavit, et Graeco sermone ad spem exhortatus est. Introductum etiam in tabernaculum, lateri suo proximum in consilio sedere jussit, nec honore mensae indignum judicavit. Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, et harum rerum, quas retuli, contextus: utro magis spectaculo delectentur, homines

dubitabunt, Nam si egregium est hostem abjicere, non minus tamen laudabile, infelicis scire misereri.

Val. Max. V. 1. (Misericordia. Sympathia.)

4.) Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.

Hor. epst. l. I. 17. (Paupertas.)

Ignavia.

1.) Quo ferrum, quidve haec gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella?
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenae pocula mensae;
Hic amor, hoc studium.

Virg. Aen. lib. XI. v. 735. (Luxuria.)

2.) Turpis, qui alto sole semisomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit; et adhuc multis hoc antelucanum est. Senec. epist. 122. (Somnus.)

3.) Segnitiem fugito, quae vitae ignavia fertur;
Nam quum animus languet, consumit inertia corpus.

Cat. Dist. III. 6. (Inertia.)

4.) — — Quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit? — — — Virg. Aen. lib. XI. v. 389.

5.) Est genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.

Juv. Sat. 7.

Ignotus.

Vix memini nobis verba coisse decem.

Prop. III. 13.

Ilias.

Cedite Romani scriptores, cedite Graji:
Nescio, quid majus nascitur Iliade.

Prop. II. 34.

Immortalitas.

1.) Neque enim assentior iis, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Graeciam

(quae nunc quidem deleta est; tum florebat) institutis, et praeceptis suis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos; iisque, cum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimoque et justissimo cuique expeditissimum. Cic. Amic. 4.

2.) Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios dixere; Deum namque ire per omnis
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia; nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere coelo.
Virg. Georg. Lib. IV. v. 220.

3.) (Cato de Scipione.) Memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Cic. Sen. 6.

4.) Imitatione Platonis Cicero de republica scribens, locum etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam, qui, ut ait, rogo impositus revixisset, multaque de inferis secreta narrasset, non fabulosa, ut ille assimilatione commentus est, sed solertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans, haec, quae de animae immortalitate dicerentur, caeloque, somniantium philosophorum non esse commenta, nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, sed prudentium conjecturas. Cic. rep. VI. 3.

5.) Postquam in omni reipublicae otio ac negotio palmam justitiae disputando dedit (nempe Cicero; loquitur haec Macrobius), sacras immortalium animarum sedes, et coelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit, indicans, quo his perveniendum vel potius revertendum sit, qui rempublicam cum prudentia, justitia fortitudine ac moderatione tractaverint. Sed ille platonicus secretorum relator Er quidam nomine fuit, natione pamphylus, miles officio, qui cum vulneribus in proelio acceptis vitam effudisse visus, duodecimo die demum inter caeteros una peremtos ultimo esset honorandus igne, subito seu recepta anima seu retenta, quidquid emensis inter utramque vitam diebus egerat videratve, tamquam publicum professus judicium, humano generi enuntiavit. Hanc fabulam Ci-

cero, licet ab indoctis, quasi ipse veri conscius, doleat irrisam, exemplum tamen stolidae reprehensionis vitans, excitari narraturum, quam reviscere maluit.

Cic. rep. VI. 6. (Cicero. Plato.)

6.) Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo: sin mortuus (ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam: non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Cic. Sen. 23.

7.) In tertio de republica libro Cicero cum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos adseveraret: — Quorum non corpora, inquit; sunt in coelum elata; neque enim natura pateretur, ut id, quod esset e terra, nisi in terra, maneret.

Cic. rep. III. 28. August. civ. dei XXII. 4.

8.) (Loquitur Scipio Africanus Major, defunctus jam, ad vivum Scipionem in somnio) Immo vero ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere evolaverunt: vestra vero, quae dicitur vita, mors est.

Cic. rep. VI. 14. Somn. Scip.

9.) Sunt aliquid Manes; laetum non omnia finit;
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

Prop. IV. 7.

10.) Cic. Num vis audire, cur, etiam si ita sit (sc. ut animus immortalis non sit), mors tamen non sit in malis?

Atticus. Ut videtur; sed me nemo de immortalitate depellet. Cic. tusc. Quaest. I. 32.

11.) His et talibus rationibus (quales sc. mox antea ipse attulit) adductus Socrates, nec patronum quaesivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit; adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia; et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit; et paucis ante diebus, quum facile posset educi e custodia, noluit; et quum paene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in coelum videretur adscendere. Cic. tusc. Quaest. l. I. 29.

(Socrates.)

12.) Ita enim censebat (sc. Socrates), itaque disseruit: duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis conta-

minavissent, et se totos libidinibus dedidissent, quibus caecati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a consilio deorum. Qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum; — his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere. Ita commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apolloni dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur: sic omnibus et bonis et doctis esse faciendum.

Cic. tusc. Quaest. I. 30. (Mors.)

13.) Quum enim de immortalitate animorum disputavisset (nempe Socrates), et jam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, quem admodum sepeliri vellet: »Multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc avolaturum, neque quidquam mei relicturum. Verum tamen Crito, si me adsequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur, sepelito. Sed mihi crede, nemo me vestrum, quum hinc excessero, consequetur.« Praeclare id quidem, qui et amico permiserit, et se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare. — Durior Diogenes, et id quidem sentiens, sed, ut Cynicus, asperius, projici se jussit inhumatum. Tum amici: »Volucribus ne et feris?« Minime vero, inquit; sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. »Qui poteris?« illi; »non enim senties.« Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti? — Praeclare Anaxagoras; qui quum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, adferri: »Nihil necesse est,« inquit: »undique enim ad inferos tantumdem viae est.« Cic. tusc. quaest. I. 43.

(Inhumatio. Sepulchrum. Socrates.)

14.) Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse, et in ea quum alios multos, tum Archytam Timaeumque cognovisse, et didicisse Pythagorea omnia; primumque deanimorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoras, sed rationem etiam attulisse. Cic. tusc. quaest. I. 17. (Plato.)

15.) Ut enim rationem Plato nullam adferret (vide, quid homini tribuam), ipsa tamen auctoritate me frangeret: tot autem rationes adtulit (de immortalitate sc.), ut velle caeteris, sibi certe persuasisse videatur.

Cic. tusc. quaest. I. 21. (Plato.)

16.) Cic. Reliquorum (sc. philosophorum; — aliquot eorum mox antea enumeraverat) sententiae spem adferunt, si te forte hoc delectat, posse animos, quum e corporibus excesserint, in coelum, quasi in domicilium suum, pervenire. Atticus. Me vero delectat; idque primum ita esse velim; deinde, etiam si non sit, mihi tamen persuaderi velim. Cic. tusc. quaest. I. 11.

17.) Credo equidem, etiam alios tot saeculis, sed, quod literis exstet proditum, Pherecydes Syrius primum dixit, animos hominum esse sempiternos: antiquus sane; fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit; qui quum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Graeciam quum honore disciplinae, tum etiam auctoritate; multaque saecula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.

Cic. tusc. quaest. I. 16. (Pythagoras.)

18.) Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare; quod omnibus curae sunt, et maximae quidem, quae post mortem futura sint. »Serit arbores, quae alteri saeculo prosint,« ut ait Statius in Synephebis: quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se pertinere? — Ergo arbores serit deligens agricola, quorum adspiciet baccam ipse numquam: vir magnus leges, instituta, rempublicam non seret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? Cic. tusc. quaest. I. 14.

19.) Unum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos adpellat Ennius: mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse, in caeteris humi retineretur, et permaneret tamen. Ex hoc, et nostrorum opinione, »Romulus in coelo cum diis agit aevum,« ut famae assentiens dixit Ennius; et apud Graecos, in-

deque perlapsus ad nos, Hercules tantus et tam praesens habetur Deus; hinc Liber Deus, Semele natus etc. etc. Quid? totum prope coelum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est? — Si vero scrutari vetera, et ex his ea, quae scriptores graeci prodiderunt, eruere coner: ipsi illi, majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur. Cic. tusc. quaest. I. 12. et 13.

Imperator.

Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori, ac turpitudini parere desierit. Cic. Parad. V.

Imperium.

Si gloriae causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsae opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. Cic. off. III. 22. (Dominatio.)

Impietas.

1.) Nihil nos P. Claudii, bello punico primo, temeritas movebit? qui etiam per jocum deos irridens, cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent; qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrymas, magnam populo Romano cladem attulit. Cic. nat. deor. II. 3.

2.) Qui (sc. Dionysius), cum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo; atque in eo etiam cavillatus est, aestate grave esse amiculum, hyeme frigidum: eique laneum pallium injecit, cum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi jussit; neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri: in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset, »Bonum Deorum,« uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem Victoriolas aureas, et pateras, coronasque, quae si-

mulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat; easque se accipere, non auferre dicebat; esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere.

Cic. nat. deor. III. 34. (Dionysius.)

3.) Est aliquis metuens, ne crimen poena sequatur;
Hic putat esse Deos, et pejerat, atque ita secum:
Ut sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? — Sed et exorabile numen,
Fortasse experiar. Juv. Satyr. 13.

Impius.

Hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure coeli;
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras et judicet ignis.

Juven. Sat. 13.

Impossibile.

1.) Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu;
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae.
Hic mos Saturno regna tenente fuit;
Et quum Deucalionis aquae fluxere per orbem.
Et post antiquas Deucalionis aquas.

Prop. II. 32. (Puella.)

2.) Flamma per incensas citius sedaret aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput;
Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo:
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.

Prop. III. 19. (Nequitia.)

3.) Quaerebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper.

Prop. II. 3.

Improbus.

1.) Te miseriae, te aerumnae premunt, qui te beatum, qui florentem putas tuae libidines te torquent: tu dies, noctesque cruciaris; cui nec sat est, quod est,

et id ipsum, ne non sit diuturnum, times: te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant judiciorum, atque legum: quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt injuriae, quae te respirare non sinunt. Cic. Parad. II.

2.) Omnes improbi, servi, nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum, atque mirabile. Non enim ita dicunt eos esse servos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili: sed, si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, et abjecti, et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos, esse servos?
Cic. Parad. V. (Servus.)

Improvisa.

Anaxagoram ferunt, nuntiata morte filii, dixisse: »sciebam, me genuisse mortalem;« quae vox declarat, iis esse haec acerba, quibus non fuerint cogitata; ergo id quidem non dubium, quin omnia, quae mala putentur, sint improvisa graviora.
Cic. tusc. quaest. III. 14. (Malum.)

Impudicitia.

1.) Argumentum est deformitatis pudicitia (sc. ironice dicit.) Senec. benef. III. 16.

2.) Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe,
Dum tua, praeterito facta pudore refers.
Ovid. Amor. III. 1.

Impunitas.

Cui peccare licet, peccat minus; ipsa potestas
Semina nequitiae languidiora facit.
Ovid. Amor. III. 4.

Incertitudo.

1.) Ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. Qui enim pollicetur serenti proventum, naviganti portum, militanti victoriam, marito pudicam uxorem, patri pios liberos? Sequimur, qua ratio, non qua veritas trahit. Senec. benef. IV. 33.

2.) Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere: sapiens utramque partem ejus cogitat: scit, quantum liceat errori, quam incerta sint humana,

quam multa consiliis obstent; ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur et consiliis certis incertos eventus. Senec. benef. IV. 34.

Incitatio.

Facilius est currentem (ut ajunt) incitare, quam commovere languentem. Cic. de oratore II. 44.

Inconstans.

Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper omisit;
Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto;
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis.
Hor. epist. I. 1. (Levitas.)

Inconstantia.

1.) Quid nisi notitia est misero quaesita pudori,
Si cumulas turpi facta priora nota?
Ovid. Heroid. ep. 9.

2.) Coepisti melius, quam desinis; ultima primis
Cedunt: dissimiles hic vir et ille puer.
Ovid. Heroid. ep. 9.

3.) Jam moechus Romae, jam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Horat. Satyr. II. 7.

Incontentus animus.

1.) Mortalibus mos est, ex magnis majora cupiendi.
Sen. benef. III. 3.

2.) Quorumdam otium occupatum est; in villa aut in lecto suo, in media solitudine, quamvis ab omnibus recesserunt, sibi ipsi molesti sunt.
Senec. brev. vit. 11.

3.) Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quod non est ad praeturam usque perductus; nec haec grata est, si deest consulatus; ne hic quidem satiat, si unus est.
Sen. benef. II. 27.

4.) Praecipitat quisque vitam suam, et futuri desiderio laborat, praesentium taedio.
Sen. brev. vit. 7. (Vita.)

5.) — — — Si quis deus, en ego, dicat,
Jam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus. Hinc vos,

Vos hinc mutatis discedite partibus. — Eia!
Quid statis? nolint: atqui licet esse beatis.
Hor. Satyr. I. 1.

6.) Phaedria. Ita pleriqui omnes sumus ingenio, nostri nosmet poenitet. Terent. Phorm. I. 3.
(Taedium.)

7.) Non queri possumus de auctore nostri, Deo, si beneficia ejus corrumpimus, et ut essent contraria, efficimus. Senec. quaest. nat. V. 18.

8.) Epicurus assidue queritur, quod adversus praeterita simus ingrati; quod, quaecunque percepimus bona, non in memoriam reducamus, nec inter veluptates numeremus; cum certior nulla sit voluptas, quam quae jam eripi non potest. Senec. benef. III. 4.

9.) Facit avidos nimia felicitas; nec tam temperatae cupiditates sunt umquam, ut in eo, quod contigit, desinant; gradus a magnis ad majora fit, et spes improbissimas complectuntur insperata assequuti.
Senec. de Clem. I. 1. (Vota.)

Indulgentia.

1.) — — — Et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici;
Inque vicem illorum patiar delicta libenter.
Hor. Satyr. I. 3.

2.) Succumbunt vitia virtutibus, si illa non cito odisse properaveris. Senec. benef. V. 1.

3.) Quanta solitudo et vastitas futura sit, si nihil relinquitur, nisi quod judex severus absolverit?
Senec. clem. I. 6. (Vitia.)

4.) Quotus quisque ex quaestoribus est, qui non ea ipsa lege teneatur, qua quaerit? Quotus quisque adcusator vacat culpa? Senec. clem. I. 6. (Vitia.)

5.) Dextera praecipue capit indulgentia mentes;
Asperitas odium, saevaque verba movent.
Ovid. ars amat. II. (Obsequium.)

6.) Demea. — — — Re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.
Ter. Adelph. V. 4.

7.) Haec res et jungit, junctos et servat amicos.
Hor. Satyr. I. 3.

8.) Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius. Hor. Satyr. I. 3.

9.) — — — Aequum est,
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.
Hor. Satyr. I. 3.

Industria.

Premit a tergo senectus, et objicit annos inter vana studia consumtos. Tanto magis urgeamus, et damna aetatis male exactae labor sarciat. Nox ad diem accedat.
Senec. quaest. natur. III. praef.

Infelicitas.

1.) Unum habet assidua infelicitas bonum, quod, quos saepe vexat, novissime indurat.
Sen. ad Helv. mat. de consol. cap. 2.

2.) Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent; et desinit esse remedio locus, ubi, quae fuerant, vitia, mores sunt.
Sen. ep. 39.

Infelix.

1.) Demea. — Me credo huic esse natum rei: ferundis miseriis. Ter. Adelph. IV. 2.

2.) Menedemus. Aut ego profecto ingenio egregio ad miseriam
Natus sum; aut illud falsum est, quod vulgo audio
Dici, diem adimere aegritudinem hominibus.
Ter. Heaut. III. 1.

3.) Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Virg. Aen. V. 465.

4.) Jam mala finissem leto; sed credula vitam
Spes fovet, et fore cras semper ait melius.
Tibull. II 6. (Spes.)

Informatio.

Diligentissime hoc est eis, qui instituunt aliquos atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum in suo cujusque genere artificum et magistrorum exisse discipulos, dissimiles inter se, ac tamen laudandos; quum ad cujusque naturam institutio doctoris adcommodaretur. Cujus est vel maxime insigne illud exemplum (ut caeteras artes omitta-

mus), quod dicebat Isocrates, doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere. Alterum enim, exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem, incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri adfinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur. Cic. de oratore III. 9. (Magister.)

Ingenium.

1.) Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
Et servat studii foedera quisque sui.
Ovid. ex Pont. II. 5.

2.) Vitanda ingenii ostentationis suspicio est.
Cic. orator. II. 82. (Jactatio.)

3.) Fructus enim ingenii, et virtutis, omnisque praestantiae, tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur. Cic. Amic. 19. (Virtus.)

4.) Male respondent coacta ingenia; reluctante natura, irritus labor est. Senec. tranquill. anim. 6.

5.) — — Ingenium longa rubigine laesum
Torpet, et est multo, quam fuit ante, minus.
Ovid. Trist. V. 13.

6.) Nihil est enim ferocius ingeniis, iis praesertim, quae disciplinis exculta sunt.
Cic. Orat. cap. 15.

7.) Numquam magnis ingeniis cara in corpore mora est; exire, atquam erumpere gestiunt; aegre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, et ex alto adsueti humana despicere.
Senec. lib. ad Marc. c. 23. (Mors.)

8.) Cato neque ullum ingenium tantum extitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate.
Cic. rep. II. 1. (Vetustas.)

9.) Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant, quae in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulsit, citius extinguitur; vivacior est, qui cum lenta difficilique materia commissus fumoque demersus ex sordido lucet. Eadem enim detinet causa, quae maligne alit. Sic ingenia,

quo illustriora, breviora sunt. Nam, ubi incremento locus non est, vicinus occasus est.

Senec. lib. ad Marc. c. 23. (Mors. Perfectio. Solatium.)

10.) Ingenium mala saepe movent; quis crederet umquam
Aërias hominem carpere posse vias?

Ovid. ars am. II. (Malum.)

11.) Tu nihil invita dices faciesve Minerva!

Hor. Pis. 385.

12.) Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis habere nihil.

Ovid. Amor. III. 8. (Opes.)

13.) — — — Hujus (Democriti) prudentia monstrat,
Summos posse viros et magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoque sub aëre nasci.

Juv. Satyr. 10.

14. Di bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.

Hor. satyr. I. 4. (Horatius.)

15.) — — — Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est, non turpiter hirtum.

Hor. epist. I. 3.

16.) Ut in reliquis rebus multo majora sunt opera animi, quam corporis: sic hae res, quas persequimur ingenio, ac ratione, graviores sunt, quam illae, quas viribus. Cic. Off. II. 13.

17.) Nihil decet invita, ut ajunt, Minerva, id est adversante et repugnante natura.

Cic. Off. I. 31. (Habilitas.)

Ingratus.

1.) Si indignaris, ingratos esse: indignare luxuriosos, indignare avaros, indignare impudicos, indignare aegros, deformes, senes pallidos.

Senec. benefic. VII. 27.

2.) Omnes immemorem beneficii oderunt: eamque injuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri; eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant.

Cic. Off. II. 18.

3.) Propositum optimi viri et ingentis animi est, tamdiu ferre ingratum, donec feceris gratum.

Senec. benefic. V. 1.

4.) Quis non ingratum detestetur hominem, sibi ipsi inutilem! Senec. benefic. IV. 16.

5.) Ingratus est: — non mihi fecit injuriam, sed sibi. Ego beneficio meo, cum darem, usus sum; nec ideo pigrius dabo, sed diligentius; quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi beneficium dabo iterum, et tamquam bonus agricola cura cultuque sterilitatem soli vincam. Senec. benefic. VII. 32. (Liberalitas.)

6.) Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias.
Senec. benef. II. 23.

7.) Tutius est quosdam offendere, quam demeruisse. Argumentum nihil debentium odio quaerunt.
Senec. benef. II. 24.

8.) Quid ergo? non undique humano generi convicium fit? non publica querela est, beneficia perisse, et paucissimos esse, qui de bene merentibus non invicem pessime mereantur? Senec. benef. V. 15.

9.) Ingrati publice sumus. Se quisque interroget nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri, ut omnes querantur, nisi querendum est de omnibus. Omnes ergo ingrati sunt. Senec. benef. V. 17.

10.) Quaeris rem maxime necessariam: quemadmodum ingrati ferendi sint? Placido animo, mansueto, magno. Numquam te tam inhumanus, et immemor et ingratus offendat, ut non tamen dedisse delectet. Numquam in has voces injuria impellat: vellem non fecisse!
Sen. benef. VII. 26.

Ingratus animus.

1.) Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas:
Hac fruar, hac de te gaudia sola feram!
Ovid. Heroid. Ep. 12.

2.) Non est mihi relata gratia: quid faciam? quod Dii, omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant.
Sen. benef. VII 31.

3.) Ad praeterita rari animum retorquent; sic fit, ut praeceptores eorumque beneficia intercidant; quia totam pueritiam reliquimus, sic fit, ut in adolescentiam nostram collata pereant; quia ipsa numquam retractatur. Nemo, quod fuit, tamquam in praeterito, sed tamquam in perdito ponit. Senec. benef. III. 3.

4.) Non mirum est, inter plurima maximaque vitia nullum esse frequentius, quam ingrati animi. Id evenire ex pluribus causis video; prima, quod non eligimus dignos, quibus tribuamus. Semina in solum effoetum et sterile non spargimus; beneficia sine ullo delectu magis projicimus, quam damus.

Sen. benef. I. 1.

5.) Audi voces petentium. Nemo non victuram semper in animo suo memoriam dixit; nemo non deditum se et devotum professus est, et si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, invenit. Post exiguum tempus iidem illi verba priora, quasi sordida et parum libera, evitant; perveniunt deinde eo, quo, ut ego existimo, pessimus quisque atque ingratissimus pervenit, ut obliviscantur. Senec. benef. III. 5.

6.) Hoc tam invisum vitium (nempe ingrati animi), an impunitum esse debeat, quaeritur; et an haec lex, quae in scholis exercetur, etiam in civitate ponenda sit, qua ingrati datur actio. Sene. benef. III. 6.

7.) Nemo libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Sen. benef. I. 1.

8.) Gratus esse adversus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe injecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit?

Senec. benef. I. 1.

9.) Fugienda res est, ingratum esse; quoniam nihil aeque concordiam humani generis dissociat, ac distrahit, quam hoc vitium. Senec. benef. IV. 18.

10.) Est istud grave vitium, est intolerabile et quod dissociet homines, quod concordiam, qua imbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissipet; sed usque eo vulgare est, ut illud, nec qui queritur quidem, effugerit.

Senec. benef. VII. 27.

11.) Cogita tecum, an, quibuscumque debuisti, gratiam retuleris; an nullum umquam apud te perierit officium; an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis, quae puero data sunt, ante adolescentiam elapsa; quae in juvenem collata sunt, non perdurasse in senectutem. Sic factum est, ut minima apud te nutricis esset auctoritas, quia beneficium ejus longius aetas sequens posuit; sic factum est, ut praeceptoris tibi non esset ulla veneratio. Senec. benef. VII. 28.

Inimicitia.

1.) Bella geram tecum, nec mors mihi finiet iras;
Saeva sed in manes manibus arma dabit.
Ovid. Ibis.

2.) Tum quoque, cum fuero vacuas dilapsus in auras,
Exanimis manes oderit umbra tuos. Ovid. Ibis.

3.) Parmeno. Non maxumas, quae maxumae sunt interdum irae, injurias
Faciunt. Nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.
Pueri inter sese quas pro levibus noxiis iras gerunt!
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Terent. Hecyra. III. 1. (Ira.)

Inimicus.

Nulli non ad nocendum satis virium est.
Senec. epist. 105.

Initium.

1.) Nihil est in natura rerum omnium, quod se universum profundat et quod totum repente evolet. Sic omnia, quae fiunt, quaeque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa praetexuit.
Cic. de oratore II. 78. (Principium.)

2.) Dimidium facti, qui coepit, habet.
Hor. epist. I. 2.

3.) Plurimum ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri. Cum excusatione itaque veteres audiendi sunt: Nulla res consummata est, dum incipit.
Senec. quaest. natural. VI. 5. (Inventio. Veteres.)

4.) Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sint: ita quoque haec tristia et misera, et in se saevientia (nempe dolor) ipsa novisime acerbitate pascuntur, et fit infelicis animi prava voluptas dolor.
Senec. lib. ad Marc. c. 1. (Luctus. Solatium.)

5.) Leviore medicina fuisset oriens adhuc restinguenda vis; vehementius contra inveterata pugnandum est. Senec. lib. ad Marc. c. 1. (Medicina.)

Iniquitas.

1.) **Phormio.** — — Non rete accipitri tenditur, neque miluo,
Qui male faciunt nobis. Illis, qui nil faciunt, tenditur;
Quia enim in illis fructus est, in istis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest.
Terent. Phorm. II. 2. (Innocentia.)

2.) Esto animo forti, quum sis damnatus inique:
Nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo.
Cat. Dist. II. 14. (Injuria.)

Injuria.

1.) Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate, et ignoratione omnium proposita, abstinere possit injuria? Cic. Off. III. 17. (Nequitia.)

2.) Maxima est factae injuriae poena, fecisse; nec quisquam gravius adficitur, quam qui ad supplicium poenitentiae traditur. Sen. de Ira III. 26. (Poenitentia.)

3.) Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
Horat. Satyr. II. 3.

4.) Numquam sunt grati, qui nocuere sales.
Sen. ad Helv. mat. de consol. Epigr. 5.

5.) Curandum in primis, ne magna injuria fiat,
Fortibus et miseris: tollas licet omne, quod usquam est
Auri atque argenti, scutum gladiumque relinquens
Et jacula et galeam; spoliatis arma supersunt.
Juv. Satyr. 8.

6.) Sed in omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus; an consulto et cogitato fiat injuria. Leviora enim sunt, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur.
Cic. off. I. 8. (Injustitia.)

7.) Demipho. En unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam, quam haec est mihi?
Terent. Phorm. II. 3.

8.) Quum de tribus unum esset optandum: aut facere injuriam nec accipere; aut et facere et accipere;

aut neutrum: optimum est facere, impune si possis; secundum nec facere nec pati; miserrimum digladiari semper tum faciendis tum accipiendis injuriis.

Cic. rep. III. 14.

9) Cum autem duobus modis, id est, aut vi, aut fraude fiat injuria, fraus quasi vulpeculae, vis leonis videtur; utrumque homine alienissimum, sed fraus odio digna majore. Cic. off. I. 13. (Fraus.)

10.) Injuriam qui facturus est, jam facit.

Sen. de ira I. 3.

11.) Non expedit, omnia videre, omnia audire; multae nos injuriae transeant; ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Sene. de ira III. 11.

12.) Socratem ajunt colapho percussum nihil amplius dixisse, quam: Molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent.

Sene. de ira III. 11.

Injustitia.

1.) Maxime autem adducuntur plerique, ut eos justitiae capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud Ennium: »Nulla sancta societas, nec fides regni est.« id latius patet. Cic. off. I. 8.

2.) Lycurgus, ille legum optumarum et aequissimi juris inoentor agros locupletium plebi, ut servitio, colendos dedit. Cic. rep. III. 9. (Lycurgus.)

3.) Injustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Nam qui injuste impetum in quemquam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus adferre videtur socio. Qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, injuriae, tam est in vitio, quam si parentes aut patriam aut socios deserat. Atque illae quidem injuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo adficiatur incommodo. Maximam autem partem ad injuriam faciendam adgrediuntur, ut adipiscantur ea, quae concupiverunt; in quo vitio latissime patet avaritia.

Cic. off. I. 7. (Injuria.)

Innocentia.

1.) Ubi lubido dominatur, innocentiae leve praesidium est. Cic. orat. c. 65. (Libido.)

2.) Est aliquid magnis crimen abesse malis.
Ovid. fast. l. I.

3.) Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Hor. epist. I. 2.

4.) Si qua fides miseris, hoc me, per numina juro,
Non meruisse nefas; patior sine crimine poenam.
Ovid. Metamorph. IX. 371.

Insania.

1.) — — — Pudor te malus urget,
Insanos qui inter vereare insanus haberi?
Hor. satyr. II. 3.

2.) Quem mala stultia, et quaecumque inscitia veri
Coecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,
Excepto sapiente, tenet. Hor. satyr. II. 3.

3.) — — — Velut sylvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus. Hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille
Qui te deridet, caudam trahat.
Hor. satyr. II. 3.

4.) — — — — Quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore;
Quisquis luxuria, tristive superstitione;
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Hor. satyr. II. 3.

5.) — — — — Nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam. Propert.
~~Rep.~~ I. 9.

6.) O major tandem parcas insana minori!
Hor. satyr. II. 3.

Inscitia.

1.) Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Hor. Pis. 88.

2.) Nunc contra (paullo ante Catonem a virtutibus et scientiis laudaverat) plerique ad honores adipiscendos et ad rem publicam gerendam nudi veniunt atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit, unus e multis; effert se, si unum aliquid adfert, ut bellicam virtutem, aut usum aliquem militarem; quae sane nunc quidem obsoleverunt; aut juris scientiam, ne ejus quidem universi: nam pontificium, quod est conjunctum, nemo discit; aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant; omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt. Cic. de oratore III. 33.

Insolentia.

Scilicet ingenium, et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
Persii satyr. 4.

Institutio.

1.) Ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, sic animi non omnes culti fructum ferunt.
Cic. tusc. quaest. II. 5.

2.) Non solum scire aliquid, artis est, sed quaedam ars etiam docendi. Cic. Leg. II. 19.

3.) Hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque; et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Ciceronis Brutus 56.
(Magister.)

4.) Quaerenti mihi, multumque et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere reipublicae, nulla major occurebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus Cic. divin. II. 1. (Eruditio. Prodesse.)

5.) Quod enim munus reipublicae afferre majus meliusve possumus, quam si docemus, atque erudimus juventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coërcenda sit. Cic. divin. II. 2. (Eruditio. Prodesse.)

6.) Quid est jucundius senectute, stipata studiis juventutis? An ne eas quidem vires senectuti relinque-

mus, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius? Cic. Sen. 9. (Senectus.)

7.) Hic (nempe Socrates) in omnibus fere sermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perscripti varie, copiose sunt, ita disputat, ut nihil adfirmet ipse, refellat alios; nihil se scire dicat, nisi id ipsum; eoque praestare caeteris, quod ille, quae nesciant, scire se putent; ipse, se nihil scire, id unum sciat, ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitrari, sese scire, quod nesciat. Quae cum diceret constanter, et in ea sententia permaneret, omnis ejus oratio tum in virtute laudanda, et in omnibus hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur, ut e Socraticorum libris maximeque Platonis intelligi potest. Cic. Academ. Quaest. I. 4.

(Philosophia. Socrates.)

Integer.

Scilicet uni aequus virtuti, atque ejus amicis.
Hor. Satyr. II. 1.

Integritas.

1.) Negant enim, sapientem idcirco virum bonum esse, quod eum sua sponte ac per se bonitas et justitia delectet; sed quod vacua metu, cura, sollicitudine, periculo vita bonorum virorum sit: contra autem improbis semper aliquis scrupus in animis haereat, semper iis ante oculos judicia et supplicia versentur. Nullum autem emolumentum esse, nullum injustitia partum praemium tantum, semper ut timeas, semper ut adesse, semper ut impendere aliquam poenam putes.
Cic. rep. III. 16.

2.) Bonus vir, inquit (sc. Carneades), si habeat servum fugitivum, vel domum insalubrem ac pestilentem, quae vitia solus sciat, et ideo proscribat, ut vendat, utrumne profitebitur fugitivum servum vel pestilentem domum se vendere, an celabit emtorem? Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet; sed tamen stultus judicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet. Si celaverit, erit quidem sapiens, quia rei consulet; sed idem malus, quia fallet. Rursus, si

reperiat aliquem, qui aurichalcum se putet vendere, cum sit illud aurum; aut plumbum, cum sit argentum: tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? Stultum plane videtur, malle magno. Unde intelligi volebat, et eum, qui sit justus ac bonus, stultum esse; et eum, qui sapiens, malum. Cic. rep. III. 19.
(Utilitas.)

3.) Incidunt (ut supra dixi) saepe causae, cum repugnare utilitas honestati videatur, ut animadvertendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate conjungi. Ejus generis hae sunt quaestiones: Si (exempli gratia) vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame, summaque annonae caritate: si idem sciat complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? etc.: per totum cap. 12. et 13. Cic. Off. III.
(Utilitas. Officium.)

4.) «Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.«
Virg. Aen. VI. 620.

5.) Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum.
Horat. epist. I. 1.

6.) Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor, prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida. — —
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae. Hor. Od. III. 3.

7.) Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem,
Integer; ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Juv. Satyr. 8. (Perjurium.)

8.) Acta aetas honeste ac splendide tantam adfert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non attingat aegritudo, aut perleviter pungat animi dolor.
Cic. Tusc. Quaest. III. 25.

9.) Vitam ac fortunas cui crediderim meas. Lucil.

10.) Egregium sanctumque virum si cerno; bimembri
Hoc monstrum puero, vel mirandis sub aratro,
Piscibus inventis, et foetae comparo mulae,
Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber,
Examenque apium longâ consederit uvâ
Culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis,
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens.
Juvenal. Satyr. 13.

Interitus.

1.) Nego quidquam esse quietis aeternae, quod et perire non possit, et perdere. Ego vero hoc ipsum solatii loco pono, et quidem valentissimi; quando quidem sine remedio timor stultus est.

Senec. Quaest. natural. VI. 2. (Mors.)

2.) Quam longo tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perducatur infans? Quantis laboribus tener educatur? quam diligenti nutrimento obnoxium novissime corpus adolescit? — at quam nullo negotio solvitur? Urbes constituit aetas: hora dissolvit. Momento fit cinis: diu silva. Magna tulela stant ac vigent omnia: cito ac repente dissiliunt.

Senec. quaest. natural. III. 27. (Ortus.)

3.) Enumerare omnes fatorum vias longum est. Hoc unum scio: omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt; inter peritura vivimus.

Senec. epist. 91.

4.) Nihil, quo stat, loco stabit; omnia sternet abducetque secum vetustas; nec hominibus solum (quota enim ista fortuitae potentiae portio est?), sed regionibus, sed mundi partibus ludet; tot supprimet montes, et alibi rupes in altum novas exprimet; maria sorbebit, flumina avertet; et commercio gentium rupto societatem generis humani coetusque dissolvet.

Senec. lib. ad Marc. 26. (Tempus.)

5.) Cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista se suis caedent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, una igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit.

Senec. lib. ad Marc. 26. (Mundus.)

6.) Berosus, qui Belum interpretatus est, ait, cursu ista (scilicet interitum hujus mundi) siderum fieri; et adeo quidem id adfirmat, ut conflagrationi atque diluvio tempus adsignet. Arsura enim terrena contendit, quando omnia sidera, quae nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint, sic sub eodem posita vestigio, ut recta linea exire per orbes omnium possit: inundationem futuram, cum eadem siderum turba in Capricornum convenerit.

Senec. quaest. natural. III. 29.

7.) Quandoque erit terminus rebus humanis, cum partes ejus interire debuerint, abolerive funditus totae, ut de integro totae, rudes innoxiaeque generentur; nec supersit in deteriora magister.

Senec. quaest. natural. III. 29.

8.) Mundo quidam minantur interitum; et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, et in confusionem veterem tenebrasque demerget.

Senec. lib. ad Polyb. c. 20. (Mundus.)

9.) Eat aliquis, et singulas comploret animas, Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem, et si quid altius cecidit, lamentetur: cum etiam hoc, quod non habet, quo cadat, sit interiturum. Eat aliquis, et fata, tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse conqueratur.

Senec. lib. ad Polyb. c. 20. (Mors.)

10.) Nec ea semper licentia undis erit. (Loquitur de interitu mundi futuro.) Sed peracto exitio generis humani, exstinctisque pariter feris, in quarum homines ingenia transierant, iterum aquas terra sorbebit: natura pelagus stare, aut intra terminos suos furere coget; et rejectus e nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus: antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo, inscius scelerum et melioribus auspiciis natus.

Senec. quaest. natural. III. 30.

Internecio sui.

1.) Nisi deus is (Scipio Major, defunctus, loquitur ad vivum in somnio), cujus hoc templum est omne,

quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc (sc. in Elysium) tibi aditus patere non potest.

Cic. rep. VI. 16. Somn. Scip.

2.) Et tibi, Publi, (loquitur defunctus Scipio Major ad vivum Minorem in somnio) et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a Deo defugisse videamini. Cic. rep. VI. 15. Somn. Scip.

3.) Non est molestum servire, ubi, si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. Contra înjurias vitae beneficium mortis habeo.

Senec. lib. ad Marc. c. 20.

4.) Vetat Pythagoras, injussu imperatoris, id est, dei, de praesidio, et statione vitae decedere.

Cic. Sen. 20. (Pythagoras.)

5.) Ut si cui naviganti, quem praedones insequantur, deus quis dixerit: Ejicete navi, praesto est, qui excipiat, vel delphinus, ut Arionem Methymnaeum, vel equi Pelopis illi Neptunii, qui per undas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te, et, quo velis, perferent; omnem omittat timorem: sic urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti sint, ut ferendi non sint, quo sit confugiendum, vides.

Cic. tusc. Quaest. II. 27.

6.) Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur: aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte; aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: sic injurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.

Cic. Tusc. Quaest. V. 41.

7.) Cato autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare. Quum vero causam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis, nae ille, medius fidius, vir sapiens, laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit. Nec tamen illa vincla carceris ruperit, leges enim vetant. Sed tamquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic a Deo evocatus atque emis-

sus exierit. Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est. Cic. tusc. quaest. I. 30.

(Mors.)

Inundatio.

Nihil est tam violentum et incontinens sui, tam contumax infestumque retinentibus, quam magna vis undae; utetur libertate permissa, et jubente natura, quae scindit circuitque, complebit.

Senec. quaest. natural. III. 30.

Invidia.

1.) Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Ovid. ars. amat. I.

2.) Nostra nos sine comparatione delectent; numquam erit felix, quem torquebit felicior.

Senec. de Ira III. 30.

3.) Nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes vitare possit: et quo secessu quosdam fugeris, aut quibus infulis misericordiae permulseris, non cohibebis, ne alienis malis perinde, ac bonis suis, laetentur ac gestiant. Divites sunt aliorum jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. Val. Max. IV. 7.

(Livor. Malignitas.)

4.) Noli successus indignos ferre moleste.
Indulget fortuna malis, ut laedere possit.

Cat. Dist. II. 23.

5.) Invidiam quod habet, non solet esse diu.

Prop. II. 25.

6.) — — — Heu nefas!
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Hor. Od. III. 24.

7.) Est apud Heraclytum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro: »universos, ait, Ephesios esse morte multandos, quod, cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: Nemo de nobis unus excellat; sin quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit.« An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperan-

tiam virtutis oderunt? quid? Aristides (malo enim Graecorum, quam nostra proferri) nonne ob eam causam expulsus est patria, quod praeter modum justus esset?

Cic. Tusc. Quaest. V. 36.

8.) Illud semper factum est: nullum sine venia placuit ingenium. Da mihi quemcumque vis magni nominis virum; dicam, quid illi aetas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimulaverit.

Senec. epist. 114.

9.) Invidia siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

Hor. epist. I. 2.

10.) Haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiae, nec minus virium opus sit in ea comprimenda, quam in excitanda.

Cic. de oratore II. 52.

11.) Invident homines maxime paribus, aut inferioribus, quum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse; sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se jactant, et aequabilitatem communis juris, praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt. Quae si inflammanda sunt, maxime dicendum est, non esse virtute parta, deinde etiam vitiis atque peccatis; tum, si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanti ulla merita; quanta insolentia hominis, quantumque fastidium. Ad sedandum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata, seseque, si quam gloriam peperisse videatur, tametsi ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abjicere atque deponere; omninoque perficiendum est, (quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium et pervagatum: invidetur autem praestanti florentique fortunae) ut haec opinio minuatur, et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta esse videatur.

Cic. de oratore II. 52. (Orator.)

Invidus.

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Hor. epist. I. 2

Ira.

1.) Nihil tibi liceat, dum irasceris; quare? quia vis, omnia licere. Pugna tecum ipse; si illam vincere non potes, illa te incipit vincere.

Senec. de Ira III. 12.

2.) Geta. Me miserum! vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam dari mî obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo est haec recens!

Ter. Adelph. III. 2.

3.) Nescit vestra ruens ira referre pedem.

Prop. III. 15.

4.) Ira furor brevis est. Animum rege, qui, nisi paret,
Imperat; hunc fraenis, hunc tu compesce catena.

Hor. ep. I. 2.

5.) Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt,
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.

Ovid. Heroid. Ep. 8.

6.) Illud laudatur Archytae, qui cum villico factus esset iratior: »Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem.«

Cic. tusc. Quaest. IV. 36.

7.) Ut fragilis glacies interit ira mora.

Ovid. ars amat. I.

8) Quo quisque est major, magis est placabilis irae;
Et faciles motus mens generosa capit.

Ovid. Trist. III. 6.

9.) Alexandrum iracundia sua propemodum coelo deripuit. Nam quid obstitit, quominus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni objectus, et Clytus hasta trajectus, et Callisthenes mori jussus? quia tres maximas victorias totidem amicorum injustis caedibus victor perdidit.

Val. Max. IX. 3.

10.) Quidam e sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam, aeque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod coepit pertinax et intenta, rationi consiliisque praeclusa, vanis agitata causis, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur.

Senec. de Ira I. 1.

11.) Caeteris (affectibus) aliquid quieti placidique inest; hic (affectus irae) totus concitatus et in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum, minime humana fervens cupiditate; dum alteri noceat, sui negligens, in ipsa irruens tela et ultionis, secum ultorem tracturae, avidus.

Senec. de Ira I. 1.

12.) Jam vero si effectus irae damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes ac venena, et reorum mutuas sordes, et urbium clades, et totarum exitia gentium, et principum sub civili hasta capita venalia, et subjectas tectis faces, nec intra moenia coërcitos ignes; sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia.

Senec. de Ira I. 2.

13.) Ira procul absit; cum qua nihil recte fieri, nihil considerate postest.

Cic. off. I. 38.

Iratus.

1.) Si iratus est, demus illi spatium, quo dispicere, quid fecerit, possit: se ipse castigabit.

Sen. de. Ira III. 25

2.) — — — Turgescit vitrea bilis:
Finditur; Arcadiae pecuaria rudere credas.

Persii Satyr. 3.

3.) Ut autem scias etc. sequitur descriptio irati.
Sen. de Ira l. I. 1. Vide et l. III. c. 4. et l. II. c. 35.

Isocratès.

Me autem, qui Isocratem non diligunt, una cum Socrate et cum Platone, errare patiantur.

Cic. Orat. 13. (Orator.)

Italia.

Hic ver assiduum, atque alienis mensibus aestas;
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbor.

Virg. Georg. II. 149.

GNOMOLOGIA LATINA,

SEU

FONS ARGUMENTORUM UBERRIMUS,

COMPLECTENS

SENTENTIAS ET BREVES NARRATIONES, CONGESTAS E PRAECIPUIS CLASSICIS LATINIS,

TAM PROSAICIS, QUAM POËTICIS.

COLLEGIT,

ET,

SECUNDUM MATERIAS, IN ORDINEM ALPHABETICUM

DISPOSUIT

Joann. Chrysost. Maderner,

LITERARUM HUMANIORUM IN C. R. GYMNASIO IGLAVIENSI

PROFESSOR PUBLICUS.

Tomus II.

Jactatio — Zeuxis.

VIENNAE, 1835.

APUD MICHAËLEM LECHNER, UNIVERSITATIS BIBLIOPOLAM.

M o t t o.

Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi adfert, et fidem.

Cic. orator, c. 34.

Jactatio.

1.) Tollimus ingentes animos, et maxima parvo
Tempore molimur. — — — — —

Senec. quaest. natur. III. praef.

2.) Deforme est, de se ipso praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.

Cic. off. I. 38. (Magniloquentia.)

3.) Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse.
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Cat. Dist. II. 16.

Jactura.

1.) Ego (loquitur Laelius), si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes: sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit: et, ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo amicorum decessu, plerique angi solent; nihil enim mali accidisse Scipioni puto: mihi accidit, si quid accidit; suis autem incommodis graviter angi, non amicum, sed seipsum amantis est.

Cic. Amic. 3. (Luctus. Solatium.)

2.) Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis; et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus.

Virg. Aen. II. 88.

3.) Singula de nobis anni praedantur euntes.

Hor. epist. II. 2.

4.) Haec natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est. Iniquiores sumus adversus relicta ereptorum desiderio.

Senec. lib. ad Marc. 16.

5.) Qui se habet, nihil perdidit; sed quoto cuique habere se contigit?!

Sen. ep. 42. (Dominatio sui.)

Jocus.

1.) Ipsum genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

Cic. off. I. 29.

2.) Duplex omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster, et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt; multaque multorum facete dicta: ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vocant ἀποφθέγματα.

Cic. off. I. 29.

3.) Facilis est distinctio ingenui et illiberalis joci. Alter est, si tempore fit, ac remisso animo, homine dignus; alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas.

Cic. off I. 29.

4.) Nasica, quum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti, Ennium ancilla dixisset domi non esse, sensit, illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a janua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius: quid? Ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica: Homo es impudens; ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?

Cic. de oratore II. 68.

Judex.

1.) Cum vero jurato sententia dicenda sit: meminerit, deum se adhibere testem, id est (arbitror) mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius.

Cic. off. III. 10. (Jusjurandum.)

2.) Judicis auxilium sub iniqua lege rogato;
Ipsae etiam leges cupiunt, ut jure regantur.

Cat. Dist. III. 17. (Lex.)

3.) Judicis est, semper in causis verum sequi: patroni, nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere.

Cic. off. II. 14. (Causidicus.)

4.) Quid tam difficile, quam in plurimorum controversiis dijudicandis ab omnibus diligi? Consequeris tamen (de Bruto sermo est), ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas. Itaque efficis, ut, quum gratiae causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quae facis.

Cic. orat. cap. 10.

5.) — — — Male verum examinat omnis
Corruptus judex.

Hor. Satyr. II. 2.

6.) De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest; ubi fecisse aut non fecisse pronuntiandum est, ubi prolatis cautionibus controversia tollitur. Ubi vero inter disputantes ratio jus dicit, ibi animi conjectura capienda est; ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controversiam incidit, non potest ad haec sumi judex ex turba selectorum, quem census in album et equestris haereditas misit.

Senec. benef. III. 7.

Judicia.

Maxima admiratio est in judiciis: quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione, et defensione constat, quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est.

Cic. off. II. 14.

Judicium.

1.) Cum parricidii causam duo (fratres) Cloelii dicerent splendido Tarracinae loco nati, quorum pater T. Cloelius in cubiculo quiescens, filiis altero lecto cubantibus, erat interemptus, neque aut servus quisquam aut liber inveniretur, ad quem suspicio caedis pertineret: hoc uno nomine absoluti sunt, quia judicibus planum factum est, illos aperto ostio inventos esse dormientes. Somnus innoxiae securitatis certissimus index miseris opem tulit. Judicatum est enim, rerum naturam non recipere, ut occiso patre, supra vulnera et cruorem ejus quietem capere potuerint.

Val. Max. VIII. 1.

2.) — — Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio.

Hor. Satyr. l. I. 6. (Sententia. Discrepantia.)

3.) Sed in omni re difficillimum est, formam (qui χαράκτηρ graece dicitur) exponere optimi; quod aliud aliis videtur optimum.

Cic. orat. c. 11.

4.) Quia magis ea percipimus atque sentimus, quae nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa, quae caeteris; quae quasi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis judicamus.

Cic. off. I. 9.

5.) Est enim philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa.

Cic. tusc. quaest. II. 1. (Philosophia.)

6.) Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est.

Ciceronis Brutus 50. (Orator.)

7.) Oculis de homine non credo; habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera dijudicem. Animi bonum animus inveniat.

Senec. vita beata II. (Veritas.)

8.) Plura multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione

mentis, quam veritate, aut praescripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus.

Cic. de oratore II. 42.

9.) Hoc laboramus errore; sic nobis imponitur, quod neminem aestimamus eo, quod est, sed adjicimus illi et ea, quibus adornatus est. Atqui cum voles veram hominis aestimationem inire, et scire, qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, ponat honores, et alia fortunae mendacia; corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus.

Sen. ep. 76.

Jupiter.

1.) Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.

Virg. Aen. Lib. X. v. 115.

2.) Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit. Eo dicente Deum domus alta silescit.
Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.

Virg. Aen. Lib. X. v. 100.

Jurisconsultus.

Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes aut etiam majores gubernare didicisse. Tu mihi quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, et quum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit.

Cic. de orat. I. 38.

Jurisprudentie.

1.) Si esset cognitio juris magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere.

Cic. de orat. I. 41.

2.) Senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio?
Cic. de orat. I. 45. (Senectus)

3.) Cum multa praeclara majorum, tum quod optime constituti juris civilis summo semper in honore fuit cognitio, atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt: nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic hujus scientiae splendor deletus est.
Cic. off. II. 19.

Jus.

1.) Si natura sanxisset jura nobis, et omnes iisdem, et iidem non alias aliis uterentur.
Cic. rep. III. 11.

2.) Jus, de quo quaerimus, civile est aliquod, naturale nullum. Nam si esset; ut calida et frigida, et amara et dulcia; sic essent justa et injusta eadem omnibus.
Cic. rep. III 8.

3.) Carneadis summa disputationis haec fuit: Jura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus; et apud eosdem pro temporibus saepe mutata; jus autem naturale esse nullum. Omnes et homines et alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse justitiam, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens. Et inferebat haec argumenta: Omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si justi velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum, et in egestate ac miseriis jacendum, praeter Arcadas et Athenienses, qui, credo, timentes hoc interdictum justitiae ne quando existeret, commenti sunt se de terra, tamquam hos ex arvis musculos, extitisse.
Cic. rep. III. 15. (Justitia.)

4.) Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias juris, aut parum.
Cic. rep. IV. 8. (Populus.)

5.) Cum lex sit civilis societatis vinculum, jus autem legis aequale, quo jure societas civium teneri

potest, cum par non sit conditio civium? Si enim pecunias aequari non placet; si ingenia omnium paria esse non possunt: jura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem republica. Quid est enim civitas, nisi juris societas?

Cic. rep. I. 32.

6.) Ex his (loquitur de XII tabularum legibus) et dignitatem maxime expetendam videmus, quum verus, justus atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore decoratur; vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctantur; et docemur, non infinitis concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.

Cic. de orat. I. 43. (Lex.)

7.) Jus anceps novi, causas defendere possum.
Hor. Satyr. II. 5. (Jurisconsultus.)

8.) Jura inventa metu injusti, fateare necesse est.
Hor. Satyr. I. 3.

9.) Syrus. — — — — Vere, illud Chreme,
Dicunt: jus summum saepe summa est malitia.
Ter. Heaut. IV. 5.

10.) Jus enim semper quaesitum est aequabile. Neque enim aliter esset jus.

Cic. off. II. 12.

11.) Jus ignorari ab iis, qui in republica versantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis peti: sic animadverto, quosque in magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Cic. Leg. III. 20.

(Leges. Magistratus. Romani.)

12.) Nihil habet naturale jus; ex quo illud efficitur, ne justos quidem esse natura.

Cic. rep. III. 11.

13.) Est hoc boni viri et justi, tribuere id cuique, quod sit quoque dignum.

Cic. rep. III. 11. (Justitia.)

14.) Non mediocres viri, sed maxumi et docti, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animantium

conditionem juris esse denuntiant; clamantque inexpiabiles poenas impendere iis, a quibus violatum sit animal.

Cic. rep. III. 11.

15.) Quum quaereretur ex eo (sc. ex pirata), quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone: eodem, inquit (ad Alexandrum nempe), quo tu orbem terrae.

Cic. rep. III. 12. (Potentia, vis.)

16.) Nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus.

Cic. Leg. I. 10. (Justitia.)

17.) Nos veri juris, germanaeque justitiae solidam, et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim et optimis naturae, et veritatis exemplis. Nam quanti verba illa: Uti ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatusve sim? quam illa aurea! Ut inter bonos bene agier oportet, et sine fraudatione? Sed qui sint boni, et quid sit bene agi, magna quaestio est.

Cic. off. III. 17. (Justitia.)

18.) Existunt etiam saepe injuriae calumnia quadam et nimis callida sed malitiosa juris interpretatione. Ex quo illud: »Summum jus, summa injuria« factum est jam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur. Ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste pactae induciae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium induciae. Nec noster quidem probandus, si verum est, Quintum Fabium Labeonem, seu quem alium (nihil enim praeter auditum habeo), arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a Senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ut ne cupide quid agerent, ne adpetenter; atque ut regredi, quam progredi mallent. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit: in medio relictum, quod erat, populo Romano adjudicavit. Decipere hoc quidem est, non judicare; quocirca in omni re fugienda est talis solertia.

Cic. off. I. 10. (Astutia.)

Jusjurandum.

1.) Nullum enim vinculum, ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt; id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones animadversionesque censorum; qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.

Cic. off. III. 31.

2.) L. Manlio, A. F. cum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset, quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri, accurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur; cui cum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur: surrexit e lectulo, remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit, hoc coactus terrore Pomponius; rem ad populum detulit, docuit, cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium missum fecit: tantum temporibus illis jusjurandum valebat.

Cic. off. III. 31.

3.) Quid est igitur, dixerit quis, in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, numquam nec irasci deum nec nocere. Sed in jurejurando, non qui metus, sed quae vis sit, debet intelligi; est enim jusjurandum affirmatio religiosa; quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est; jam enim non ad iram deorum, quae nulla est; sed ad justitiam, et ad fidem pertinet.

Cic. off. III. 28 et 29.

4.) Tunc me vel tragicae vexetis Erinnyes, et me
Inferno damnes, Aeace, judicio.

Prop. II. 20.

5.) Consilium prudensque animi sententia jurat,
Et nisi judicii vincula nulla valent.
Ovid. Her. Ep. 21.

Justitia.

1.) Justitia enim una virtus, omnium est domina, et regina virtutum.
Cic. off. III, 6.

2.) Illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia justitia conficit: et benevolentiam, quod prodesse vult plurimis: et ob eandem causam, fidem: et admirationem, quod eas res spernit, et negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.
Cic. off. II, 11.

3.) Etiam solitario homini, atque in agro vitam agenti, opinio justitiae necessaria est: eoque etiam magis, quod si eam non habebunt, injusti habebuntur: nullis praesidiis septi, multis afficientur injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerendam necessaria est.
Cic. off. II. 11.

4.) Hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio multitudinis. Adjuncto vero, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse consequi se arbitrarentur.
Cic. off. II. 12.

5.) Omni igitur ratione colenda et retinenda justitia est, tum ipsa propter sese; nam aliter justitia non esset: tum propter amplificationem honoris, et gloriae.
Cic. off. II. 12.

6.) Justitiae tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiae vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit; is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur.
Cic. off. II. 11.

7.) Cum igitur tanta vis justitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat: quantam ejus vim inter leges et judicia, in constituta republica fore putamus?

Cic. off. II. 11.

8.) Justitiam cole (loquitur defunctus Scipio Maj. ad vivum Minorem in somnio) et pietatem; quae cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est. Ea vita via est in coelum et in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum.

Cic. rep. VI. 15. Somn. Scip. (Patriotismus. Coelum.)

9.) Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de justitia multa dixerunt, adserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et cum caeterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse justitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota promineat, et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit.

Cic. rep. III. 7.

10.) Nullus est hominum, ne infimorum quidem ac mendicorum, in quem justitia cadere non possit.

Cic. rep. III. 7.

11.) Justitia foras spectat et projecta tota est atque eminet.

Cic. rep. III. 7.

12.) Haec virtus praeter ceteras tota se ad alienas porrigit utilitates atque explicat.

Cic. rep. III. 7.

13.) Admirabilitatem magnam facit, et maxime justitia (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quaedam multitudini videtur: nec injuria.

Cic. off. II. 11.

14.) Opera danda est, ne quid contra aequitatem contendas, ne quid pro injuria. Fundamentum enim perpetuae commendationis et famae, est justitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

Cic. off. II. 20.

15.) Justitia; in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur; et huic conjuncta beneficentia, quam eamdem vel benignitatem vel liberalitatem adpellari licet (sc. duae sunt virtutes, quibus vitae communitas continetur). Sed justitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria, deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis.

Cic. off. I. 7. (Beneficentia.)

16.) Fundamentum est autem justitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas.

Cic. off. I. 7. (Fides.)

17.) Meminerimus autem, etiam adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum; quibus, non male praecipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis, operam exigendam; justa praebenda.

Cic. off. I. 13. (Servi.)

18.) Intelligentiae justitia conjuncta quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium; justitia sine prudentia multum poterit: sine justitia nihil valebit prudentia.

Cic. off. II. 9. (Prudentia.)

19.) Etenim justitiae non natura nec voluntas, sed imbecillitas mater est.

Cic. rep. III. 14.

20.) Illorum fuit heroum (de Platone et Aristotele sermo) eam virtutem, quae est una, si modo est, maxime munifica et liberalis, et quae omnes magis, quam sese deligit, aliis nata potius, quam sibi, excitare jacentem et in illo divino solio non longe a sapientia collocare (sermo est de justitia). Nec vero illis aut voluntas defuit (quae enim iis scribendi alia causa, aut quod omnino consilium fuit?) aut ingenium, quo omnibus praestiterunt. Sed eorum et voluntatem et copiam causa vicit.

Cic. rep. III. 8.

21.) Justitia praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere, sacra, publica, aliena non tangere.

Cic. rep. III. 12.

22.) Quantum a justitia recedat utilitas, populus ipse romanus docet, qui per feciales bella indicendo et legitime injurias faciendo, semperque aliena cupiendo atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit.

Cic. rep. III. 13. (Romani.)

23.) Ubi non est vera justitia, juris consensu sociatus coetus hominum non potest esse; et ideo nec populus; et si non populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. Ac per hoc si respublica res populi est, et populus non est, qui consensu non sociatus est juris, non est autem jus, ubi nulla justitia est; procul dubio colligitur, ubi justitia non est, non esse rempublicam.

Cic. rep. III. 37. (Respublica.)

24.) Justitia est ea virtus, quae sua cuique tribuit.

Cic. rep. III. 37.

25.) Nullum est enim tempus, quod justitia vacare debet.

Cic. off. I. 19.

26.) Quamquam omnis virtus nos ad se alliciat, faciatque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen justitia et liberalitas id maxime efficit.

Cic. off. I. 17.

27.) — — — Est animus tibi,
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus.
Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae.

Hor. Od. IV. 9.

28.) Quoties bonus atque fidus
Judex honestum praetulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu!

Hor. Od. IV. 9. (Judex.)

29.) Legatos ab urbe Apollonia Romam missos, Qu. Fabius et Cn. Apronius aediles orta contentione, pulsaverunt. Quod ubi comperit (sc. Senatus), continuo eos per feciales legatis dedidit, quaestoremque

cum his Brundusium ire jussit, ne quam in itinere a cognatis deditorum injuriam acciperent. Illam Curiam, mortalium quis concilium, ac non fidei templum dixerit? Quam ut civitas nostra semper benignam praestitit, ita in sociorum quoque animis constantem recognovit.

Val. Max. VI. 6. (Jus gentium.)

Justus.

Nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut qui ea, quae his sunt contraria, aequitati anteponit.

Cic. Off. II. 11.

Juvenis.

1.) Imberbis Juvenis, tandem custode remoto
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque et amata relinquere pernix.

Hor. Pis. 161.

2.) Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput, ecce puer detectus honestum,
Qualis gemma, micat, fulvum quae dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti; vel quale pert artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho,
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crinis
Accipit et molli subnectens circulus auro.

Virg. Aen. l. X. v. 132.

Juventus.

1.) Est adolescentis, majores natu vereri, exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque anctoritate nitatur.

Cic. Off. I. 34. (Reverentia).

2.) Ineuntis autem aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est.

Cic. off. I. 34.

3.) Maxime autem haec aetas (sc. juventus) a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore, patientiaque et animi et corporis; ut eorum et in bellicis et civilibus officiis vigeat industria.

Cic. off. I. 34.

4.) Optuma quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus;
Et labor et durae rapit inclementia mortis.

Virg. Georg. l. III. v. 66.

5.) Parcendum est teneris; nondum implevere medullas
Maturae mala nequitiae.

Juv. Satyr. 14.

6.) — — — — — — Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contemseris annos;
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.

Juvenal. Satyr. 14.

7.) Defensor culpae dicet mihi: Fecimus et nos
Haec juvenes; esto; desîsti nempe, nec ultra
Fovisti errorem: breve sit, quod turpiter audes.

Juv. Satyr. 8.

8.) Quaedam cum prima resecentur crimina barba;
Indulge veniam pueris.

Juvenal. Satyr. 8.

Labor.

1.) — — — Labor omnia vicit
Improbus, et duris urgens in rebus egestas.

Virg. Georg. l. I. v. 145.

2.) — — — Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda;
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Virg. Georg. l. I. v. 121.

3.) — — — Non sum, qui segnia ducam
Otia. Mors nobis tempus habetur iners.
Ovid. ex Ponto I. 5.

4.) — — — Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.
Hor. satyr. l. I. 9.

5.) Nullus agenti dies longus est. Extendamus vitam; hujus et officium et argumentum actus est; circumscribatur nox, et aliquid ex illa in diem transferatur.
Senec. epist. 122.

6.) Laborem si non recuses, parum est; posce. Non est viri, timere sudorem.
Sen. ep. 31.

7.) Dum vires annique sinunt, tolerate labores:
Jam veniet tacito curva senecta pede.
Ovid. ars amat. l. II.

8.) Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura.
Sen. ep. 50.

9.) Numquam vacat lascivire districtis; nihilque tam certum est, quam otii vitia negotio discuti.
Sen. ep. 56.

10.) Inter se ista (labor et otium) miscenda sunt: et quiescenti agendum, et agenti quiescendum est. Cum rerum natura delibera; illa dicet tibi, se et diem fecisse, et noctem.
Sen. ep. 3.

Labores.

— — Quem das finem, rex magne, laborum?
Virg. Aen. I. 241.

Lacrymae.

1.) — — — Molissima corda
Hymano generi dare se natura fatetur,
Quae, lacrymas dedit: haec nostri pars optima sensus.
Juv. Satyr. 15.

2.) Interdum lacrymae pondera vocis habent.
Ovid. ex Ponto III. 1.

3.) — — Hinc illae lacrymae.
Hor. ep. I. 19.

4.) Hunc modum servet (nempe ratio in dolendo), qui nec impietatem imitetur, nec insaniam; et nos in eo teneat habitu, qui et piae mentis est, nec emotae. Fluant lacrymae, sed eaedem desinant; trahantur ex imo pectore gemitus, sed iidem et finiantur.
Sen. l. ad Polyb. c. 37. (Luctus. Solatium.)

Lamentatio.

Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idque raro; ejulatus ne mulieri quidem.
Cic. Tusc. Quaest. II. 23. (Luctus.

Laudatio.

1.) Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera!
Virg. Aen. l. VI. v. 879.

2.) Qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda sibi esse fortunae bona. Ea sunt generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii ceterarumque rerum, quae sunt aut corporis aut extraneae; si habuerit, bene his usum; si non habuerit, sapienter caruisse; si amiserit, moderate tulisse. Deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter quid juste; quid magnifice; quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Haec, et quae sunt ejus generis, facile videbit, qui volet laudare quempiam; et qui vituperare, contraria.
Cic. de orat. II. 11. (Laus.)

3.) Virtus, quae est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes; quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae virtutes, quae videntur in moribus hominum, et quadam comitate et beneficentia positae; aliae, quae in ingenii aliqua facultate aut animi magnitudine ac ro-

bore. Nam clementia, justitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, jucunda est auditu in laudationibus: omnes enim hae virtutes non tam ipsis, qui eas in se habent, quam generi hominum fructuosae putantur.

Cic. de oratore II. 84. (Virtus.)

4.) Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues ac pro nihilo putantur; et in excogitando vis quaedam ingenii, et ipsa eloquentia admirationis habet non minus, jucunditatis minus: ipsos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri. Sed tamen in laudando jungenda sunt etiam haec genera virtutum. Ferunt enim aures hominum, quum illa, quae jucunda et grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari.

Cic. de orat. II. 82. 84.

5.) Gratissima laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio: quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum; quod et dici ornatissime possunt, et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita.

Cic. de oratore II. 85.

6.) Magna etiam illa laus et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem.

Cic. de oratore II. 85.

Laus.

1.) Excitat auditor studium; laudataque virtus
Crescit et immensum gloria calcar habet.

Ovid. ex Ponto IV. 2.

2.) Ctesipho. — — Vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id adsentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existumes.

Ter. Adelph. II. 3.

3.) Ctesipho. — — Quid ego te nunc laudem? Satis certo scio,
Numquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua.
Ter. Adelph. II. 3.

4.) — — — Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Hor. Satyr. I. 1.

5.) (Poëta ad Musam). Hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque, tuasque decet sorores. Carm.
Hor. ~~Satyr.~~ I. 26.

6.) Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Hor. ep. I. 17. (Favor. Adplausus.)

7.) Non ego ventosae plebis suffragia venor,
Impensis coenarum et tritae munere vestis.
Hor. ep. I. 19. (Favor. Adplausus.)

Lectio.

1.) — — — — Mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.
Hor. Satyr. II. 2.

2.) Multa legas facito: perlectis neglige multa;
Nam miranda canunt, sed non credenda Poëtae.
Cic. Dist. III. 19.

Legalitas.

Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam, et velle aliquem imprudentem super eam adsidere, cujus mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi monueris, ne adsideat, sed impune tamen; scisse enim te, quis coarguere possit?

Cic. rep. III. 26.

Leges.

1.) Constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam et beatam, inventas esse leges.

Cic. Leg. II. 5.

2.) Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem: legem autem, mutum magistratum.

Cic. Leg. III. 1. (Magistratus.)

3.) Legum custodiam nullam habemus; itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri volunt: a librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius: apud quos νομοφύλακες creantur; nec hi solum litteras (nam id quidem etiam apud majores nostros erat), sed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant.

Cic. Leg. III. 20. (Romani.)

4.) Subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat. Nam, ut illis infirmiora animalia retineri, valentiora transmitti, ita his humiles et pauperes constringi, divites et praepotentes non alligari.

Val. Max. VII. 2.

5.) Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Praemia quanta bonos maneant.

Juven. Satyr. 8.

6.) Eosdem terminos (sc. e legibus nostris antiquis cognoscimus) hominum curae atque vitae; sic pontificio jure sanctitudo sepulturae.

Cic. rep. IV. 8. (Romani. Sepultura.)

7.) Leges sunt inventae, quae cum omnibus semper una, atque eadem voce loquerentur.

Cic. off. II. 12.

Legislator.

1.) Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod non ab his partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus jura descripta sunt. Unde enim pietas? aut a quibus religio? unde jus aut gentium, aut hoc ipsum, civile quod dicitur? unde justitia, fides, aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpitudinis, adpetentia laudis et honestatis? unde in laboribus et periculis fortitudo? nempe ab his, qui haec disciplinis informata, alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia legibus.

Cic. de republ. I. 2. (Vir politicus.)

2.) Quin etiam Xenocratem ferunt, nobilem imprimis philosophum, cum quaereretur ex eo, quid adsequerentur ejus discipuli, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Ergo ille civis, qui id cogit omnes imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam his, qui illa disputant, ipsis est praeferendus doctoribus. Quae etenim istorum oratio tam exquisita, quae sit anteponenda bene constitutae civitati, publico juri et moribus? Cic. de republica I. 2.

(Philosophus. Vita practica.)

Levitas.

1.) Tu quam saepe petis, quod amas, tam saepe relinquis.

Ovid. Heroid. ep. 19.

2.) Chremes. — — — Quod cavere possis, stultum admittere est.

Ter. Eun. IV. 6. (Periculum. Stultitia.)

3.) Demea. — — Quid ille fecerit? Quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quemquam, neque legem putat
Tenere se ullam.

Ter. Adelph. I. 2. (Nebulo.)

4.) Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna.

Cic. Amic. 17. (Corruptio.)

5.) — — — Putare et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.

Hor. ep. I. 5.

6.) Illorum brevissima ac sollicitissima aetas est, qui praeteritorum obliviscuntur, praesentia negligunt, de futuro timent; cum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri, tam diu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse.

Sen. brev. vitae 15. (Vita.)

7.) Tu levior foliis tunc, quum sine pondere succi
Mobilibus ventis arida facta cadunt.

Ovid. Heroid. ep. 5.

Lex.

1.) Fremant omnes licet, dicam, quod sentio: bibliothecas, mehercule, omnium philosophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare.

Cic. de orat. I. 44.

2.) Charondae Thurii praefractior atque abscisior justitia. Ad vim et cruorem usque seditiosas conciones civium pacaverat, lege cavendo, ut, si quis eas cum ferro intrasset, contiuuo interficeretur. Interjecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit: ab eoque, qui proxime constiterat, solutae a se legis suae monitus: Idem ego illam, inquit, sanciam; ac protinus ferro, quod habebat, destricto incubuit. Cumque liceret, culpam vel dissimulare, vel errore defendere, poenam tamen repraesentare maluit, ne qua fraus justitiae fieret.

Val. Max. VI. 5.

3.) Mos et lex maculosum edomuit nefas;
Culpam poena premit comes.

Hor. Od. IV. 5. (Culpa.)

4.) Lex est ratio summa, insita in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est.

Cic. Leg. I. 6.

5.) Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus; neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius; nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc, alia post hac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non

parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiam si caetera supplicia, quae putantur, effugerit.

Cic. rep. III. 22. (Ratio.)

Libenter.

1.) Clitipho. Nulla est tam facilis res, quin difficilis ~~set~~, fiet,
Quam invitus facias.

Ter. Haut IV. 5. (Voluntas.)

2.) Hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium.

Cic. off. I. 9. (Voluntas.)

Liber.

Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.

Hor. Pis. 345.

Liberalitas.

1.) Dii omnia, sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt. Haec quoque nostra ratio, si exemplari ab suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum venale esse beneficium; gratuitos habemus deos.

Sen. benef. IV. 25.

2.) Propositum est nobis secundum rerum naturam vivere, et deorum exemplum sequi. Dii autem quodcumque faciunt, in eo nihil praeter ipsam faciendi rationem sequuntur; nisi forte existimas illos fructum operum suorum ex fumo extorum et thuris odore percipere.

Senec. benef. IV. 25.

3.) Quod tributum est bono viro et grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris; temeritate enim remota, gratissima est liberalitas: eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cujusque bonitas, commune persugium est omnium.

Cic. off. II. 18.

4.) Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini.

Cic. off. I. 14.

5.) Qui benigniores volunt esse, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injuriosi sunt in proximos. Quas enim copias his et suppeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiae.

Cic. off. I. 14.

6.) Videre etiam licet plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est conjunctior, quam aut libéralitati aut honestati.

Cic. off. I. 14.

7.) Imitemur deos: demus, etiam si multa in irritum data sint; demus nihilo minus aliis; demus ipsis, apud quos jactura facta est.

Senec. benif. VII. 31.

8.) Neminem ab excitanda domo ruina deterruit; et cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, et urbes haustas saepius eodem solo condimus. Adeo ad bonas spes pertinax animus est.

Terra marique humana opera cessarent, nisi male cadentia iterum tentare libuisset.

Senec. benef. VII. 31.

Liberi.

At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat, et circa stet veneranda senem!

Tibull. I. 7.

Libertas.

1.) — — Qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam.

Hor. ep. I. 16. (Cupiditates.)

2.) Cervus equum, pugna melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque ~~recipit~~: recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Hor. ep. I. 10. (Paupertas.)

3.) Quid est praecipuum (in rebus humanis)? In primis labris animam habere. Haec res efficit, non e jure Quiritium, liberum, sed e jure naturae.
Senec. Quaest. natur. III. praef. (Sapientia.)

4.) Liber est, qui servitutem effugit sui. Haec est assidua servitus et ineluctabilis, et per diem ac noctem aequaliter premens sine intervallo, sine commeatu.
Senec. Quaest. Natur. III praef. (Servitus.)

5.) Imperti etiam populo potestatis aliquid; ut et Lycurgus et Romulus: non satiaris eum libertate, sed incenderis cupiditate libertatis, cum tantummodo potestatem gustandi feceris.
Cic. rep. II. 28.

6.) Chremes. Non licet hominem esse saepe ita, ut vult, si res non sinit.
Ter. Heaut IV. 1. (Necessitas. Circumstantiae.)

7.) Sannio. O hominem impurum! hiccine libertatem ajunt aequam esse omnibus?
Ter. Adelph. II. 1. (Querela.)

8.) Quisnam igitur liber? sapiens, sibique imperiosus;
Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent;
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis et in se ipso totus teres, atque rotundus;
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit semper fortuna.
Hor. Satyr. II. 7.

9.) An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit? dandum est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimiscendum. Ego vero istum non

modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.

Cic. Parad. V. (Mulier.)

10.) Major sum et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis; quod equidem non aliter adspicio, quam vinculum aliquod libertati meae circumdatum. Hoc itaque oppono fortunae, in quo resistat, nec per illud ad me ullum transire vulnus sino. Quidquid in me potest injuriam pati, hoc est in hoc obnoxio domicilio. Animus liber habitat; numquam me caro ista compellat ad metum; numquam ad indignam bono simulationem, numquam in honorem hujus corpusculi mentiar. Contemtus corporis sui certa libertas est.

Sen. ep. 65. (Corpus.)

11.) Marcus Cicero, inter Catilinas Clodiosque jactatus, Pompejosque et Crassos, quoties illum ipsum consulatum suum non sine causa, sed sine fine laudatum, detestatur? Quam flebiles voces exprimit in quadam ad Atticum epistola? »Quid agam, inquit, hic quaeris? moror in Tusculano meo semiliber.« Alia deinceps adjecit, quibus et priorem aetatem complorat et de praesenti queritur, et de futuro desperat. Semilibrum se dixit Cicero! At, me hercules, numquam sapiens in tam humile nomen procedet, numquam semiliber erit: integrae semper libertatis et solidae, solutus, et sui juris, altior caeteris.

Sen. brev. vit. 5. (Negotia, Otium, Vacatio.)

12.) Exeundum ad libertatem est. Hanc non alia res tribuit, quam fortunae negligentia. Tum illud orietur inaestimabile bonum, — quies mentis in tuto collocatae et sublimitas; expulsisque terroribus ex cognitione veri gaudium grande et immotum, comitasque et diffusio animi; quibus delectabitur non, ut bonis, sed ut ex bono suo ortis.

Sen. vita beata. V.

13.) Cum inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris, non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit: tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, inse-

quitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat.

Cic. rep. I. 43.

14.) Illa sequuntur: eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios adpellari; eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant, ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit in ejusmodi republica plena libertatis esse omnia; ut et privata domus omnis vacet dominatione, et hoc malum usque ad bestias perveniat. Denique ut pater filium metuat, filius patrem negligat; absit omnis pudor, ut plane liberi sint; nihil intersit, civis sit an peregrinus; magister ut discipulos metuat et iis blandiatur, spernantque discipuli magistros; adolescentes ut senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Ex quo fit, ut etiam servi se liberius gerant, uxores eodem jure sint, quo viri. Quin tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sint, sic incurrant, ut iis de via decedendum sit. — Ergo ex hac infinita licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sine ullo domino sint.

Cic. rep. I. 43.

15.) Ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ut e stirpe quadam, existit et quasi nascitur tyrannus. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adficit. Sic omnia nimia, cum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque in rebus publicis evenit; nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur, et illa injustissima et durissima servitus. Ex hoc enim populo indomito vel potius immani deligitur aliquis plerumque dux contra illos principes adflictos jam et depulsos loco, audax, impurus, consectans proterve bene saepe de republica meritos, populo gratificans et

aliena et sua: cui quia privato sunt oppositi timores, dantur imperia et ea continuantur, praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, sepiuntur; postremo a quibus producti sunt, existunt eorum ipsorum tyranni: quos si boni oppresserunt, ut saepe fit, recreatur civitas; sin audaces, fit illa factio, genus aliud tyrannorum eademque oritur etiam ex illo saepe optimatium praeclaro statu, cum ipsos principes aliqua pravitas de via deflexit. Sic tamquam pilam rapiunt inter se reipublicae statum, tyranni ab regibus; ab iis autem principes aut populi; a quibus aut factiones aut tyranni: nec diutius umquam retinetur idem reipublicae modus.

Cic. rep. I. 44. (Regimen. Tyrannus.)

16) Liber est, non in quem parum licet fortunae, sed in quem nihil.

Senec. epist. 110.

17.) Mihi liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.

Cic. de oratore II. 6. (Otium.)

18.) Libertas proposita est; ad hoc praemium laboratur. Quae sit libertas, quaeris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus.

Sen. ep. 51.

19.) Dictum est igitur ab eruditissimis viris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atque provisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse judicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac libere: cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque feruntur: nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas, atque judicium: cui quidem etiam (quae vim habere maximam dicitur) Fortuna ipsa cedit: sicut sapiens poëta dixit; Suis ea cuique fingitur moribus.

Cic. Parad. V.

20.) Cum autem suo cuique judicio sit utendum, difficile factu est, me id sentire, quod tu velis.

Cic. nat. deor. III. 1. (Judicium.)

21.) Idem sibi tam licere P. Mutius tribunus pleb., quam Senatui et populo Romano, credidit, qui omnes collegas suos, qui duce Sp. Cassio id egerant, ut, magistratibus non subrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit. Nihil profecto hac severitate fidentius: unus enim tribunus eam poenam novem collegis inferre ausus est, quam novem tribuni ab uno collega exigere perhorruissent.

Val. Max. VI. 3.

22.) Inter has (de audacibus duabus mulieribus sermo erat antea) et Theodorum Cyrenaeum quasi animosi spiritus conjugium esse potuit, virtute par, felicitate dissimile. Is enim Lysimacho regi mortem sibi minitanti, Enimvero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim assecutus es. Cumque hoc dicto accensus, cruci eum suffigi jussisset, Terribilis haec, ait, purpuratis sit tuis: mea quidem nihil interest, humine an sublime putrescam.

Val. Max. VI. 2.

23.) Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis: quae, a Philippo rege temulento immerenter damnata, Provocarem ad Philippum, inquit, sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac praesenti animo ebrium resipiscere, caussaque diligentius inspecta justiorem sententiam ferre coëgit. Igitur aequitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit: potius praesidium a libertate, quam ab innocentia, mutuata.

Val. Max. VI. 2.

24.) Illius vero Romanae liberalitatis caelestem spiritum nullae literae satis dignis laudibus prosequentur. Philippo enim Macedonum rege superato, cum ad Isthmicum spectaculum tota Graecia convenisset, T. Quinctius Flamininus, tubae signo silentio facto, per praeconem haec verba recitari jussit: S. P. Q. R. et T. Quinctius Flamininus Imperator omnes Graeciae urbes, quae sub ditione Philippi regis fuerunt, liberas atque immunes esse jubet. Quibus auditis, maximo et inopinato gaudio homines perculsi, primo veluti non audisse se, quae audierant, credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronuntiatione praeconis, tanta coelum clamoris alacritate compleverunt, ut certo constet, aves quae supervolabant, attonitas paventesque decidisse.

Val. Max. IV. 8. (Magnanimitas. Romani.)

25.) Jam illa non solum fortis, sed etiam urbana libertas. Senectutis ultimae quaedam, Syracusanis omnibus Dionysii tyranni exitum, propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera, votis expetentibus, sola quotidie matutino tempore deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognovit, non debitam sibi admiratus benevolentiam, accersit eam, et, quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogavit. Tum illa, Certa est, inquit, ratio propositi mei: puella enim, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. Quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit. Ejus quoque finiri dominationem magni aestimabam. Tertium te, superioribus importuniorem, habere coepimus rectorem. Itaque timens, ne, si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute devoveo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

Val. Max. VI. 2.

Libertas sermonis.

Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes:
Sit modo libertas, quae velit ira, loqui.

Prop. I. 1.

Libidines.

1.) Libidinosa, et intemperans adolescentia effoetum corpus tradit senectuti.

Cic. Sen. 9.

2.) Graves enim dominae cogitationum libidines, infinita quaedam cogunt atque imperant; quae quia nec expleri, nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, quos illecebris suis incenderunt.

Cic. rep. VI. 1.

Libidinosus.

— — — — — — Eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber sum, dic age. Non quis;
Urget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.

Horat. Satyr. L. II. 7.

Libri.

1.) Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum legas.

Senec. ep. 2.

2.) Non refert, quam multos, sed quam bonos libros habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur; non ire istud, sed errare est.

Sen. ep. 45. (Lectio.)

Lis.

1.) Este procul lites, et amarae proelia linguae!

Ovid. ars. amat. II.

2.) Conveniet a litibus, quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam, quam liceat, esse abhorrentem.

Cic. off. II. 18.

3.) Litis praeteritae noli maledicta referre.
Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

Cat. Dist. II. 15.

Literae.

1.) Ad res pulcherrimas, ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur. Nullo nobis seculo interdictum est, in omnia admittimur; et, si magnitudine animi egredi humanae imbecillitatis angustias libet, multum, per quod spatiemur, temporis est. Disputare cum Socrate licet; dubitare cum Carneade; cum Epicuro quiescere; hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere, cum rerum natura in consortium omnis aevi pariter incedere.

Senec. brev. vit. 14. (Scientiae. Studia.)

2.) Studia et optime felicitatem extollunt, et facillime minuunt calamitatem; eademque et ornamenta hominum maxima sunt, et solatia.

Sen. lib. ad Polyb. cap. 36. (Scientiae. Studia.)

3.) Quantis igitur molestiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? Quid est enim dulcius otio literato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum atque

naturae, et in hoc ipso mundo coelum, terras, maria cognoscimus.

Cic. Tusc. Quaest. V. 36. (Otium.)

4.) Disce bonas artes, moneo, Romana juventus;
Non tantum trepidos ut tueare reos.

Ovid. ars amat. I.

Literarum patronus.

Hoc agite, o juvenes! circumspicit et stimulat vos,
Materiamque sibi ducis indulgentia quaerit.

Juvenalis Satyr. 7. (Princeps.)

Literatus.

Quamdiu fuerit ullus litteris honor, quamdiu steterit aut latinae linguae potentia, aut graecae gratia, vigebit cum maximis viris (de Polybio, viro literato loquitur); quorum se ingeniis vel contulit, vel, si hoc verecundia ejus recusat, adplicuit.

Sen. lib. ad Polyb. c. 21. (Doctos.)

Livor.

1.) Pascitur in vivis livor; post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.

Ovid. Amor. I. 15.

2.) Summa petit livor; perflant altissima venti;
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

Ovid. remed. amor. (Magnitudo.)

3.) Livor, iners vitium, mores non exit in altos;
Utque latens ima vipera serpit humo.

Ovid. ex Pont. III. 3.

4.) Alit livorem infelix inertia; et omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere; et ex hac deinde aversatione alienorum processuum, et suorum desperatione obirascens fortunae animus, et de saeculo querens, et in angulos se retrahens, et poenae incubans suae, dum taedet sui pigetque.

Sen. tranquill. anim. 2.

Loquacitas.

— — — — — — Verborum tanta cadit vis;
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Jam nemo tubas, nemo aera fatiget;
Una laboranti poterit succurrere lunae.
Juvenalis Satyr. 6. (Garrulitas.)

Lucrum.

1.) Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur:
Vulgus amicitias utilitate probat.
Ovid. ex Pont. II. 3. (Egoismus.)

2.) Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.
Virg. Eclog. ~~Virg. Eleg.~~ III. v. 5. (Mercenarius.)

3.) — — — — — — — Adspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare; plus hominum est jam
In Pelago: veniet classis, quocumque vocarit
Spes lucri.
Juvenal. Satyr. 14.

4.) — — Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dis atque ipso Jove digna.
Juvenal. Satyr. 14.

5.) Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terrae rusticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.
Tibull. I. 9.

6.) Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, et tabula distinguitur unda;
Cum sit causa mali tanti et discriminis hujus
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
— — — — Infelix, ac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam laeva morsuque tenebit.
Juvenal. Satyr. 14. (Navigatio.)

Luctus.

1.) Niobe fingitur lapidea, propter aeternum, credo, in luctu silentium.
Cic. Tusc. Quaest. III. 26.

2.) Lacrimis nostris ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet.

Sen. lib. ad Polyb. c. 23. (Solatium.)

3.) Lamentis, gemituque et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether.

Virg. Aen. IV. 667.

4.) Quae, malum! dementia est, poenas a se infelicitatis exigere, et mala sua augere!

Sen. lib. ad Marc. c. 3. (Solatium.)

5.) Non te ad fortiora ducam praecepta, ut inhumano ferre humana jubeam modo; hoc inter nos quaeretur, utrum magnus esse debeat, an perpetuus dolor?

Senec. lib. ad Marc. c. 4. (Solatium.)

Ludus.

1.) Etiam cum relaxare animos et dare se jucunditati volent (sc. juvenes), caveant intemperentiam, meminerint verecundiae; quod erit facilius, si ejusmodi quoque rebus majores natu interesse velint.

Cic. off. I. 34.

2.) Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi.

Cic. off. I. 29.

3.) Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur; tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.

Senec. tranquill. anim. 15. (Requies.)

Luna.

Ipse sol mundum omnem sua luce complet, ab eoque luna illuminata graviditates, et partus affert, maturitatesque gignendi.

Cic. nat. deor. II. 46.

Lunae defectio.

Memini, me admodum adolescentulo, cum pater in Macedonia Consul esset (Scipio loquitur), et essemus

in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum ille (nempe Sulpicius) cum legatus noster esset anno fere ante, quam Consul est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castris docere, nullum esse prodigium; idque et tum factum esse, et certis temporibus semper futurum, cum sol ita locatus fuissst, ut lunam suo lumine non posset adtingere.

Cic. de republ. I. 15.

Lux.

— — Quae lucis miseris tam dira cupido?

Virg. Aen. VI. v. 721.

Luxuria.

1.) Quum sis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quae non est, dicere caecam.

Cat. Dist. IV. 3.

2) Age, Xerxes opum regiarum ostentatione eximia eo usque luxuria gaudens, ut edicto praemium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset, quanta, dum deliciis nimiis capitur, amplissimi imperii ruina evasit!

Val. Max. IX. 1.

3.) Consentaneus regibus suis gentis Aegyptiae populus: qui, ductu Archelai adversus A. Gabinium moenibus urbis egressus, cum castra vallo atque fossa cingere juberetur, universus succlamavit, ut id opus publica pecunia faciendum locaretur. Qua propter deliciis tam enerves animi, spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.

Val. Max. IX. 1.

4.) Huic nimirum (sc. Oratae) magis Aesopus tragicus in adoptionem dare filium suum, quam bonorum suorum haeredem relinquere debuit, non solum perditae, sed etiam furiosae luxuriae juvenem. Quem constat cantu commendabiles aviculas immanibus emptas pretiis, in coena pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnae summae uniones potionibus aspergere solitum; amplissimum patrimonium, tamquam amaram aliquam sarcinam, quam celerrime abjicere cupientem.

Quorum alterius senis, alterius adolescentis sectam secuti plurimi, longius manus porrexerunt. Neque enim ullum finitur vitium ibi, ubi oritur. Inde ab Oceani littoribus attracti pisces; inde infusae culinis arcae, censibusque edendi atquae bibendi voluptas reperta est.

Val. Max. IX. 1. (Romani.)

5,) C. Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit: quae impensa levibus initiis coepta, ad suspensa calidae aquae tantum non aequora penetravit. Idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, aestuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam saeva tempestas incideret, qua non Oratae mensae varietate ferculorum abundarent. Aedificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur. Ubi dum se publicae aquae cupidius immergit, cum Considio publicano judicium nactus est: in quo L. Crassus, adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret, Oratam, remotum a lacu, cariturum ostreis: namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum.

Val. Max. IX. 1. (Romani.)

6.) Si considerare volumus, quae sit in natura excellentia et dignitas, intelligimus, quam sit turpe, diffluere luxuria, delicate ac molliter vivere; quamque honestum, parce, continenter, severe, sobrie.

Cic. off. I. 30. (Sobrietas.)

7.) Quaerere, ut absumant, absumta requirere certant;
Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.

Ovid. fast. l. I.

8.) Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.

Prop. III. 13.

9.) Dii boni! quantum hominum unus venter exercet!

Senec. epist. 95.

10.) Jubes me cum luxuria litigare. Quotidianum istud et sine effectu jurgium est. Litigemus tamen;

etiamsi superior futura est, pugnantes ac reluctantes vincat.

Senec. Quaest. natural. IV. 13.

11.) Non tempero mihi, quin utar interdum temerariis verbis, et proprietatis modum excedam: non sunt ad popinam dentibus et ventre, et ore contenti; — oculis quoque gulosi sunt.

Sen. quaest. natural. III. 18.

12.) Non praematuri cineres, nec funus acerbum
Luxuriae, sed morte magis metuenda senectus.

Juvenal. Satyr. 11.

13.) Aliunde alio transfugiunt, et consistere in una cupiditate non possunt. Ipsae voluptates eorum trepidae, et variis terroribus inquietae sunt, subitque cum maxime exsultantes sollicita cogitatio: »haec quam diu?«

Senec. brevit. vitae. 16. (Voluptas.)

14.) Quis est istorum (de delicatis et luxuriosis sermo est), qui non malit rem publicam turbari, quam comam suam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non comtior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas? inter pectinem speculumque occupatos?

Sen. brev. vit. 12. (Mollities. Otium.)

15) Vides uniones non singulos singulis auribus comparatos; jam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.

Senec. benef. VII. 9.

16.) Processit immodestius, paulatim opibus ipsis invitata luxuria, et incrementum ingens vitia acceperunt. Adeoque omnia indiscreta sunt perversissimis artibus, ut, quidquid mundus muliebris vocabatur, sarcinae viriles sint, minus dico, — etiam militares.

Senec. quaest. natural. I. 17. (Mollities.)

17.) Gustus elementa per omnia quaerunt,
Numquam animo pretiis obstantibus: interius si
Attendas, magis illa juvant, quae pluris emuntur.

Juvenal. Satyr. 11.

18.) Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas,
Omnibus in Lybia sit montibus; hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus.

Juvenal. Satyr. 11.

19.) Mindyridem, ajunt, fuisse ex Sybaritarum civitate: qui cum vidisset fodientem, et altius rastrum allevantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere. Idem saepius questus est, quod foliis rosae duplicatis incubuisset.

Senec. de ira II. 25.

20.) Demea — — — — O Juppiter!
Hanccine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?
Domus sumtuosa; adolescens luxu perditus;
Senex delirans! Ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

Ter. Adelph. IV. 7. (Vituperatio.)

21.) Phoenices primi mercaturis et mercibus suis avaritiam et magnificentiam et inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Graeciam.

Cic. rep. III. 36. (Mercatura. Phoenices.)

22.) Delectant magnifici adparatus, vitaeque cultus cum elegantia et copia; quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniae cupiditas esset.

Cic. off. I. 8.

23.) Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui submovet Euros
Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas, quaecumque est purpura ducit.

Juvenal. Satyr. 14.

24.) Ambitiosa non est fames, contenta desinere est; quo desinat, non nimis curat. Infelicis luxuriae ista tormenta sunt; quaerit, quemadmodum post saturitatem quoque esuriat.

Sen. epist. 119.

25.) Ad salutem omnia parata sunt, et in promptu; deliciis omnia misere ac sollicite comparantur.

Senec. epist. 119.

26.) Una Hannibalem hiberna solverunt; et indomitum illum nivibus atque Alpibns virum enervaverunt fomenta Campaniae. Armis vicit; vitiis victus est.

Senec. ep. 51.

27.) Nunc divitibus coenandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit; putere videntur
Unguenta atque rosae; laetos nisi sustinet orbes
Grande ebur et magno sublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis.

Juvenal. Satyr. 11.

28.) — — — — — — — — Alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus: haec eadem illi (sc. nobiles)
Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.

Juvenal. Satyr. 11.

Lycurgus.

1.) Omnia prorsus (sc. et Plato et Lycurgus) jubet esse communia, ne quis civis propriam aut suam rem ullam queat dicere.

Cic. rep. IV. 5. (Plato. Possessio.)

2.) Ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus graecis frenos; nam etiam Spartae, regnante Theopompo, sunt item quinque, quos illi ephoros adpellant; in Creta autem decem, qui cosmi vocantur; ut contra consulare imperium tribuni plebis, sic illi contra vim regiam constituti.

Cic. rep. II. 33. (Regimen.)

Magister.

1.) Nullius adstrictus jurare in verba magistri.

Hor. epist. l. I. 1.

2.) Di, majorum umbris tenuem et sine pondere terram,
Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver,
Qui praeceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

Juv. Satyr. 7.

5) — — — — — — Vos saevas imponite leges,
Ut praeceptori verborum regula constet;
Ut legat historias; auctores noverit omnes,
Tamquam ungues, digitosque suos. — —
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit; exigite, ut sit
Et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve tot puerorum
Observare manus, oculos in fine trementes.
Haec, inquit, cures; et cum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

Juvenal. Satyr. 7.

4.) — — — — — — — Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti.
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.

Juv. Sat. 7.

5.) Quanticumque domus, veniet, qui fercula docte
Componat; veniet, qui pulmentaria condit.
Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient; res nulla minoris
Constabit patri, quam filius.

Juv. Satyr. 7.

6.) Occidit miseros crambe repetita magistros.

Juv. Satyr. 7.

7.) — — — — — — — Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod laeva in parte mamillae
Nil salit Arcadio juveni.

Juvenal. Satyr. 7.

Magistratus.

1.) Magistratibus igitur opus est: sine quorum prudentia, ac diligentia esse civitas non potest: quorum descriptione omnis reipublicae moderatio continetur.

Cic. Leg. III. 2.

2.) Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: et qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum: et illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum.

Cic. Leg. III. 2. (Obtemperantia.)

3.) Nec vero solum ut obtemperent, obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant, diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus.

Cic. Leg. III. 2.

4.) Nam sic habetote, magistratibus, iisque, qui praesint, contineri rempublicam, et ex eorum compositione, quod cujusque Reipublicae genus sit, intelligi.

Cic. Leg. III. 5. (Respublica.)

5.) Magistratuum auctoritas maxime florebat; quod, cum honore longe antecellerunt caeteris, voluptatibus erant inferiores, nec pecuniis ferme superiores; eoque erat cujusque gratior in republica virtus, quod in rebus privatis diligentissime singulos cives opera, consilio, re tuebantur.

Cic. rep. II. 34. (Romani.)

6.) Est proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere, ea fidei suae commissa meminisse.

Cic. off. I. 34.

7.) Nullum vitium taetrius, quam avaritia, praesertim in principibus rempublicam gubernantibus; habere enim quaestui rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium.

Cic. Off. II. 22. (Corruptio.)

8.) Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui reipublicae praesunt, quam abstinentia et continentia.

Cic. Off. II. 22. (Abstinentia.)

Magnanimitas.

1.) Q. Fabius captivos ab Annibale interposita pactione nummorum receperat: qui cum a senatu non praestarentur, misso in urbem filio, fundum quem unicum possidebat, vendidit, ejusque pretium Annibali protinus numeravit: se enim patrimonii, quam patriam fidei, inopem esse maluit.

Val. Max. IV. 8. (Fabius.)

2.) Timochares Ambraciensis Fabricio consuli pollicitus est, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui

potionibus ejus praeerat, necaturum. Ea res, cum ad senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit, ut adversus hujus generis insidias cautius se gereret: memor, Urbem, a filio Martis conditam, armis bella, non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo aequitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere, neque eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit.

Val. Max. VI. 5.

3.) Fortis vero et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur, sed praesentis animi uti consilio, nec a ratione discedere.

Cic. off. I. 23. (Constantia.)

4.) Ingenii magni est, praecipere cogitatione futura, et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem; et, quid agendum sit, cum quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum sit: Non putaram.

Cic. off. I. 23.

5.) Multo magis est secundum naturam excelsitas animi, et magnitudo: itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiae: quae quidem contemnere, et pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi, et excelsi est.

Cic. off. III. 5.

6.) Maximum autem exemplum est justitiae in hostem a majoribus nostris constitutum. Cum a Pyrrho perfuga Senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum: Senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem, et potentis, et bellum ultro inferentis interitum cum scelere adprobavit.

Cic. off. I. 13. (Romani.)

7.) Magnam fortunam magnus animus decet; qui, nisi se ad illam extulit, et altior stetit, illam quoque infra terram deducit.

Senec. clement. I. 5. (Potestas.)

8.) Magni animi est proprium, placidum esse tranquillumque et injurias atque offensiones superne despicere. Muliebre est furere in ira; ferarum vero, nec

generosarum quidem praemordere et urgere projectos. Elephantes leonesque transeunt, quae impulerunt; ignobilis bestiae pertinacia est.

Senec. clement. I. 5. (Potestas.)

9.) Est hic, est animus lucis contemtor, et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Virg. Aen. Lib. IX. v. 205.

10.) Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum, decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere; nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunae succumbere. Altera est res, ut, cum ita sis adfectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem et maxime utiles, sed et vehementer arduas plenasque laborum et periculorum tum vitae, tum multarum aliarum rerum, quae ad vitam pertinent. Harum rerum duarum splendor omnis et amplitudo, adde etiam utilitatem, in posteriore est; causa autem et ratio efficiens magnos viros est in priore.

Cic. off. I. 20.

Magniloquentia.

Nemo fingere contentus est levia; cum magnitudine mendacii fidem quaerat.

Senec. benefic. VII. 30.

Magnitudo.

1.) Numquam nos census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.
Ovid. ex Pont. I. 9. (Nobilitas.)

2.) Saepius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsae graviore casu,
Decidunt turres, feriuntque summos.
Fulmina montes. Horat. Od. L. II. 10.

Majores.

1.) Hic egregiis majoribus ortus est: qualiscumque est sub umbra suorum lateat. Ut loca sordida reper-

cussu solis illustrantur, ita inertes majorum suorum luce resplendeant.

Senec. benef IV. 30. (Nobilitas.)

2.) Deos videre est, ut alios indulgentius tractent, propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem.

Senec. benef. IV. 32. (Nobilitas.)

3.) Regnent hi, quia vir bonus quidam proavus eorum fuit; qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat reipublicae, vinci, quam vincere, maluit. Referri illi gratia tam longo spatio non potuit; in illius respectum iste populo praesideat, non, quia scit aut potest, sed quia alius pro eo meruit.

Senec. benef. IV. 32. (Rex.)

Mala.

1.) Idem (sc. Solon) ajebat, si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quam ex communi miseriarum acervo portionem suam ferre mallent.

Val. Max. VII. 2. (Solatium.)

2.) Saepe majori fortunae locum fecit injuria; multa ceciderunt, ut altius surgerent et in majus.

Senec. epist. 91.

3.) Tot mala sum passus, quod in aethere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

Ovid. Trist. I. 4.

4.) Quaeris, quid sit malum? Cedere his, quae mala vocantur, et illis libertatem suam dedere, pro qua cuncta patienda sunt.

Senec. epist. 85.

Mali.

Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult
Accusare potest.

Juvenal. Satyr. 3.

Malitia.

Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit.
Senec. epist. 81.

Malum.

1.) Tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus.
Sen. lib. ad Marc. c. 19.

2.) Unum est levamentum malorum ingentium, pati, et necessitatibus suis obsequi.
Senec. de Ira III. 16. (Patientia.)

3.) Mortalis nemo est, quem non adtingat dolor
Morbusque; multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi; morsque est finita omnibus;
Quae generi humano angorem nequidquam adferunt.
Reddenda est terrae terra; tum vita omnibus
Metenda, ut fruges: sic jubet necessitas.
Cic. Tusc. Quaest. L. III. 25. (Mors.)

4.) Ne ipsa quidem universae philosophiae vis, licet tota in hoc vires suas advocet, duram jam et veterem animis extrahet pestem.
Senec. epist. 94.

5.) In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet, et contra injurias fortunae inter beneficia firmetur.
Senec. epist. 18. (Providentia.)

6.) Ille dies primus leti primusque malorum.
Causa fuit.
Virg. Aen. IV. 169.

7.) Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: nesciebam, hoc mihi restare: Sapiens scit, sibi omnia restare; quidquid factum est, dicit; sciebam!
Senec. epist. 76.

Manus.

Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit: digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad ner-

vorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta manus est, admotione digitorum. Atque haec oblectationis: illa necessitatis; cultus dico agrorum, exstructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel suta, omnemque fabricam aeris et ferri: ex quo intelligitur, ad inventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus; urbes, muros, domicilia, delubra haberemus.

Cic. nat. deor. II. 60.

Mare.

Magna pars erat pacis humanae, maria praecludi.
Senec. quaest. natural. V. 18. (Pax.)

Mater.

Syrus. — — — Matres omnes Filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent esse.

Ter. Heaut. V. 2. (Parentes.)

Matrimonium.

1.) Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis
Ne retinere velis, si coeperit esse molesta.

Cat. Dist. III. 13.

2.) Idem (sc. Socrates) ab adulescentulo quodam consultus, uxorem duceret, an se omni matrimonio abstineret; respondit, utrum eorum fecisset, acturum poenitentiam. Hic te, inquit, solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic haeres alienus excipiet: illic perpetua solicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium grave supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus.

Val. Max. VII. 2.

3.) Quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur. Existimabant enim, eum praecipue matronae sincera fide incorruptum esse animum, qui depositae virginitatis cubile pudicum egredi ne-

sciret: multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimae cujusdam intemperantiae signum esse credentes.

Val. Max. II. 1.

4.) Repudium inter uxorem et virum a condita Urbe usque ad vigesimum et quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis caussa dimisit. Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei praeponi debuisse arbitrabantur.

Val. Max. II. 1.

5.) Quoties vero inter virum et uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum deae Viriplacae, quod est in Palatio, veniebant, et ibi invicem locuti quae voluerant, contentione animorum deposita concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris fertur assecuta: veneranda quidem et nescio an praecipuis et exquisitis sacrificiis colenda; utpote quotidianae ac domesticae pacis custos, in pari jugo caritatis ipsa sui appellatione virorum majestati debitum a feminis reddens honorem.

Val. Max. II. 1.

6.) Nescis, quid sit amor, juvenis, qui ferre recusas
Immitem dominam conjugiumque ferum.

Tibull. III. 4.

7.) Vota cadunt. Viden'ut trepidantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor?
Vincula, quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas?

Tibull. II. 2.

8.) Certe sanus eras! uxorem, Posthume, ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam, salvis tot restibus, ullam?
Cum pateant altae caligantesque fenestrae?
Cum tibi, vicinum se praebeat Aemilius pons?

Juvenalis Satyr. 6.

Medicina.

Temporis ars medicina fere est; data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Ovid. remed. amor.

Medicus.

1.) Quod emi, non debeo. — Isto modo, ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam dices; nec praeceptori, quia aliquid numeraveris; atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia est. Adversus hoc respondetur, quaedam pluris esse, quam emuntur. Emis a medico rem inaestimabilem, vitam ac valetudinem bonam, a bonarum artium praeceptore studia liberalia, et animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operae solvitur; mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt.

Senec. benef. VI. 14. et 15. (Praeceptor.)

2.) Quid ergo? Quare medico et praeceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico ac praeceptore in amicum transeunt, et nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna et familiari voluntate.

Senec. benef. VI. 16. (Praeceptor.)

3.) Mali medici est desperare, ne curet.

Senec. clement. I. 17.

4.) Sordidissimorum quoque artificiorum institoribus supra constitutum aliquid adjecimus, si nobis opera illorum enixior visa est; et gubernatori et opifici vilissimae mercis, et in diem se locanti corollarium adspersimus. In optimis vero artibus, quae vitam aut conservant aut excolunt, qui nihil se plus existimat debere, quam pepigit, ingratus est. Adjice, quod talium studiorum traditio miscet animos; hoc quum factum est, tam medico, quam praeceptori pretium operae solvitur, animi debetur.

Senec. benef. VI. ~~24~~ 17. (Praeceptor.)

Mediocritas.

1.) Quod potes, id tenta; nam litus carpere remis
Tutius est multo, quam velum tendere in altum.
Cat. Dist. IV. 33. (Moderatio.)

2.) Mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est.
Cic. off. I. 39. (Sumtus.)

3.) Quod nimium est, fugito, parvo gaudere memento.
Tuta mage est puppis, modico quae flumine fertur.
Cat. Dist. II. 6.

4.) Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda.
Sobrius aula. Horat. Odar. II. 10.

Memoria.

1.) Quid jurisconsulti? Quid pontifices? Quid augures? Quid philosophi senes? Quam multa meminerunt? Manent ingenia senibus, modo permaneat studium, et industria: nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata, et quieta.
Cic. Sen. 7. (Senes.)

2.) At memoria minuitur (sc. senis). Credo, nisi eam exerceas, aut si sit natura tardior. Themistocles omnium civium nomina perceperat; num igitur censetis, eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem (Cato) non modo eos novi, qui sunt; sed eorum patres etiam, et avos.
Cic. Sen. 7.

3.) Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis.
Cic. de oratore I. 34.

4.) Soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sint; quid responderint, quid supersit: iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt.
Cic. de oratore II. 87. (Orator.)

5.) Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria? quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus, omnia etiamsi praeclarissima fuerint in oratore, peritura.

Ciceronis de oratore I. 5.

6.) Apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles; ad quem quidam doctus homo atque imprimis eruditus accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse, se traditurum: quum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset, et Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam si meminisse docuisset.

Cic. de oratore II. 74.

7.) Non sum tanto ego ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriae malim; gratiamque habeo Simonidi illi Ceo, quem primum ferunt artem memoriae protulisse. Dicunt enim quum coenaret Cranone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa, poëtarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium ejus ei, quod pactus esset, pro illo carmine daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magno opere evocarent: surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse. Quos cum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo: Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator unius cujusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriae lumen adferret.

Cic. de oratore II. 86. (Mirabile.)

8.) Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere,

quae didiceris in accipienda causa; quae ipse cogitaris? Omnes fixas esse in animo sententias? Omnem descriptum verborum adparatum? Ita audire vel eum, unde discas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere?

Cic. de oratore II. 87. (Orator.)

Mendacium.

1.) Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.

Juv. Sat. 7.

2.) Ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum facta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus.

Cic. rep. II. 15.

Mens.

Bona mens nec commodatur, nec emitur, et, puto, si venalis esset, non haberet emtorem; at mala quotidie emitur.

Sen. ep. 27.

Mercator.

1.) Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio.

Hor. Satyr. l. I. 4.

2.) Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur, emtor apponet: uterque, si ad eloquendum venerit, non plus, quam semel, eloquetur.

Cic. off. III. 15.

Mercatura.

1.) Nolo eundem populum (de Romanis loquitur) imperatorem et portitorem esse terrarum. Optimum autem et in privatis familiis et in republica vectigal duco esse parsimoniam.

Cic. rep. IV. 7. (Parsimonia, Romani. Vectigal.)

2.) Mercatura autem si tenuis est, sordida putanda est; sin magna, et copiosa, multa undique adportans, multisque sine vanitate impertiens: non est admodum vituperanda. Atque etiam si satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari.

Cic. off. I. 42.

Merces.

Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Hor. epist. c. II. 2. (Mercatura.)

Merita.

1.) Hoc debemus virtutibus, ut non praesentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus.

Senec. benef. IV. 30. (Virtutes.)

2.) Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria; et esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat.

Senec. benef. IV. 30. (Virtutes.)

3.) Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent,
~~Ceeque et Alcei~~ ~~minaces~~, Caeque et Alcaei minaces,
Stesichorique graves Camoenae.

Hor. Od. IV. 9.

Meta.

1.) Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer; sudavit et alsit,
Abstinuit Venere et vino.

Hor. Pison. 412.

2.) Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras.

Virg. Aened. Lib. VI. v. 61. (Votum.)

Metus.

1.) An non est omnis metus, servitus?

Cic. Parad. V. (Servitus.)

2.) Nullius metus tam gratus est finis, ut non gratior sit solida et inconcussa securitas.

Senec. benef. VI. 28. (Securitas.)

3.) Qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest.

Cic. Tusc. L. II. cap. 1.

Miles.

Nullus de nostro sanguine miles erit.

Proport. II. 7.

Militia.

1.) Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest; in qua multi apud majores nostros exstiterunt: semper enim fere bella gerebantur.

Cic. Off. II. 13.

2.) Sed cum plerique arbitrentur, res bellicas majores esse, quam urbanas, minuenda est haec opinio. Multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem; atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit, eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum. Vere autem si volumus judicare, multae res exstiterunt urbanae majores clarioresque, quam bellicae. Quamvis enim Themistocles jure laudetur, et sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius, citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis, ei, quo primum constituit Areopagitas: non minus praeclarum hoc, quam illud, judicandum est. Illudenim semel profuit, hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur.

Cic. off. I. 22. (Pax).

3.) Parvi enim sunt forisarma, nisi est consilium domi.

Cic. off. I. 22. (Pax.)

4.) Commoda tractemus primum Communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus

Audeat; imo etsi pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos Praetori ostendere dentes.
Juv. Sat. 16.

5.) Quis numerare queat felicis praemia, Galle,
Militiae?
Juvenal. Satyr. 16.

6.) Declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.
Cic. off. I. 18.

Minae.

Menedemus. Ego te meum esse dici tantisper volo,
Dum, quod te dignum est, facies; sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.
Ter. Heaut. I. 1. (Objurgatio.)

Miser.

1.) Ut improbo, et stulto, et inerti nemini bene esse potest: sic bonus vir, et fortis, et sapiens, miser esse non potest.
Cic. Paradox II.

2.) Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumque fugit.
Ovid. ex Ponto IV. 12.

3.) Jam dolor in morem venit meus: utque caducis
Percussu crebro saxa cavantur aquis:
Sic ego continuo fortunae vulneror ictu,
Vixque habet in nobis jam nova plaga locum.
Ovid. ex Ponto II. 7. (Querela.)

4.) An dubitas, quin praestans valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisque sensibus, adde etiam, si libet, pernicitatem et velocitatem, da divitias, honores, imperia, opes, gloriam: si fuerit is, qui haec habet, injustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo: dubitabisne eum miserum dicere?
Cic. Tusc. Quaest. V. 15.

5.) Nos, quibus assuevit fatum crudeliter uti,
Ad mala jam pridem non sumus ulla rudes.
Ovid. ex Ponto III. 7.

Miseria.

1.) Ita affecti sumus, ut nihil aeque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser.
Senec. ad Helv. matr. de cons. cap. 13. (Admiratio)

2.) Res est sacra, miser.
Sen. ad Helv. matr. de consolat. Epigr. 4.

3.) — — — — Fortuna miserrima tuta est;
Nam timor eventus deterioris abest.
Ovid. ex Pont. II. 2.

4.) Ut multum nostrae demus de gurgite curae;
Non minus exhausto quod superabit erit.
Ovid. ex Ponto l. I. 3.

5.) Bono loco res humanae sunt; quod nemo, nisi vitio suo miser est.
Sen. ep. 70.

Misericordia.

1.) Q. vero Metellus, Celtibericum in Hispania gerens bellum, cum urbem Centobricam obsideret, et jam admota machina, partem muri, quae sola convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem propinquae victoriae praetulit. Nam cum Rethogenis filios, qui ad eum transierat, Centobricenses machinae ictibus objecissent; ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur, (quanquam ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non unius civitatis moenia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit: effecitque, ut ad redigendas eas in ditionem populi Romani non multis sibi obsidionibus opus esset.
Val. Max. V. 1. (Humanitas.)

2) Misericordia est aegritudo ex miseria alterius, injuria laborantis; nemo enim parricidae aut proditoris supplicio misericordia commovetur.

Cic. tusc. Quaest. IV. 8.

Moderatio.

Quo alio Fabius affectas imperii vires recreavit, quam quod cunctari et trahere et morari scivit, quae omnia irati nesciunt. Perierat imperium, quod tunc in extremo stabat, si Fabius tantum ausus esset, quantum ira suadebat.

Senec. de ira l. I. 11. (Dominatio sui. Fabius.)

Modestia.

1.) Inter convivas fac sis sermone modestus,
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

Cat. dist. III. 20. (Sermo. Urbanitas.)

2.) — — — Vincant, quos vincere mavis.

Virg. Aen. Lib. X. v. 43.

3.) Invitati ad coenam diligenter quaerebant (sc. juvenes) quinam ei convivio essent interfuturi, ne senioris adventum discubitu praecurrerent: sublataque mensa priores consurgere et abire patiebantur. Ex quibus apparet, coenae quoque tempore quam parco et quam modesto sermone his praesentibus soliti sint uti.

Val. Max. II. 1.

4.) A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus, quidam jactumemerat. Extracta deinde magni ponderis aurea mensa Delphica, orta controversia est, illis piscium se capuram vendidisse affirmantibus, hoc fortunam tractus se emisse dicente. Qua conditione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae, ad universum ejus civitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adjudicari mensa deberet. Deus respondit, illi esse dandam, qui sapientia caeteros praestaret, his verbis:

Ἔκγονε Μιλητου, τριποδος περι Φοιβον ἐρωτᾷς
Ὃς σοφιῃ ~~χαντων~~ παντων πρωτος, τουτῳ τριποδ' ἀν δῶ.

Tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt; ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii; deincepsque per omnium septem sapientium orbem, ad ultimum ad Solonem pervenit: qui et titulum amplissimae sapientiae, et praemium ad ipsum Apollinem transtulit.

Val. Max. IV. 1. (Moderatio.)

5.) Prima commendatio proficitur a modestia; tum pietate in parentes, tum in suos benevolentia.

Cic. Off. II. 13.

6.) Sed quis ego sum? aut quae in me est facultas? doctorum est ista consuetudo, eaque Graecorum, ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subito. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva.

Cic. Amic. 5.

7.) Philippum quidem, Macedonum regem, rebus gestis et gloria superatum a filio; facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus alter saepe turpissimus fuit; ut recte praecipere videantur, qui monent, ut, quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius.

Cic. off. I. 26. (Alexander.)

Modus.

1.) In omnibus rebus videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis.

Cic. Orat. cap. 22.

2.) — — — — Id ego arbitror:
— — Adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.

Terent. Adr. I. 1.

3.) Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui.
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.

Hor. epist. l. I. 6.

4.) Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Hor. Saty. l. I. 1.

Mollities.

1.) — — — Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Hor. Satyr. l. II. 2.

2.) Quid est autem nequius aut turpius effeminato viro?
Cic. tusc. Quaest. III. 17.

3.) Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus.
Juv. Sat. 9.

4.) — — — — Euganea quantumvis mollior agna.
Juv. Sat. 8.

Monarchia.

Scip. Animum adverti, nuper cum essemus in Formiano, te familiae valde interdicere, ut uni dicto audiens esset. Lael. Quippe villico. Sc. Quid domi? pluresne praesunt negotiis tuis. Lael. Imo vero unus. Sc. Quid? totam domum, num quis alter, praeter te, regit? Lael. Minime vero. Sc. Quin tu igitur concedis idem in republica, singulorum dominatus, si modo justi sint, esse optimos? Lael. Adducor igitur et propemodum adsentior.
Cic. rep. I. 39.

Monitum.

1.) Tu nunc exemplo disce timere meo.
Prop. III. 11.

2.) At tu qui potior nunc es mea fata timeto;
Versatur celeri fors levis orbe rotae.
Tibull. I. 5.

3.) Foenum habet in cornu; longe fuge.
Hor. satyr. l. I. 4.

4.) Firmiter hoc probiterque tuo sit pectore fixum!
Lucil.

5.) At te poena manet, nisi desinis esse superba.
Quam cupies votis hunc revocare diem!
Tibull. I. 8.

6.) Moneri velle ac posse, secunda virtus est.
Senec. benef. V. 25.

7.) Proximi sunt (scl. virtuti), qui admoniti in viam redeunt.
Senec. benef. V. 25.

Mora.

1.) Longa mora est nobis omnis, quae gaudia differt.
Ovid. Heroid. ep. 19.

2.) Quidquid voles, quale sit, scire, tempori trade; nihil diligenter in fluctu cernitur.
Sen. de Ira III. 12.

Morbus.

1.) Me miserum! quod non medicorum justa ministro,
Adstringoque manus, insideoque toro.
Ovid. Heroid. Ep. 20.

2.) Nec coelum, nec aquae faciunt, nec terra, nec aurae;
Hei mihi perpetuus corpora languor habet!
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quae nova laesit hiems,
Is mea membra tenet, nec viribus allevor ullis,
Et nunquam queruli causa doloris abest.
Ovid. Trist. III. 8.

3.) Nunc quam longe processerunt mala valetudinis? has usuras voluptatum pendimus, ultra modum fasque concupitarum. Innumerabiles esse morbos miraris? coquos numera.
Sen. epist. 95.

4.) Quam paene furvae regna Proserpinae
Et judicantem vidimus Aeacum!
Horat. l. II. 13.

5.) Quaedam ignorantibus aegris curanda sunt; causa multis moriendi fuit, morbum suum nosse.
Sen. brev. vitae 18.

6.) Prodest morbum suum nosse et vires ejus, antequam spatientur, opprimere.

Seneca de Ira. III. 10.

7.) Nihil agere sinit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. Quid? nihil agere te credis, si temperans aeger sis? ostendes morbum posse superari vel certe sustineri. Est, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus.

Senec. epist. 78.

Mores.

1.) Prima sit in vobis morum tutela, puellae:
Ingenio facies conciliante placet.

Ovid. Fragm. Medic.

2.) Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt?

Hor. Od. III. 24.

3.) Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.

Hor. Od. IV. 4.

4.) Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figurae:
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

Ovid. ars. am. I.

5.) Vitae instituta sic distant, ut Cretes et Aetoli latrocinari honestum putent, Lacedaemonii suos omnes agros esse dictitarint, quos spiculo possent attingere. Athenienses jurare etiam publice solebant, omnem suam esse terram, quae oleam frugesve ferret. Galli turpe esse ducunt, frumentum manu quaerere; itaque armati alienos agros demetunt. Nos vero justissimi homines, qui transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta nostraeque vineae. quod cum faciamus, prudenter facere dicimur, juste non dicimur; ut intelligatis discrepare ab aequitate sapientiam.

Cic. rep. III. 9.

Morigeratio.

1.) Micio. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea videtur; si vos tantopere istud vultis, fiat.

Ter. Adelph. V. 8. (Obsequium.)

2.) Syrus. Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio:
Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras.

Ter. Adelph. III. 3. (Obsequium. Vituperatio.)

Mors.

1.) O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur! quae, sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem aut lassitudinem senis terminat; sive juvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit; sive pueritiam ante duriores gradus revocat: omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his, ad quos venit ante, quam invocaretur. Haec servitutem invito domino remittit; haec captivorum catenas levat; haec e carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat; haec exsulibus, in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse, inter quos quisque jaceat; haec ubi res cummunes fortuna mala divisit, et aequo jure genitos alium aliis donavit, exaequat omnia; haec est quae nihil quidquam alieno fecit arbitrio; haec est, in qua nemo humilitatem suam sensit; haec est, quae nulli paruit. Haec est, in quam, quae efficit, ut nasci non sit supplicium; quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim: habeo quo adpellam.

Senec. lib. ad. Marc. c. 20. (Solatium.)

2.) — — — — Vita per auras
Concessit maesta ad Manis, corpusque reliquit.

Virg. Aen. lib. X. v. 819.

3.) Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.

Virg. Aen. lib. XII. v. 310.

4.) Fac tibi proponas, mortem non esse timendam:
Quae bona si non est, finis tamen illa malorum est.
Cat. Dist. III. 23.

5.) Tempora longa tibi noli promittere vitae:
Quocumque ingrederis, sequitur mors, corporis umbra.
Cat. Dist. IV. 37.

6.) Multum venturi ne cures tempora fati:
Non metuit mortem, qui scit contemnere vitam.
Cat. Dist. IV. 22.

7.) Si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum.
Cic. Sen. 23.

8.) Jam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam; multa enim, cum remissi, et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxaverint.
Cic. Sen. 22. (Somnus.)

9.) Sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo.
Cic. Sen. 23.

10.) Hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est: et id incertum, an eo ipso die.
Cic. Sen. 20.

11.) Omnino (ut mihi quidem videtur) studiorum omnium satietas, vitae facit satietatem. Sunt pueritiae certa studia; num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt et ineuntis adolescentiae; num ea jam constans requirit aetas, quae media dicitur? sunt etiam hujus aetatis; ne ea quidem quaeruntur a senectute; sunt extrema quaedam studia senectutis. Ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis: quod cum evenit, satietas vitae tempus maturum mortis affert.
Cic. Sen. 20. (Satietas. Studia.)

12.) Quo quidem (sc. in coelum) me proficiscentem (loquitur Cato senex) haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit. Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. Quid enim habet vita commodi? Quid non potius laboris? Sed habeat sane; habet certe tamen aut satietatem aut modum; non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti, saepe fecerunt; neque me vixisse poenitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo; commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi dedit.

Cic. Sen. 23. (Vita.)

13.) O praeclarum diem, cum ad illud divinum animorum consilium, coetumque proficiscar, (loquitur Cato senex) cumque ex hac turba, et colluvione discedam!

Cic. Sen. 23.

14.) Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur; non iis, quorum laus emori non potest: exsilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus; non iis, qui omnem orbem terrarum, unam urbem esse ducunt.

Cic. Parad. II.

15.) Omnia vero, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? Quod idem contingit adolescentibus, adversante, et repugnante natura.

Cic. Sen. 19. (Natura. Senes.)

16.) Adolescentes mori sic mihi videntur, ut cum aquae multitudine vis flammae opprimitur; senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur; et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura, et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: quae mihi quidem tam jucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

Cic. Sen. 19.

17.) Plato clamat: Sapientis animum totum in mortem prominere; hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem.

Sen. lib. ad Marc. c. 23. (Sapiens.)

18.) Nihil est tam fallax, quam vita humana; nihil tam insidiosum. Non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur insciis: Itaque, si felicissimum est non nasci, proximum puta brevitate vitae defunctos cito in integrum restitui.

Senec. lib. ad Marc. c. 22. (Solatium. Vita.)

19.) Omnes nostros, et quos superstites lege nascendi optamus, et quos praecedere justissimum ipsorum votum est, sic amare debemus, tamquam nihil nobis de perpetuitate, imo nihil de diuturnitate eorum promissum sit. Saepe admonendus est animus, amet ut recessura, imo tamquam recedentia; quidquid a fortuna datum est, tamquam extemplo abiturum possideat (scl. animus).

Senec. lib. ad Marc. c. 10. (Solatium.)

20.) Mors omnium dolorum et solutio est et finis; ultra quam mala nostra non exeunt.

Senec. lib. ad Marc. c. 19. (Solatium.)

21.) Si mortuum tibi filium doles, ejus temporis, quo natus est, crimen est; mors enim illi nascenti determinata est. In hanc legem datus, hoc fatum ab utero statim prosequebatur.

Senec. lib. ad Marc. c. 10. (Solatium.)

22.) Est, mihi crede, magna felicitas, in ipsa felicitate moriendi.

Senec. lib. ad Polyb. c. 29. (Solatium.)

23.) Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?

Tibull. III. 5.

24.) Quidquid ad summum pervenit, ad exitum properat.

Senec. lib. ad Marc. c. 23. (Perfectio.)

25.) Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocyus
Sors exitura, et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.

Horat. l. II. c. 3.

26.) Soles occidere et redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua, una dormienda.
Catullus 5.

27.) O genus attonitum gelidae formidine mortis!
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent animae.
Ovid. Metamorph. XV. 153.

28.) Omnia debemus vobis (parcis sc.) paullumque morati,
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Ovid. Metamorph. X. 32.

29.) Tendimus huc (sc. in orcum) omnes; haec est domus ultima; vosque (inferi sc.),
Humani generis longissima regna tenetis.
Ovid. Metamorph. X. 34.

30.) Quibus vita procul ab omni negotio agitur, quidni spatiosa sit? nihil ex illa delegatur, nihil alio atque alio spargitur; nihil inde fortunae traditur; nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil supervacuum est: tota (ut ita dicam) in reditu est. Quantulacumque itaque, abunde sufficit; et ideo, quandocumque ultimus dies venerit, non cunctabitur vir sapiens, ire ad mortem, certo gradu.
Sen. brev. vit. 11. (Otium. Sapiens. Vita.)

31.) Mors malum non est; quid quereris? sola jus aequum est generis humani.
Senec. epist. 123.

32.) Fata manent omnes, omnes exspectat avarus
Portitor; et turbae vix satis una ratis.
Ovid. ad Liviam.

33.) Nihil aeque tibi profuerit, ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis aevi, et hujus incerti. Quidquid facies, respice ad mortem.
Sen. epist. 114.

34.) Quid est stultius, quam mirari, id ullo die factum, quod omni potest fieri?
Senec. epist. 101.

35.) Professores aliarum artium vulgo multique sunt; quasdam vero ex his pueri admodum ita percepisse visi sunt, ut etiam praecipere possent: vivere tota vita discendum est; et quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori.

Sen. brev. vit. 7. (Vita.)

36.) Intrepidus horam illam decretoriam prospice; non est animo suprema, sed corpori.

Sen. epist. 102.

37.) Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est.

Senec. epist. 102.

38.) — — — Omnes una manet nox,
Et calcanda semel via lethi.

Horat. l. I. c. 28.

39.) Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Horat. l. I. c. 4.

40.) Oblivisci suorum, ac memoriam cum corporibus efferre, et effusissime flere, meminisse parcissime, inhumani animi est.

Senec. epist. 99.

41.) Quem putas periisse, praemissus est. Quid autem dementius, quam, cum idem tibi iter ementiendum sit, flere eum, qui antecessit.

Sen. epist. 99.

42.) Quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse.

Senec. epist. 99.

43.) Jactantur cuncta et in contrarium transeunt, jubente fortuna; et in tanta volutatione rerum humanarum, nil cuiquam, nisi mors, certum.

Senec. epist. 99.

44.) Omnia mors poscit. Lex est, non poena, perire
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

Sen. ad Helv. Matr. de consol. Ep. 7. (Interitus.)

45.) Linque metum leti; nam stultum est tempore in omni,
Dum mortem metuis, amittere gaudia vitae.

Cat. Dist. II. 3.

46.) Ne timeas illam, quae vitae est ultima finis;
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.
Cat. Dist. I. 22.

47.) Aequat omnes cinis; impares nascimur, pares morimur. Conditor ille juris humani, non natalibus nos nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Ubi vero ad finem mortalium ventum est: discede, inquit, ambitio; omnium, quae terram premunt, siremps lex esto.

Senec. epist. 91.

48.) Nemo eorum, qui mortem accusant, expertus est. Interim temeritas est, damnare, quod nescias.

Senec. epist. 91.

49.) Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est, a corpore, quum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, quum a re publica, quum a negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum nec quidquam aliud est, quam emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc, et, dum erimus in terris, erit illi caelesti vitae simile, et, quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam, quum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti, multos annos fuerunt. Quo quum venerimus, tum denique vivemus. Nam haec quidem vita mors est; quam lamentari possem, si liberet.

Cic. Tusc. Quaest. I. 31.

50.) — — Mors ultima linea rerum est.
Hor. epist. 1. I. 16.

51.) Debemur morti nos, nostraque.
Hor. Pis. 63.

52.) Longius aut propius, mors sua quemque manet.
Prop. II. 28.

53.) Terra parum fuerat; fatis adjecimus undas:
Naturae miseras auximus arte vias.
Prop. III. 7. (Navigatio.)

54.) Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Prop. III. 18.

55.) Exoranda canis tria sunt latrantia colla;
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Prop. III. 18.

56.) Sed tempus est (Socrates orationem suam, ante mortem ad judices habitam, claudit) jam hinc abire me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, dii immortales sciunt; hominem quidem scire arbitror neminem.

Cic. Tusc. Quaest. I. 41. (Socrates, Vita.)

57.) Habes somnum imaginem mortis; eamque quotidie induis; et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, quum in ejus simulacro videas esse nullum sensum?

Cic. Tusc. Quaest. I. 38. (Somnus.)

58.) Pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? naturaene? at ea quidem dedit usuram vitae, tamquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult? ea enim conditione acceperas.

Cic. Tusc. Quaest. I. 39.

59.) Veniet tempus (sc. mortis), et quidem celeriter, et, sive retractabis, sive properabis, volat enim aetas. Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur (ad Atticum loquitur), ut verear, ne homini nihil sit non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius, — si quidem vel dii ipsi vel cum diis futuri sumus.

Cic. Tusc. Quaest. I. 31.

60.) Non enim temere, nec fortuito sati et creati sumus; sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus.

Cic. Tusc. Quaest. I. 49.

61.) Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita, laeti, et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia et levari vinculis arbitremur, ut aut in aeternam et plane

in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus.

Cic. Tusc. Quaest. I. 49.

62.) Deorum immortalium judicia solent in scholis proferre de morte; nec vero ea fingere ipsi (sc. magistri; philosophi), sed Herodoto auctore, aliisque pluribus.

Primum Argiae sacerdotis Cleobis et Biton filii praedicantur. Nota fabula est. Quum enim illam ad solenne et statum sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta; tunc juvenes ii, quos modo nominavi, veste posita, corpora oleo perunxerunt: ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, quum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo: post epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inventos esse mortuos.

Simili praecatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur; qui quum Apollini Delphis templum exaedificavissent, venerantes deum, petierunt mercedem, non parvam quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post ejus diei diem tertium; qui ut illuxit, mortui sunt reperti. Judicavisse deum dicunt, et eum quidem deum, cui reliqui dii concessissent, ut praeter ceteros divinaret.

Cic. Tusc. Quaest. I. 47.

63.) Alia fortuito disponuntur, — mors omnes aeque vocat. Iratis diis propitiisque moriendum est. Animus ex ipsa desperatione sumatur. Ita est, omnes reservamur ad mortem. Eodem citius tardiusve veniendum est.

Sen. quaest. natur. II. 59.

64.) — — — Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula.

Juv. Satyr. 10. (Humana.)

65.) Nullum est majus solatium mortis, quam ipsa mortalitas; nullum autem omnium istorum, quae extrinsecus terrent, quam quod innumerabilia pericula in ipso sinu sunt.

Senec. quaest. natural. VI. 2. (Solatium.)

66.) Necesse est mori, ubicumque, quandoque.
Senec. quaest. natural. VI. 2.

67.) Ego tibi illud praecipio, quod totius vitae remedium est: contemne mortem. Nihil triste est, cum hujus metum effugimus.
Senec. epist. 78.

68.) Morieris, non quia aegrotas, sed quia vivis. Ista te res et sanatum manet; cum convalueris, non mortem, sed valetudinem effugies.
Senec. epist. 78.

69.) Tendimus huc omnes; metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.
Ovid. ad Liviam.

70.) Vita data est utenda, data est sine foenore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die.
Ovid. ad Liviam.

71.) Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis:
Illa rapit juvenes, sustinet illa senes.
Ovid. ad Liviam.

72.) Supprime jam lacrymas; non est revocabilis istis,
Quem semel umbrifera navita lintre tulit.
Ovid. ad Liviam.

73.) Sed rigidum jus est, et inevitabile mortis.
Stant rata non ulla fila renenda manu.
Ovid. ad Liviam.

74.) Forsitan includet crastina fata dies.
Prop. II. 15.

75.) Mors quid est? aut finis aut transitus. Nec desinere timeo; idem est enim, quod non coepisse; nec transire, quia nusquam tam anguste ero.
Sen. epist. 65.

76.) Hoc unum addo, nec infantes, nec pueros, nec mente lapsos timere mortem; et esse turpissimum, si eam securitatem nobis ratio non praestat, ad quam stultitia perducit.
Senec. epist. 36.

77.) Tam stultus est, qui mortem timet, quam qui senectutem. Nam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem.

Senec. epist. 30.

78.) Vivere noluit, qui mori non vult. Vita enim cum exceptione mortis data est; ad hanc itur: quam ideo timere dementis est, quia certa exspectantur, dubia metuuntur.

Sen. ep. 30.

79.) Erras, si in navigatione tantum existimas minimum esse, quo a morte vita diducitur: in omni loco aeque tenue intervallum est. Non ubique se mors tam prope ostendit; ubique tam prope est.

Senec. epist. 49. (Navigatio.)

80.) Mors necessitatem habet aequam et invictam. Quis queri potest, in ea conditione se esse, in qua nemo non est? prima enim pars aequitatis est aequalitas.

Sen. epist. 30.

81.) Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitae: et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit.

Sen. ep. 24.

82.) Qui mori didicit, servire dedidicit; supra omnem potentiam est, certe extra omnem.

Senec. epist. 26.

83.) Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi.

Sen. ep. 12.

84.) Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem aestimet? qui intelligat, se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus, magna pars ejus jam praeteriit; quidquid aetatis retro est, mors tenet.

Sen. ep. 1.

85.) Quid te ipse decipis, et hoc nunc primum, quod olim patiebaris, intelligis? Ita dico: ex quo natus es, duceris (sc. ad mortem). Haec et hujusmodi versanda in animo sunt, si volumus illam ultimam ho-

ram placidi exspectare, cujus metus omnes alias inquietas facit.

Senec. epist. 4.

Mors necessaria.

1.) Quis tam superbae impotentisque arrogantiae est, ut in hac naturae necessitate, omnia ad eundem finem revocantis, se unum ac suos seponi velit, ruinaeque etiam ipsi mundo imminenti, aliquam domum subtrahat?

Senec. lib. ad. Polyb. c. 21.

2.) Maximum solatium est, cogitare, id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri: et ideo mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur aequalitas.

Senec. lib. ad Polyb. c. 21. (Solatium.)

3.) Alium alio tempore fata comprehendent, neminem praeteribunt.

Senec. lib. ad Polyb. c. 30.

4.) Hoc adfigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Moriendum est. Quando? — Quid tua? Mors naturae lex est; mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis, hoc unum meditare, ne mortis nomen reformides; effice illam tibi cogitatione multa familiarem, ut, si ita tulerit, possis illi vel obviam exire.

Senec. Quaest. Natur. l. VI. c. 32.

5.) Huc (sc. ad inferos) omnis ista, quae in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba, dispari gradu vadit. Et quae veneraris et quae despicis, unus exaequabit cinis.

Senec. lib. ad Marc. c. 11.

6.) Adcusare fata possumus; mutare non possumus: stant dura et inexorabilia. Nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet; nihil umquam parcunt ulli, nec remittunt. Proinde parcamus lacrymis, nihil proficientibus; facilius enim, nos illi (sc. mortuo) dolor adjiciet, quam illum nobis reducet.

Senec. lib. ad Polyb. c. 23. (Solatium.)

7.) Sua quemque credulitas decipit; et in eis, quae diligit, voluntaria mortalitatis oblivio. Natura nulli se necessitatis suae gratiam facturam esse testata est. Quotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera; nos tamen aliud agimus, et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum.

Senec. lib. ad Polyb. c. 29.

Mors praematura.

1.) Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
Omnibus obscuras injicit illa manus.
Ovid. Amor. III. 9.

2.) Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitos nullos esse putare deos.
Ovid. Amor. III. 9.

3.) Occidit exemplum, juvenis, venerabile morum:
Maximus ille armis, maximus ille toga.
Ovid. ad Liviam.

4.) Nec dum illi Lachesis dictos numeraverat annos:
Sed juvat ante suum sic cecidisse diem.
Ovid. Heroid. Ep. Sabini 1.

5.) Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
Implentur numeris deteriora suis.
Ovid. Amor. II. 6.

6.) Praeter hoc, quod omne futurum incertum est, et ad deteriora certius, facilius ad superos iter est animis, cito ab humana conversatione dimissis. Minus enim faecis ponderisque traxerunt; antequam obducerentur, ut altius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant.

Senec. lib. ad Marc. c. 23. (Solatium.)

Mortalitas.

1.) — — — — Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniique bonis.
Ovid. Trist. III. 8.

2.) Jam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
Ovid. Metamorph. XII. 615.

Morum praecepta.

Ultro Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.
Juvenalis Satyr. 2. (Vituperatio.)

Mulier.

1.) — — Mulier saevissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet.
Juv. Satyr. 10.

2.) Magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres.
Cic. rep. IV. 6. (Verecundia.)

3.) Si qua erat famosa (sc. mulier apud veteres Romanos), ei cognati osculum non ferebant.
Cic. rep. IV. 6. (Romani.)

Munditia.

Adhibenda est munditia, non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam.
Cic. off. I. 36.

Mundus.

1.) Principio ipse mundus, deorum hominumque causa factus est: quaeque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt. Est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes, jure ac lege vivunt.
Cic. nat. deor. II. 62.

2.) Zeno ita concludit. Quod ratione utitur, melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil au-

tem mundo melius; ratione igitur mundus utitur. Hoc si placet, jam efficies, ut mundus optime librum legere videatur. Zenonis enim vestigiis hoc modo rationem poteris concludere. Quod litteratum est, id est melius, quam quod non est litteratum; nihil autem mundo melius; litteratus igitur est mundus. Isto modo etiam disertus, et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus.

Cic. nat. deor. III. 9. (Zeno.)

3.) Audiamus Platonem, quasi quendam deum philosophorum: cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum: esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab hisque principium motus esse ductum putat. Quapropter quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte movetur: animus sit necesse est. Ex quo efficitur, animantem esse mundum. Atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo esse intelligentiam, quod certe est mundus melior, quam ulla natura. Ut enim nulla pars corporis nostri est, quae non sit, minoris quam nosmet ipsi sumus: sic mundum universum pluris esse necesse est, quam partem aliquam universi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est; nam ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse, quam mundum omnem oporteret.

Cic. nat. deor. II. 12. (Plato.)

4.) Quod ratione utitur, (loquitur Zeno, Stoicus) id melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius; ratione igitur mundus utitur. Similiter effici potest, sapientem esse mundum; similiter beatum: similiter aeternum. Omnia enim haec meliora sunt, quam ea, quae sunt his carentia: nec mundo quidquam melius: ex quo efficitur, esse mundum deum. Idemque hoc modo: Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundi autem partes sentientes sunt; non igitur caret sensu mundus. Pergit idem, et urget angustius: Nihil, inquit, quod animi, quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem compotemque rationis. Mundus autem gene-

rat animantes, compotesque rationis; animus est igitur mundus composque rationis. Idemque similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo: Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur: num dubitares, quin inesset in oliva tibicinii quaedam scientia? Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeres, in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans sapiensque judicetur, cum ex se procreet animantes atque sapientes?

Cic. nat. deor. II. 8. (Deus. Stoici. Zeno.)

5.) Pusilla res mundus est, nisi in illo, quod quaerat omnis mundus habeat.

Senec. Quaest. Natur. l. VII. 31.

6.) Sunt, qui putent, sibi ipsis animum esse, et quidem providum ac dispensantem singula, et sua et aliena: hoc autem universum, in quo nos quoque sumus, expers esse consilii, et aut ferri temeritate quadam, aut natura, nesciente, quid faciat.

Senec. quaest. natural. l. I. praefatio. (Providentia.)

Munera.

1.) Munera etiam Deos vincunt.

Senec. quaest. natur. IV. praef.

2.) Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datis.

Ovid. ars amat. l. III.

3.) Saepe noxia concupiscimus, nec dispicere, quam perniciosa sint, licet; quia judicium interpellat affectus. Sed cum subsedit cupiditas, cum impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum auctores.

Senec. benef. II. 14.

4.) Exorari in perniciem rogantium, saeva bonitas est.

Senec. benef. II. 14.

Munus.

Cogetur nemo munus habere meum.

Ovid. ex Ponto. III. 6.

Musa.

Gratia musa tibi, nam tu solatia praebes,
Tu curae requies, tu medicina mali;
Tu dux, tu comes es. —

Ovid. Trist. IV. 10.

Musae.

1.) A Jove Musarum primordia.

Cic. Leg. II. 3.

2.) Non datur ad Musas currere lata via.

Prop. III. 1.

3.) Et meministis enim, Divae, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

Virg. Aen. Lib. VII. v. 645.

4.) Quantum haurire animus Musarum e fontibus gestit!

Lucil.

5.) Ite procul Musae, si nil prodestis amanti;
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo.

Tibull. II. 4.

6.) Pieridas, pueri, doctos et amate poëtas,
Aurea nec superent munera Pieridas.

Tibull. I. 4.

7.) Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.

Tibull. I. 4.

Musica.

c Plato musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari vicitatum status.

Cic. Leg. III. 14.

Mutabilitas.

1.) Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alba comas!

Tibull. I. 4.

2.) — — Nos ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

Hor. Od. IV. 7.

Mutatio.

1.) Nihil privatim, nihil publice stabile est; tam hominum, quam urbium fata volvuntur.

Senec. epist. 91.

2.) Quid mutationis periculo exceptum? non terra, non coelum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet.

Sen. ep. 71.

3.) Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aevi
Paullatim lenta consumitis omnia morte.
Ovid. Metamorph. XV. 234.

4.) — — — — Sic tempore verti
Cernimus, atque illas adsumere robora gentes,
Concidere has.
(Sequuntur exempla.) Ovid. Metamorph. XV. 420.

5.) Omnia mutantur, nihil interit. — —
Ovid. Metamorph. XV. 165.

6.) Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ovid. Metamorph. XV. 178.

7.) — — — Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus;
Obscura promens.

Horat. l. I. 34.

8.) Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?
Hor. Od. IV. 10.

9.) Demea. Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuat,
Quin res, aetas, usus semper aliquid adportet novi;

Aliquid moneat; ut illa, quae te scire credas, nescias;
Et quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Ter. Adelph. V. 4. (Vita.)

10.) Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hor. epist. l. II. 1.

11.) Haud proprium quidquam, puncto quod mobilis horae
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc forte suprema,
Permutat dominos, et cedit in altera jura.
Hor. epist. l. II. 2.

12.) Nulli non senectus sua est; in aequalibus ista spatiis eodem natura demittit. Quidquid est, non erit; nec peribit, sed resolvetur. Nobis solvi, perire est.
Senec. epist. 71.

13.) Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas!
Virg. Aen. III. 415.

14.) Certis eunt cuncta temporibus; nasci debent, crescere, extingui. Quaecumque vides supra nos currere, et haec, quibus inixi atque impositi sumus, veluti solidissimis, carpentur ac desinent.
Sen. epist. 71.

Mutatio sui.

1.) Non est levitas a cognito et damnato errore discedere, et ingenue fatendum est: Aliud putavi; deceptus sum. Haec vero superbae stultitiae perseverantia est: quod semel dixi, qualecumque est, fixum ratumque sit.
Senec. benef. IV. 38. (Obstinatio.)

2.) Non est turpe cum re mutare consilium.
Sen. benef. IV. 38.

3.) Destituere levitas non erit, si aliquid intervenit novi. Quid miraris, cum conditio pomittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia praesta, et idem sum.
Senec. benef. IV. 39.

Mythologia.

Quid aliud est vitia incendere, quam auctores illis inscribere deos, et dare morbo, exemplo divinitatis, excusatam licentiam?

Sen. brevit. vitae. 16. (Vitia.)

Natura.

1.) Mille (terra scilicet) miracula movet, faciemque mutat locis, et defert montes, subrigit plana, valles extuberat, novas in profundo insulas erigit. Haec ex quibus causis accidant, digna res est excuti. Quod, inquis, erit pretium operae? quo nullum majus est, nosse naturam.

Senec. Quaest. natural. VI. 4.

2.) Neque quidquam habet in se hujus materiae tractatio (studium nempe naturae) pulchrius, cum multa habeat futura usui, quam quod hominem magnificentia sua detinet; nec mercede, sed miraculo colitur.

Senec. Quaest. natural. VI. 4.

3.) Magni animi res fuit, rerum naturae latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus conspectu, introspicere, et in deorum secreta descendere.

Sen. quaest. nat. VI. 5.

4.) Naturae sequitur semina quisque suae.

Prop. III. 9.

5.) Natura duce utendum est; hanc ratio observat, hanc consulit. Idem est ergo beate vivere, et secundum naturam. Hoc, quid sit, jam aperiam: si corporis dotes, et apta naturae conservabimus diligenter et impavide, tamquam in diem data et fugacia; si non subierimus eorum servitutem, nec nos aliena possederint; si corpori grata et adventicia eo nobis loco fuerint, quo sunt in castris auxilia et armaturae leves. Serviant ista, non imperent: ita demum utilia sunt menti.

Sen. vita beata VIII. (Vita.)

6.) Non ad unam natura formam opus suum praestat, sed ipsa varietate se jactat.

Sen. quaest. natural. l. VII. c. 27. (Varietas.)

7.) Quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturae adsentior; ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari sapientia est.
Sen. vita beata. III. (Sapientia.)

8.) Si meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta snnt: nec ars efficit quidquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam cum adspexeris, scire adhibitam esse artem: cumque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur: aut cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes, et earum artifices, et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare?
Cic. nat. deor. II. 34. (Mundus.)

9.) Curiosum nobis natura ingenium dedit, et artis sibi ac pulchritudinis suae conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, et non uno genere formosa solitudine ostenderet. Ut scias, illam spectari voluisse, non tantum adspici; vide, quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit, et circumspectum omnium nobis dedit; nec erexit tantummodo hominem, sed etiam ad contemplationem factum, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, et vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput, et collo flexibili imposuit.
Senec. d. otio. c. 32. (Scrutatio.)

10.) Naturam expellas furca, tamen usque recurret.
Hor. epist. l. I. 10.

11.) Quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum diis, nisi naturae repugnare?
Cic. Sen. 2.

12.) Cum tot signis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, ac desideret: obsurdescimus tamen nescio quomodo; nec ea, quae ab ea monemur, audimus.
Cic. Amic. 24.

Navigatio.

1.) Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum?

Horat. l. I. c. 3.

2.) Dî, maris et terrae tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem et spirate secundi.

Virg. Aen. III. 528.

3.) I nunc et ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima taeda!

Juvenal. Satyr. 12.

4.) Tune audire potes vesani murmura ponti?
Fortis et in dura nave jacere potes?

Prop. I, 8.

5.) Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis:
Nil mihi cum pelago; me mea terra cepit.

Ovid. Amor. III. 2.

6.) Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter!

Prop. I. 17.

7.) Magnos vero usus adfert (scilicet lignum) ad navigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiae: quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris, atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam; plurimisque maritimis rebus fruimur, atque utimur.

Cic. nat. deor. II. 60.

8.) — — — Fugit illa (navis) per undas
Ocior et jaculo et ventos aequante sagitta.

Virg. Aen. Lib. X. v. 247.

9.) Ancora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?

Prop. III. 7.

10.) Ventorum est, quodcumque paras; haud ulla carina
Consenuit; fallit portus et ipse fidem.

Prop. III. 7.

11.) Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Ut sibi succedat, vix semel esse potest.
Prop. III. 7.

Nebulo.

Laches. — — — De te quidem
Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
Terent. Hecyr. II. 1.

Necessaria.

— — — Mensura tamen, quae
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames et frigora poscunt.
Juvenal. Satyr. 14.

Necessarium.

Mec multo opus est, nec diu.
Senec. quaest. natural. III. praef.

Necessitas.

1.) Da operam, ne quid umquam invitus facias; quidquid necesse est, futurum est. Repugnanti, non volenti, necessitas est; in volente necessitas non est.
Senec. epist. 61.

2.) Sic animum componamus, ut, quidquid res exiget, id velimus; et in primis finem nostri sine tristitia cogitemus.
Senec. epist. 61. (Mors.)

Neglectio amicorum.

Praetermittendae autem defensionis, deserendique officii plures solent esse causae. Nam, aut inimicitias, aut laborem, aut sumtus suscipere nolunt; aut etiam negligentia, pigritia, inertia; aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur.
Cic. off. I. 9.

Negligentia.

— — — — Omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.
Virg. Georg. Lib. I. v. 199.

Negotia.

1.) Audies plerosque dicentes: »a quinquagesimo in otium secedam; sexagesimus annus ab officiis me demittet.« Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitae tibi reservare, et id solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? quam serum est, tunc vivere incipere, cum desinendum est! Quae tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum et sexagesimum annum diferre sana consilia, et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt!

Sen. brev. vit. 4. (Vita.)

2.) Alium insatiabilis tenet avaritia; alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas; alius vino madet; alius inertia torpet; alium defatigat ex alienis judiciis suspensa semper ambitio; alium mercandi praeceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, spe lucri ducit. Quosdam torquet cupido militiae, numquam non, aut alienis periculis intentos, aut suis anxios; sunt, quos ingratus superiorum cultus voluntaria servitute consumat. Multos aut adfectatio alienae fortunae, aut suae odium detinuit; plerosque nihil certum sequentes, vaga et inconstans, et sibi displicens levitas per nova consilia jactavit. Quibusdam nihil, quo cursum dirigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprehendunt; adeo, ut, quod apud maximum poëtarum, more oraculi dictum est, verum esse non dubitem: »Exigua pars est vitae, quam nos vivimus;« caeterum quidem omne spatium, non vita, sed tempus est.

Sen. de brev. vit. 2. (Tempus. Vita.)

3.) Res age; quae prosunt: rursus vitare memento,
In queis error inest, nec spes est certa laboris.
Cat. Dist. IV. 7.

4.) Libet ex seniorum turba comprehendere aliquem. Pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus: centesimus tibi, vel supra premitur annus; agedum ad computationem aetatem tuam revoca. Dic, quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum reus, quantum cliens abstulerit; quantum lis uxoria, quantum servorum coërcitio, quantum officiosa per urbem discursatio. Adjice morbos, quos manu fecimus; adjice, quod et sine usu jacuit: — videbis, te pauciores annos habere, quam numeras. Repete memoria tecum, quando certus consilii fueris; quotusquisque dies, ut destinaveras, recesserit; qui tibi usus tui fuerit; quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo aevo facti operis sit; quam multi vitam tuam diripuerint, te non sentiente, quid perderes; quantum vanus dolor, stulta laetitia, avida cupiditas, blanda conversatio obstulerit, quamque exiguum tibi de tuo relictum sit: — intelliges, te immaturum mori.

Sen. de brev. vit. c. 3. (Tempus. Vita.)

5.) Omnes, ab infimis usque ad summos, pererra: hic advocat, hic adest; ille periclitatur, ille defendit; ille judicat. Nemo se sibi vindicat: alius in alium consumimur. Interroga de istis, quorum nomina ediscuntur: his illos dignosci videbis notis: hic illius cultor est, ille illius; suus nemo.

Sen. de brev. vit. 2. (Vita.)

6.) Tamquam semper victuri vivitis; numquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non observatis, quantum temporis transierit. Velut ex pleno et abundanti perditis; cum interim fortasse ille ipse, alicui vel homini vel rei donatus, ultimus dies sit. Omnia, tamquam mortales, timetis; omnia, tamquam immortales, concupiscitis.

Senec. de brevit. vit. 4. (Tempus. Vita.)

7.) Quam est hic fortunatus putandus, qui ut Africanum avum meum (Scipio loquitur) scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam se plus agere, quam nihil cum ageret; numquam minus solum esse, quam cum solus esset.

Cic. de republ. I, 17. (Otium.)

Negotium.

— — Operum hoc, mihi crede, tuorum est.
Hor. Satyr. l. I. 7.

Nequam.

1.) Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, et Isaeo torrentior.
Juvenal. Satyr. 4.

2.) Monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, aeger, solaque libidine fortis.
Juvenal. Satyr. 4.

Nequitia.

1.) Nequitiae fructus concupiscitur, ipso vero odio pudorique est; nec quisquam tantum a naturali lege descivit, et hominem exuit, ut animi causa malus sit.
Senec. benef. IV. 17.

2.) Nominem reperies, qui non nequitiae praemiis, sine nequitia, frui malit.
Senec. benef. IV. 17.

3.) Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit; nec furtiva jam scelera sunt: praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequitia est, et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.
Senec. de ira l. II. 8.

4.) Nequitia ~~occupatus,~~ petulantia, prodigitasque.
Lucil.

5.) Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur; hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et in omne nefas labi. At ista stant loco eodem, stabuntque, paululum dumtaxat ultro aut citro mota, ut fluctus, quos aestus accedens longius extulit, recedens interiore litorum vestigio tenuit.
Senec. benef. I. 10.

6.) Cito nequitia subrepit; virtus difficilis inventu est; rectoremque ducemque desiderat.
Senec. quaest. natural. III. 30. (Virtus.)

7.) Ne singulis irascaris, universis ignoscendum: generi humano venia tribuenda est.
Senec. de ira l. II. 9.

8.) Miraris, si nondum sapientia omne opus suum implevit? Nondum tota se nequitia protulit; adhuc nascitur, et huic omnes operam damus; huic oculi nostri, huic manus serviunt.
Senec. quaest. natural. l. VII. 32. (Scire mancum.)

9.) Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis.
Juvenal. Satyr. 3.

10.) — Quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae, posita sed luditur arca.
Juvenal. Satyr. 1.

11.) Hegio. — — Ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum?
Ter. Adelph. III. 4.

12.) Sive simulatio, et dissimulatio, dolus malus est; perpaucae res sunt, in quibus dolus iste malus non versetur: sive vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini, certe istum virum bonum non facile reperiemus.
Cic. off. III. 15. (Simulatio.)

13.) Minium ex nequitia levissimumque ad alios redundat; quod pessimum ex illa est, et, ut ita dicam, spississimum, domi remanet et premit habentem.
Senec. epist. 81.

Nimis augere.

Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Juvenal. Satyr. 4.

Nobilis.

Si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis, et nominis, aut a patre acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse) aut aliquo casu, atque fortuna: in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur: et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse, nec factum. Quorum autem prima aetas propter humilitatem, et obscuritatem in hominum ignoratione versatur: hi simul ac juvenes esse coeperunt, magna spectare et ad ea rectis studiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi aetati, verum etiam favetur.

Cic. off. II. 13.

Nobilitas.

1.) — — — Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et praeclaro nomine tantum
Insignis?

Juv. Satyr. 8.

2.) — — Tumes alto Drusorum stemmate, tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses.

Juv. Satyr. 8.

3.) Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides?

Juv. Satyr. 8.

4.) Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Juv. Satyr. 8.

5.) Optimates quidem quis ferat; qui non populi concessu, sed suis comitiis hoc sibi nomen adrogaverunt? qui enim judicatur iste optimus, doctrina? artibus? studiis?!

Cic. rep. I. 33. (Optimates.)

6.) Quare potius persona rem minuat, quam personam res ipsa cohonestet? Eadem omnibus principia, eademque origo. Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium et artibus bonis aptius.

Senec. benef. III. 28. (Origo.)

7.) Et genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.
Ovid. Metamorph. XIII. 140.

8.) Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit; nec quod ante nos fuit, nostrum est.
Senec. epist. 44.

9.) Divesne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper, et infima
De gente, sub dio moreris:
Victima nil miserantis Orci.
Horat. l. II. 3.

10.) — — — — At Tu
Nil, nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermae;
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Juv. Satyr. 8.

11.) Ergo, ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere praeter honores;
Quas illis damus, et dedimus, quibus omnia debes.
Juv. Satyr. 8.

12.) Quod si praecipitem rapit ambitio atque libido,
Incipit ipsorum contra testare parentum
Nobilitas, claramque facem praeferre pudendis.
Juv. Satyr. 8.

13.) Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
Juv. Satyr. 8.

14.) Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitae similem producat Achilles.
Juv. Satyr. 8.

15.) Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut — illud, quod dicere nolo.
Juv. Satyr. 8.

16.) Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi
Justitiaeque tenax, factis dictisque mereris;
Agnosco procerem. Juv. Satyr. 8.

17.) Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna.
Juv. Satyr. 8.

18.) — — Miserum est aliorum incumbere famae,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Juv. Satyr. 8.

19.) At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Virg. Georg. l. IV. v. 208.

Novum.

Certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime.
Cic. Academ. Quest. I. 4. (Recens.)

Nox.

1.) Nocte latent mendae, vitioque ignoscitur omni;
Horaque formosum quemlibet illa facit.
Ovid. ars. am. I.

2.) Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
Virg. Aen. l. VIII. 369.

3.) Nox erat; et terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.
Virg. Aen. VIII. 27.

4.) Jamque dies coelo concesserat almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum.
Virg. Aen. X. 215.

5.) Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora; cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, victaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
Virg. Aen. IV. 521.

Nugae.

Aedificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Hor. Satyr. II. 3.

Nuntius.

1.) Ad fuit ille quidem; sed nec solemnia verba
Nec laetos vultus, nec felix attulit omen.
Ovid. Metamorph. X. 4.

2.) Haec summa est: hic nostri nuntius esto.
Virg. Aen. IV. 237.

Nuptiae.

Mense malas Majo nubere vulgus ait.
Ovid. fast. V.

Objurgatio.

Etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio, significandum est, ipsius causa, qui objurgetur, susceptum esse.
Cic. off. I. 38. (Vituperatio.)

Oblectamenta virorum.

Vos modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in varia tempora longa mora.
Aut fora vos retinent, aut unctae dona palaestrae;
Flectitis aut freno colla sequacis equi.
Nunc volucrem loqueo, nunc piscem ducitis hamo;
Diluitur posito serior hora mero.
Ovid. Heroid. Ep. 19.

Obligatio.

Non profuisse te mihi oportet, ut tibi obliger; sed ex destinato profuisse.
Senec. benef. VI. 10.

Oblivio.

Cunctane in aequoreos abierunt irrita ventos?
Cunctane Lethaeis mersa feruntur aquis?
Ovid. Trist. I. 7.

Obscoena.

Nos autem naturam sequamur, et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque adprobatione, fugiamus.

Cic. off. 1. 35. (Pudicitia.)

Obsequium.

1.) Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus (loquitur Laelius) dicit:
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae) sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens, praecipitem amicum ferri sinit.
Maxima autem culpa in eo est, qui et veritatem aspernatur, et in fraudem obsequio impellitur.
Cic. Amic. 24. (Odium. Veritas.)

2.) Sit tua cura sequi; me duce tutus eris.
Ovid. ars am. II.

3.) Cede repugnanti; cedendo victor abibis.
Ovid. ars am. II.

4.) — — Obsequium amicos, veritas odium parit.
Terent. Andr. I. 1. (Veritas.)

5.) Vincere quum possis, interdum cede sodali;
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.
Cat. Dist. I. 34.

6.) Cui scieris non esse parem te, tempore cede:
Victorem a victo superari saepe videmus.
Cat. Dist. II. 10.

Occasio.

1.) Quam primum rapienda tibi est occasio prima;
Ne rursus quaeras, quae jam neglexeris ante.
Cat. Dist. IV. 45.

2.) Prospere gerendae rei facultatem omittere, maxima dementia est.

Val. Max. VII. 2.

3.) Quare si sapis, oblatas ne desere messes,
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.

Prop. II. 16.

4.) Non semper sacras reddunt oracula sortes,
Ipsaque non omni tempore fana patent.

Ovid. ex Ponto III. 1.

5.) Rem tibi quam nosces aptam dimittere noli:
Fronte capillata est, post est occasio calva.

Cat. Dist. II. 26.

Occupatio.

6.) Omnia istorum tempora excute (de officiosis loquitur), adspice, quamdiu computent, quamdiu insidientur, quamdiu timeant, quamdiu colant, quamdiu colantur; quantum vadimonia sua, atque aliena occupent, quantum convivia, quae jam ipsa officia sunt: videbis, quemadmodum illos respirare non sinant vel mala sua vel bona.

Seneca. brev. vit. 6.

7.) Nihil minus est hominis occupati, quam vivere; nullius rei difficilior est scientia.

Senec. brev. vit. 6. (Vita.)

8.) Quodsi posset, quemadmodum praeteritorum annorum cujusque numerus proponi, sic futurorum; quo modo illi, qui paucos viderent superesse, trepidarent; quo modo illis parcerent? Atqui facile est, quamvis exiguum, dispensare, quod certum est. Id debet servari diligentius, quod nescias, quando deficiat.

Sen. brev. vit. 8. (Tempus. Vita.)

9.) Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit, qua coepit, aetas, nec cursum suum aut revocabit aut supprimet, nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suae: tacita labetur. Non illa se regis imperio, non favore populi longius proferet; sicut jussa est a primo die, curret; nusquam divertet, nusquam remorabitur. Qui fiet? tu occupatus es; vita festinat: mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est.

Senec. brev. vit. 8. (Tempus. Vita.)

10.) Quemadmodum, quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, pervenisse se ante sciunt, quam adpropinquasse: ita hoc iter vitae assiduum et citatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis non adparet, nisi in fine.

Sen. brev. vit. 9. (Vita.)

11.) In tria tempora vita dividitur: quod est, quod fuit, quod futurum est. Ex his, quod agimus, breve est; quod acturi sumus, dubium; quod egimus, certum. Hoc est enim, in quod fortuna jus perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Hoc amittunt occupati; nec enim illis vacat praeterita respicere; et si vacet, injucunda est poenitenda rei recordatio. Inviti namque ad tempora male exacta animum revocant, nec audent ea retentare, quorum vitia, etiam quae aliquo praesentis voluptatis lenocinio subripiebantur, retractando patescunt.

Senec. brev. vit. 10. (Vita.)

12.) Foedus ille! quem in judicio pro ignotissimis litigatoribus grandem natu et imperitae coronae adsentationes captantem spiritus liquit. Turpis ille! qui vivendo lassus citius, quam laborando inter ipsa officia callapsus est.

Sen. brev. vit. 20.

13.) Omnium quidem occupatorum conditio misera est; eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant: ad alienum dormiunt somnum, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt adpetitum; amare et odisse, res omnium liberrimas, jubentur. Hi si velint scire, quam brevis ipsorum vita sit, cogitent, ex quota parte sua sit.

Senec. brevit. vitae 19.

14.) Dum rapiuntur et rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuo sunt miseri, vita est sine fructu, sine voluptate, sine ullo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intendit.

Sen. brevit. vitae. 20.

15.) Quorundam non otiosa vita est dicenda, sed desidiosa occupatio.

Sen. brev. vit. 11. (Vita.)

11. 16.) Novae occupationes veteribus substituuntur; spes spem excitat, ambitionem ambitio; miseriarum non finis quaeritur, sed materia mutatur. Nostri nos honores torserunt? plus temporis alieni auferunt. Candidati laborare desivimus? suffragatores incipimus. Adcusandi deposuimus molestiam? judicandi nanciscimur. Judex desiit esse? quaesitor est. Alienorum bonorum mercenaria procuratione consenuit? suis opibus detinetur. Numquam deerunt, vel felices vel miserae sollicitudinis causae; per occupationes intercludetur otium; numquam agetur: semper optabitur.

Senec. brevit. vit. 17. (Vota.)

12. 17.) Satis jam per laboriosa et inquieta documenta exhibita virtus est: experire, quid in otio faciat. Major pars aetatis, certe melior rei publicae data sit; aliquid temporis tui sume etiam tibi. Nec te ad segnem aut inertem quietem voco; non ut somno, et caris turbae voluptatibus, quidquid est in te indolis vivae, demergas. Non est istud quiescere; invenies majora omnibus adhuc tractatis operibus, quae repositus et securus agites.

Senec. brevit. vit. 18. (Otium. Vita.)

Oculi.

1.) Imago animi vultus est; indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere.

Cic. de oratore III. 59. (Vultus.)

2.) Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis.

Cic. de oratore III. 59. (Orator.)

3.) Oculos natura nobis, ut equo et leoni jubas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit.

Cic. de oratore III. 59.

Oeconomia.

— — — — Superat pars altera curae,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor: hinc laudem fortes sperate coloni.
Virg. Georg. III. 286.

Officia.

1.) Cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera, et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis a quibus constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur.

Cic. Off. III. 2.

2.) Cum multa sint in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata, latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt.

Cic. off. I. 2. (Philosophia.)

3.) Nulla vitae pars neque publicis neque privatis; neque forensibus, neque domesticis in rebus; neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest, in eoque colendo sita vitae est honestas omnis et in negligendo turpitudo.

Cic. off. I. 2.

4.) Haec quidem quaestio (sc. de officiis) communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullius officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere.

Cic. off. I. 2. (Philosophus.)

Officium.

1.) Hos in veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie et Democritum caeterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem et Theophrastum volent habere quam familiarissimos. Nemo horum non vocabit, nemo non venientem ad se beatiorem amantioremque sui dimittet, nemo quemquam vacuis a se manibus abire patietur. Nocte conveniri, et interdiu ab omnibns mortalibus possunt. Horum te mori nemo coget, omnes docebunt; horum

nemo annos tuos conteret: suos tibi contribuet; nullius ex his sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis, nullius sumtuosa observatio.

Senec. brev. vit. 14. (Philosophi. Studia.)

2.) Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem; pepigeritque, ne illo medicamento umquam postea uteretur; si eo medicamento sanus factus fuerit: et annis aliquot post inciderit in eundem morbum: nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit. Cum sit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriae, vitae et saluti consulendum.

Cic. off. III. 24. (Religiositas.)

3.) Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quaestionum. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit injurium. Quid dominus navis, eripietne suum? minime: non plus, quam si navigantem in alto ejicere de navi velit, quia sua sit; quoad enim perventum sit eo, quo sumta navis est, non domini est navis, sed navigantium. Quid, si una tabula sit, duo naufragi, aeque sapientes, sibine uter rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero: sed ei, cujus magis intersit vel sua vel reipublicae causa vivere. Quid, si haec paria in utroque? nullum erit certamen, sed quasi sorte, aut micando victus, alteri cedat alter.

Cic. off. III. 23.

4.) Quid, si tyrannidem occupare; si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat; si nihil proficiet, accusabit: minabitur etiam: ad extremum si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris.

Cic. off. III. 23.

5.) Quaerit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat; cui potius assentior.

Cic. off. III. 23. (Religiositas.)

6.) Si quis aurum vendens, orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium?

Cic. off. III. 23. (Religiositas.)

7.) Hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate.

Cic. off. I. 45.

8.) In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum; ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit: ut prima diis immortalibus; secunda, patriae; tertia, parentibus; deinceps gradatim reliquis debeantur.

Cic. off. I. 45.

9.) Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium: quae meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.

Cic. Amic. 20.

10.) Quaeris, quid felici praestare possis? Effice, ne felicitati suae credat; ut sciat, illam multis et fidis manibus continendam. Parum in illum contuleris, si illi semel stultam fiduciam permansurae semper potentiae excusseris, docuerisque, mobilia esse, quae dedit casus, et majore cursu fugere, quam veniunt; nec his portionibus, quibus ad summa perventum est, retro iri? saepe inter fortunam maximam et ultimam nihil interesse.

Senec. benef. VI. 33. (Potestas.)

11.) Unusquisque sua noverit ire via.

Prop. II. 25.

12.) Sed incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse justo homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: ut reddere depositum, promissum facere; quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare sit justum.

Cic. off. I. 10. (Circumstantiae.)

13.) Proposui in principio, fundamenta justitiae: primum, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati serviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium; et non semper est idem. Potest enim accidere promissum aliquod, et conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit.

Cic. off. I. 10. (Circumstantiae.)

14.) Nec promissa servanda sunt ea, quae sint iis, quibus promiseris, inutilia; nec, si plus tibi noceant, quam illi prosint, cui promiseris; contra officium est, majus damnum anteponi minori: ut si constitueris te cuipiam advocatum in rem praesentem esse venturum, atque interim graviter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium, non facere, quod dixeris: magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur.

Cic. off. I. 10. (Circumstantiae. Promissa.)

15.) Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus. Atque haud scio, an satis sit, eum, qui lacessierit, injuriae suae poenitere; ut et ipse ne quid tale posthac, et caeteri sint ad injuriam tardiores.

Cic. off. I. 11. (Poena. Poenitentia.)

16.) Facile, quod cujusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, judicare.

Cic. off. I. 9.

Omen.

Di, precor, a nobis omen removete sinistrum!
Ovid. Heroid. Ep. 13.

Opes.

1.) Quidquid est hoc, quod circa nos ex adventitio fulget: liberi, honores, opes, ampla atria, et exclusorum clientium turba referta vestibula; clara, nobilis aut formosa conjux, ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia: alieni commodatique adparatus sunt. Nihil horum dono datur; collaticiis et ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. Alia ex his primo die; alia secundo referentur; pauca usque ad finem perseverabunt. Ita non est, quod nos suspiciamus, tamquam inter nostra positi: mutuo accepimus. Usus fructus noster est, cujus tempus ille arbiter muneris sui temperat; nos oportet in promptu habere, quae in incertum diem data sunt, et adpellatos sine querela

reddere. Pessimi est debitoris creditori facere convicium.

Senec. lib. ad Marc. c. 10. (Solatium.)

2.) Spernendae opes: auctoramenta sunt servitutum. Aurum et argentum, et quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur; non potest gratis constare libertas. Hanc si magno aestimas, omnia parvo aestimanda sunt.

Senec. epist. 104. (Libertas.)

3.) Magna penus parvo spatio consumta peribit.
Lucil. (Luxuria.)

4.) Non opibus mentes hominum curaeque levantur.
Tibull. III. 3.

5.) Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;
Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Prop. III. 5.

6.) — Bona pars hominum, decepta cupidine falso:
Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.
Hor. satyr. I. 1.

Opprobrium.

— — O lutum, lupanar
Aut si perditius potest quid esse!
Catull. 42. (Objurgatio. Vituperatio.)

Optimates.

1.) Quodsi liber populus deliget, quibus se committat, deligetque, modo salvus esse vult, optimum quemque; certe in optimorum consiliis posita est civitatum salus: praesertim cum hoc natura tulerit, non solum, ut summi virtute et animo praeessent imbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis velint. Verum hunc optimum statum pravis hominum opinionibus eversum esse dicunt, qui ignoratione virtutis, quae cum in paucis est, tum in paucis judicatur et cernitur, opulentos homines et copiosos, tum genere nobili natos, esse optimos putant. Hoc errore vulgi cum rempublicam opes paucorum, non virtutes tenere coeperunt, nomen illi

principes optimatium mordicus tenent, re autem carent eo nomine.

Cic. rep. I. 34.

2.) Divitiae, nomen, opes, vacuae consilio et vivendi atque aliis imperandi modo, dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae; nec deformior species est civitatis, quam illa, in qua opulentissimi optimi putantur.

Cic. rep. I. 34.

Optimum.

~~Opimum~~ Optimum quidem unum est; et proximum, quod ei simillimum. Ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum est, id esse deterrimum.

Cic. de optimo genere oratorum. I.

Oraculum.

1.) Quis est enim, qui totum diem jaculans non aliquando collimet?

Cic. divin. II. 59. (Casus.)

2.) Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC fuit, jam tum φιλιππιζειν Pythiam dicebat, i. e. quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. Ex quo licet existimare, in aliis quoque oraculis delphicis aliquid non sinceri fuisse.

Cic. div. II. 57.

Oratio.

1.) Praecepta de oratione tradit in epistola 40. Seneca.

2.) Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione.

Cic. Parad. I.

3.) Oratio vultus animi est; si circumtorsa est, et fucata et manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, et habere aliquid fracti. Non est ornamentum virile concinnitas.

Senec. epist. 115.

Orator.

1.) — — — Tanta dulcedine captos,
Afficit ille animos, tanta libidine vulgi
Auditur.

Juv. Satyr. 7.

2.) Tria videnda sunt oratori: quid dicat, et quo quidque loco, et quomodo?

Cic. Orat. cap. 14.

3.) Eloquens vero, qui non adprobationes solum, sed admirationes, clamores, plausus, si licet, movere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit, quidquam aut spectari, aut audiri libentius.

Cic. Orat. 71.

4. Jus civile teneat (sermo de oratore); quo egent causae forenses quotidie. Quid est enim turpius, quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, quum sis legum et civilis juris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis; sed et imperiosorum populorum et regum illustrium.

Cic. Orat. cap. 34.

5.) Nec vero dialecticis modo sit instructus (sermo de oratore), sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de more, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi, et erroribus, quae saepe cadunt in causas, sed jejunius aguntur; nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest.

Cic. Orat. cap. 33.

6.) Rerum copia verborum copiam gignit: et si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex rei natura quidam splendor in verbis. Sit modo is, qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adjuvetur et in universorum generum infinitis disceptationibus excercitatus; ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit: nae ille haud sane, quemadmodum verba struat et illumi-

net, a magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce, natura ipsa, si modo est excitata, labetur.

Cic. de oratore III. 31. (Verba.)

7.) Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere, in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcesilae modo, et Carneadis, contra omne, quod propositum sit, disserat: quique ad eam rationem adjungat rhetoricum usum, moremque (exercitationemque) dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vahemens et gravis, nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest.

Cic. de oratore III. 21.

8.) Hoc constet: neque infantiam ejus, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam: quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est.

Cic. de oratore III. 35.

9.) Non magna laus est, vitare vitium: quamquam id est magnum (loquitur de usu verborum).

Cic. de oratore III. 37. (Vitium.)

10.) Latrant jam quidam oratores, non loquuntur.

Cic. Brutus 15.

11.) Verum enim vero oratori, quae sunt in hominum vita, quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subjecta materies, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent.

Cic. de oratore III. 14.

12.) Necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari.

Ciceronis Brutus 49.

13.) Quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! (de Triario oratore sermo est).

Ciceronis Brutus 76.

14.) Hoc verissime judicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia.

Ciceronis Brutus 59. (Verba.)

15.) Volo hoc oratori contingat, ut, quum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subseliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, judex erectus: quum surgit is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebrae adsensiones, multae admirationes; risus, quum velit; quum velit fletus; ut, qui haec procul videat, etiam si, quid agatur, nesciat, at placere tamen, et in scena esse Roscium intelligat.

Ciceronis Brutus 84.

16.) Qualis sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi.

Ciceronis Brutus. 49.

17.) Tria sunt enim, ut quidem ego sentio, quae sint efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectur, ut moveatur vehementius.

Ciceronis Brutus 49.

18.) Numquam de bono oratore, aut non bono, doctis hominibus cum populo dissensio fuit.

Ciceronis Brutus. 49.

19.) Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri.

Ciceronis Brutus. 50.

20.) Orator, metuo, ne languescat senectute; est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam, et virium.

Cic. Sen. 9. (Senectus.)

21.) Illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari potest. Ut enim ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet: sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator.

Ciceronis Brutus. 54.

22.) Jam vero illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica quoque jura, quae sunt

propria civitatis atque imperii, tum monumento rerum gestarum, et vetustatis exempla, oratori nota esse debere.

Cic. de oratore I. 46.

Ordo.

Cujus rei ordo est, etiam praedictio est.

Senec. Quaest. natural. II. 32.

Origo.

Nulla res, quae non ejus, a quo nascitur, notas reddat.

Senec. quaest. natur. III. 21.

Ornatus.

1.) Sint procul a nobis juvenes, ut femina, comti;
Fine coli modico forma virilis amat.

Ovid. Heroid. Ep. 4.

2.) Forma viros neglecta decet. Minoida Theseus
Abstulit, a nulla tempora comtus acu.

Ovid. ars. am. I.

3.) Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas adposuisse toris.

Ovid. Heroid. Ep. 9.

4.) Uni si qua placet, culta puella sat est. (Puella)

Prop. I. 2.

5.) Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor
Expilor, pingor.

Lucil.

6.) Illi sub terris fiant mala multa puellae,
Quae mentita suas vertit inepta comas.

Prop. II. 18. (Puella.)

7.) Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae.
Nudus Amor formam non amat artificem.

Prop. I. 2. (Puella.)

8.) Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas; venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem, verilem.

Ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur.

Cic. off. I. 36.

9.) Ratio est habenda vestitus; in quo (sicut in plerisque rebus) mediocritas optima est.

Cic. off. I. 36. (Mediocritas. Vestitus.)

Ostentum.

Conjector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui cum ad eum retulisset, quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset: Tum esset, inquit, ostentum, si anguem vectis circumplicavisset. Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portentum, quod fieri posset.

Cic. div. II. 28.

Otium.

1.) Potentissimis et in altum sublatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis praeferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere; nam, ut nihil extra lacessat, aut quatiat: in se ipsa fortuna ruit.

Sen. brev. vit. 4. (Potentia. Vacatio.)

2.) Divus Augustus, cui Dii plura, quam ulli, praestiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem a republica petere. Omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus est, ut sibi speraret otium.

Sen. brev. vit. 5. (Vacatio.)

3.) Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat: difficilius homines a se otium impetrant, quam a lege.

Sen. brev. vit. 20.

4.) Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiae vacant: soli vivunt; nec enim suam tantum aetatem bene tuentur, omne aevum suo adjiciunt. Quidquid annorum ante illos actum est, illis adquisitum est.

Sen. brev. vit. 14. (Sapientia. Vacatio.)

5.) Subsidium bellissimum existimo esse senectuti otium.

Cic. de oratore I. 60. (Senectus.)

6.) Sic se res habet, ut, quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa, fingere et construere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare, sic nostri animi, forensibus negotiis atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore.

Cic. de orat. II. 6. (Recreatio. Requies. Vacatio.)

7.) Otium et reges prius et beatas
Perdidit urbes. Catull. 51.

8.) Quae numquam vacuo solita est cessare novali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Ovid. ex Ponto. I. 4.

9.) Miles depositis annosus secubat armis,
Grandaevique negant ducere aratra boves;
Putris et in vacua requiescit navis arena.
Et vetus in templo bellica parma vacat.
Prop. II. 25.

10.) Otium sine literis mors est, et vivi hominis sepultura.
Senec. epist. 82.

11.) — — — — — Numquam
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Hor. epist. I. 7.

12.) Publium Scipionem dicere solitum scripsit Cato: Numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus: nec minus solum, quam cum solus esset.
Cic. off. III. 1.

13.) — — Deus nobis haec otia fecit.
Virg. Eclg. I. 6.

14.) Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis;
Immodicus contra carpit utrumque labor.
Ovid. ex Ponto I. 4.

15.) Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus;
Ut capiant vitium, ni moveantur aquae.
Ovidii ex Ponto I. 5.

Parentes.

Clitipho. Quam iniqui sunt patres in omnis adolescentis judices!
Qui aequom esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes;

Neque illarum adfines esse rerum, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit!

Terent. Heaut. II. 1.

Parricida.

Summa prudentia altissimi viri et rerum naturae peritissimi maluerunt, velut incredibile scelus (sc. pariciduum) et ultra audaciam positum, praeterire, quam, dum vindicant, ostendere posse fieri. Itaque parricidae cum lege coeperunt, et illis facinus poena monstravit.

Senec. clementia I. 23. (Parricidium.)

Parsimonia.

1.) Ne tibi quid desit, quaesitis utere parce:
Utque, quod est, serves, semper tibi deesse putato.

Cat. Dist. I. 24.

2.) O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.

Cic. Parad. VI. (Vectigal.)

3.) Utere quaesitis, sed ne videaris abuti,
Qui sua consumunt, quum deest, aliena sequuntur.

Cic. Dist. III. 22. (Sumtus.)

Parva.

Parvum parva decent.

Hor. ep. I. 7. (Humilitas.)

Patientia.

1.) Optimum est pati, quod emendare non possis, et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari.

Senec. epist. 107.

2.) Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit; at contra ille posillus ac degener, qui obluctatur, et de

ordine mundi male existimat, et emendare mavult Deos, quam se.

Senec. epist. 107.

3.) Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est:
Quae venit indigno poena, dolenda venit.

Ovid. Heroid. Ep. 5.

4.) Quidquid erit; superanda omnis fortuna ferendo est.

Virg. Aen. Lib. V. v. 710.

5.) Geta. — — — Unum hoc scio.
Quod fors feret, feremus aequo animo.

Terent. Phorm. I. 2.

6.) Perfer et obdura; dolor hic tibi proderit umquam;
Saepe tulit lassis succus amarus opem.

Ovid. amor. III. 11.

7.) Cedamus; leve fit, quod bene fertur onus.

Ovid. amor. l. I. Eleg. 1.

8.) Nil ego non patiar; numquam me injuria mutat.

Prop. II. 24.

Patria.

1.) Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet.

Horat. II. 6.

2.) Cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum.

Cic. off. I. 17.

3.) Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua, quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?

Cic. off. I. 17. (Patriotismus.)

4.) Si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes sunt patria et parentes, quornm beneficiis maxime obligati sumus; proximi liberi, totaque domus, quae spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium.

Cic. off. I. 17.

5.) Accipiat cineres terra paterna meos.

Ovid. ars am. II.

6.) Ad omnem rationem Teucri vox adcommodari potest: »Patria est, ubicumque est bene.« Socrates quidem, cum rogaretur, cujatem se esse diceret: Mundanum, inquit; totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur.

Cic. Tusc. Quaest. V. 37. (Socrates.)

7.) Omne solum forti patria est; ut piscibus aequor,
Ut volucri vacuo quidquid in orbe patet.

Ovid. Fast. I.

8.) Dulce et decorum est pro patria mori.

Hor. Od. III. 2.

9.) Invitus repeto patriam, quis credere possit?
Invitus certe nunc moror urbe mea.

Ovid. Heroid. Ep. 18.

10.) Heu mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque in pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.

Prop. IV. 1. (Poëta.)

11.) Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Ovid. ex Pont. I. 3.

12.) Si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat; cujus rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tamquam nidulum, affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debemus in ejusmodi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? cujus primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet; vel quia est patria, parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in jure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis.

Cic. de oratore I. 44.

Patriotismus.

1.) Mihi autem non minori curae est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

Cic. Amic. 12.

2.) Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.
Virg. Aen. L. VI. v. 824.

3.) Cum inter Carthaginem et Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad ultimum placuit utrinque eodem tempore juvenes mitti, et locum in quem ii convenissent, finem ambobus haberi populis. Verum hoc pactum Carthaginiensium duo fratres, nomine Philaeni, perfidia praecucurrere; citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis. Quod cum intellexissent, Cyrenensium juvenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate conditionis injuriam discutere conati sunt. Dixerunt namque, sic eum finem ratum fore, si Philaeni vivos se ibi obrui passi essent. Sed consilio eventus non respondit: illi enim, nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt. Qui quoniam patriae, quam vitae suae longiores terminos esse maluerunt, bene jacent, manibus et ossibus suis punico dilatato imperio. Ubi sunt superbae Carthaginis alta moenia? ubi maritima gloria inclyti portus? ubi cunctis littoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tantus equitatus? ubi immenso Africae spatio non contenti spiritus? Omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philaenorum egregii facti memoriam ne patriae quidem interitus extinxit. Nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali animo ac manu immortale quaeri possit.

Val. Max. V. 6.

4.) Cum in media parte fori vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumque esset, (ea) re illum tantummodo compleri posse, qua populus Rom. plurimum valeret: Curtius et animi et generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem nostram virtute armisque praecipue excellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus praecipitem in illud profundum egit Super quem universi cives honoris gratia certatim fruges injecerunt, continuoque terra pristinum habitum recuperavit. Magna postea decora in foro romano fulserunt: nullum tamen hodieque pietate Curtii erga patriam clarius obversatur exemplum.

Val. Max. V. 6.

5.) Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset. Respondit deus, Ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset: Quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis percrebuit: eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insignibus imperii, famularem cultum induit, ac pabulantium hostium globo se objecit, unumque ex his falce percussum, in caedem suam compulit. Cujus interitu, ne Athenae occiderent, effectum est.

Val Max. V. 6.

6.) Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unius cujusque, et universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consortio.

Cic. off. III. 6.

7.) Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur: nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociati, quae civitates adpellantur: harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.

Cic. rep. VI. 13. (Regnator.)

8.) Quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici, atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, aliis alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, et communes utilitates in medium adferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.

Cic. off. I. 7. (Auxilium. Societas.)

Patronus.

Da mihi te placidum; dederis in carmina vires:
Ingenium vultu statque caditque tuo.
Ovid. fast. lib. I.

Paullus.

Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus: tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam praeter memoriam nominis sempiternam detulit.

Cic. off. II. 22.

Paupertas.

1.) Magnae divitiae sunt lege naturae composita paupertas.
Sen. epist. 4.

2.) Annos LXX natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quae maxima putantur onera, paupertatem, et senectutem, ut eis paene delectari videretur.
Cic. Sen. 5. (Senectus.)

3.) Infantem nudum quum te natura crearit;
Paupertatis onus patienter ferre memento.
Cat. Dist. I. 21.

4.) Res urget me nulla, meo sum pauper in aere.
Hor. epist. lib. II. 2.

5.) — — Paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.
Hor. epist. II. 2. (Horatius.)

6.) Cui cum paupertate bene convenit, dives est; non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.
Sen. epist. 2.

7.) Paupertas nulli malum est, nisi repugnanti.
Senec. epist. 123.

8.) Jures licet, et Samothracum
Et nostrorum aras; contemnere fulmina pauper
Creditur atque deos, dis ignoscentibus ipsis.
Juvenalis Satyr. 3.

9.) Cantabit vacuus coram latrone viator.
Juv. Satyr. 10.

10.) Magnum; pauperies, opprobrium, jubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutisque viam deserit arduae.
Hor. Od. III. 24.

11.) Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet?
Hor. Satyr. l. II. 2.

12.) Necessarium est parvo assuescere. Quidquid vult, habere nemo potest, illud potest; nolle, quod non habet; rebus oblatis hilaris uti.
Senec. epist. 123.

13.) Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.
Juv. Satyr. 3.

14.) Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.
Juv. Satyr. 3.

15.) — — Libertas pauperis haec est:
Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Juv. Satyr. 3.

Pax.

1.) — — — O pater et rex
Jupiter, ut pereat positum rubigine telum.
Hor. Satyr. l. II. 1.

2.) Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus caerulus ambit humum!
Ovid. Heroid. Ep. 9.

3.) Amorem eis otii et pacis injecit (nempe de Numa rege et Romanis sermo), quibus facillime justitia et fides convalescit; et quorum patrocinio maxime cultus agrorum perceptioque frugum defenditur.
Cic. rep. II. 14.

4.) Illa antem diuturna pax Numae mater huic urbi juris et religionis fuit.
Cic. rep. V. 2. (Numa.)

5.) Mea quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo, si mihi esset obtemperatum; etsi non optimam, at aliquam rempublicam, quae nunc nulla est, haberemus.
Cic. off. I. 11. (Romani.)

6.) Candida pax homines trux decet ira feras.
Ovid. ars amat. l. III.

7.) Nutrit rura Ceres, almaque faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae.
Culpari metuit fides.
Hor. Od. IV. 5.

8.) Plaude tuo, miles, Marti; nos odimus arma.
Pax juvat et media pace repertus amor.
Ovid. Amor. III. 2.

9.) Di Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores.
Virg. Aen. l. X. v. 758.

10.) — — — Coëant in foedera dextrae,
Qua datur; ast, armis concurrant arma, cavete.
Virg. Aen. lib. XI. v. 292.

11.) — — — — Dirae ferro et compagibus arctis
Claudentur belli portae. Furor impius intus,
Saeva sedens super arma et centum vinctus aënis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.
Virg. Aen. I. 293.

12.) Cum libuit pacem placidis emittere tectis;
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis;
Ni tenant rigidae condita bella serae.
Ovid. fast. l. I.

13.) Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres.
Ovid. fast. l. I.

14.) Pax ades, et toto mitis in orbe mane.
Ovid. fast. l. I.

15.) Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus
Ruris opes, niteant; inquinet arma situs.
Conatusque aliquis vagina ducere ferrum;
Adstrictum longa sentiat esse mora.
Ovid. fast. l. IV.

16.) Nunc sinite; et placitum laeti componite foedus.
Virg. Aen. l. X. v. 15.

17.) — — — Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Tibull. I. 10.

18.) Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Tibull. I. 10.

19.) At nobis pax alma, veni, spicamque teneto;
Perpluat et pomis candidus ante sinus!
Tibull. I. 10.

Peccatum.

1.) Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat,
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Ovid. Trist. II.

2.) Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.
Tibull. I. 9.

3.) Initium est salutis, notitia peccati.
Sen. ep. 28. (Poenitentia.)

4.) Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat.

Senec. ep. 11.

5.) Quum quid peccaris: castiga te ipse subinde,
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.
Cat. Dist. IV. 40.

6.) Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. Id si nec majus; nec minus umquam fieri potest (quoniam in eo est peccatum, si non licuit; quod semper unum, et idem est) quae ex eo peccata nascuntur, aequalia sint oportet.

Cic. Parad. III.

7.) Est peccare tamquam transilire lineas: quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare,

cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet.

Cic. Parad. III.

8.) Si volumus aequi omnium rerum judices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa.

Senec. de Ira II. 27.

9.) Numquam est utile peccare, quia semper est turpe: et, quia semper est honestum, virum bonum esse semper est utile.

Cic. off. III. 15.

10.) Iliacos intra muros peccatur et extra.

Hor. epist. l. I. 2.

11.) Oderunt peccare boni virtutis amore.

Hor. epist. l. I. 16.

12.) — — — Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque; quid inter
Est in matrona, ancilla, peccesve togata?

Hor. Satyr. l. I. 2.

13.) Satis nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes deos, hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

Cic. off. III. 8.

Pecunia.

1.) Si quadringentis sex, septem millia desunt:
Est animus tibi, sunt mores, et lingua fidesque;
Plebs eris.

Hor. epist. l. I. 1.

2.) Nescis, quo valeat nummns? Quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius: adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.

Hor. Satyr. l. I. 1.

3.) Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos,
Et genus et formam regina pecunia donat;
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.

Hor. epist. l. I. 6.

4.) Si res sola potest facere et servare beatum;
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Hor. epist. l. I. 6.

5.) Isne tibi melius suadet, qui, ut rem facias, rem,
Si possis, recte; si non, quocumque modo rem:
An qui fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et optat?
Hor. epist. l. I. 1. (Sapientia.)

6.) O cives, cives, quaerenda pecunia primum est;
Virtus post nummos.
Hor. epist. I. 1.

7.) Syrus. Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

Ter. Adelph. II. 2.

8) Pecuniae fugienda cupiditas: nihil enim est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias; nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

Cic. off. I. 20.

9.) Quantum habeas, tanti ipse fies, tantique haberis.
Lucil.

10.) Ergo sollicitae tu causa pecunia vitae es:
Per te immaturum mortis adimus iter:
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes;
Semina curarum de capite orta tuo.
Prop. III. 7.

11.) Neminem pecunia divitem fecit; imo contra, nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Quaeris, quae sit hujus rei causa? plus incipit habere posse, qui plus habet.

Senec. epist 119.

12.) Unde habeas, quaerit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae;
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.
Juvenal Satyr. 14.

13.) Majore tormento pecunia possidetur, quam quaeritur.

Senec. epist. 115.

14.) Haec ipsa res tot magistratus, tot judices detinet, quae magistratus et judices facit — pecuniae;

quae ex quo in honore esse coepit, verus rerum honor cecidit.

Senec. epist. 115.

15.) Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.

Hor. epist. l. I. 10.

16.) Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Hor. Satyr. l. II. 5.

17.) Prima peregrinos obscoena pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
Divitiae ~~moles.~~ molles.

Juv. Satyr. 6.

18.) Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dis,
Et melior fatis donaret homuncio; quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio; pone ad Trebium. Vis frater ab ipsis
Ilibus? O nummi, vobis hunc praestat honorem;
Vos estis fratres.

Juv. Satyr. 5.

19.) — — — — Nimia congesta pecunia cura
Strangulat, et cuncta exsuperans patrimonia census.

Juv. Satyr. 10.

20.) Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

Hor. Od. III. 16.

21.) Protinus ad censum; de moribus ultima fiet
Quaestio; quot pascit servos? quot possidet agri
Jugera? quam multa magnaque paropside coenat?
Quantum quisque suo nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei.

Juv. Satyr. 3.

22.) Themistocles cum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret: Ego vero, inquit, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro.

Cic. off. II. 20.

23.) Libet intueri fiscos in angulo jacentes. Hi sunt, propter quos oculi clamore exprimuntur; fremitu judiciorum basilicae resonant; evocati ex longinquis regionibus judices sedent; judicaturi, utrius justior, avaritia sit. Quanto risu prosequenda sunt, quae nobis lacrimas educunt!

Senec. de Ira III. 33.

24.) Circa pecuniam plurimum vociferationis est: haec fora defatigat, patres liberosque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus, quam legionibus tradit; haec est sanguine nostro delibuta; propter hanc uxorum maritorumque noctes strepunt litibus, et tribunalia magistratum premit turba; reges saeviunt rapiuntque, et civitates longo seculorum labore constructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium scrutentur.

Senec. de Ira III. 32.

Perfectio.

1.) Ad unguem — Factus homo.

Hor. Satyr. l. I. 5.

2.) Hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis; si minus, paucis; si minus, proximis; si minus, sibi. Nam cum se utilem caeteris efficit, commune agit negotium. Quomodo, qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset. Sic si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat.

Senec. de otio. c. 30. (Utilitas.)

Perfidia.

1.) Quantum perfidiae tecum, scelerate, perisset!
Demta forent capiti quam mala multa meo!

Ovid. Heroid. Ep. 12.

2.) Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Jam me prodere, jam non dubitas fallere perfide.

Catull. 30.

3.) Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent;
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Catull. 30.

Pericles.

1.) Quid Pericles? de cujus dicendi copia sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et jucundum videretur: cujus in labris veteres Comici, etiam quum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret.

Cic. de oratore III. 34.

2.) Bello illo maximo, quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, cum obscurato sole tenebrae factae essent repente, Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse cives suos dicitur id, quod ipse ab Anaxagora, cujus auditor fuerat, acceperat, certo illud tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subjecisset: itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse, nisi certo intermenstruo tempore. Quod cum disputando rationibusque docuisset, populnm liberavit metu; erat enim tunc haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositum solere deficere; quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt.

Cic. de rep. I. 16. (Solis defectio.)

Pericula.

1.) In adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter aegrotantes leviter curant; gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur.

Cic. off. I. 24.

2.) Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus.

Virg. Aen. I. 204. (Labores. Difficultates.)

3.) Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant: sic reperies multos, quibus periculosa et callida consilia quietis cogitationibus et splendidiora et majora videantur.

Cic. off. I. 24.

4.) Numquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa; quo nihil potest esse stultius.

Cic. off. I. 24.

Periculum.

1.) Periculosum plenum opus aleae
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Horat. l. II. 1.

2.) Mens erit apta capi tunc, cum laetissima rerum,
Ut seges in pingui luxuriabit humo.

Ovid. ars am. I.

3.) Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas.

Horat. l. II. 13.

4.) Rari sunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti: ab homine homini quotidianum periculum.

Senec. epist. 103.

5.) Ratio terrorem prudentibus excutit; imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaque generi humano dictum puta, quod illis subita captivitate inter ignes et hostem stupentibus dictum est: Una salus victis, nullam sperare salutem.

Senec. Quaest. natural. VI. 2. (Timor.)

6.) Si vultis nihil timere, cogitate, omnia esse timenda: circumspicite, quam levibus causis discutiamur.

Senec. Quaest. natural. VI. 2. (Timor.)

Perjurium.

1.) Ah miser! etsi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.
Tibull. I. 9.

2.) Non enim falsum jurare, perjurare est: sed, quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est. Scite enim Euripides: Juravi lingua, mentem injuratam gero.
Cic. off. III. 29.

Perseverantia.

Quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.
Ov. ars am. I.

Persona.

1.) Differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnumquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat; alius in eadem causa non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia caeteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui caeteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod eorum vita lenior, et mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuisset natura gravitatem eamque ipse perpetua constantia roboravisset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriundum potius, quam tyranni vultus adspiciendus fuit.
Cic. off. I. 31. (Decentia.)

2.) Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque civilem fecerint loquutive sint, idem sibi arbitretur licere. Magnis illi et divinis bonis hanc licentiam assequebantur.
Cic. off. I. 41. (Diversitas.)

Perversitas.

Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus glande vescantur?
Cic. Orat. cap. 9. (Stultitia.)

Pestis.

Saevit, et, in lucem Stygiis emissa tenebris,
Pallida Tisiphone Morbos agitante Metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Virg. Georg. Lib. III. v. 551.

Philautia.

1.) Scimus, neminem tanti ab alio quanti a se ipso aestimari.

Sen. benef. II. 28. (Egoismus.)

2.) Nemo non benignus est sui judex.

Sen. benef. II. 26. (Egoismus.)

Philosophi.

1.) Errare mihi videntur, qui existimant, philosophiae fideliter deditos, contumaces esse ac refractarios, et contemtores magistratuum ac regum, eorumve, per quos publica administrantur. E contrario enim, nulli adversus illos gratiores sunt; nec immerito; nullis enim plus praestant, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, quibus ad propositum bene vivendi aditum confert securitas publica, necesse est, auctorem hujus boni ut parentem colant.

Senec. ep. 73.

2.) Nos certe sumus, qui dicimus, et Zenonem et Chrysippum majora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent: quas non uni civitati, sed toti humano generi tulerunt.

Senec. de otio c. 32. (Vita practica.)

3.) Nemo illorum (scilicet philosophorum) rem publicam administravit? — Sed iidem nihilominus non segnem egere vitam: invenerunt, quemadmodum plus quies illorum hominibus prodesset, quam aliorum discursus et sudor.

Senec. de otio c. 32. (Vita practica.)

Philosophia.

1.) Numquam igitur satis laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus aetatis sine molestia possit degere.

Cic. Sen. 1.

2.) Thales, ut objurgatores suos convinceret ostenderetque, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. Animadverterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quae Astyage regnante facta est, praedixisse fertur.

Cic. divin. I. 49. (Thales. Lucrum.)

3.) Sapientiorem Socratem soleo judicare, qui omnem ejusmodi curam deposuerit; eaque, quae de natura quaererentur, aut majora, quam hominum ratio consequi possit, aut nihil omnino ad vitam hominum adtinere dixerit.

Cic. de republica l. 10. (Socrates.)

4.) Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum (sermo est de philosophia) amplificator fuit; qui, cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, et privatim et publice, praestantissimis et institutis et artibus.

Cic. Tusc. Quaest. V. 4. (Pythagoras.)

5.) Incredibilis vis philosophiae est ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore ejus sedet; munita est solidaque, quaedam defatigat, et velut levia tela laxo sinu eludit, quaedam discutit et in eum usque, qui miserat, respuit.

Senec. epist. 53.

6.) Numquam in tantum convalescet nequitia, numquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non philosophiae nomen venerabile et sacrum maneat.

Senec. epist. 14.

7.) Quid illa laudata et omnibus praeferenda artibus rebusque philosophia praestabit? scilicet ut malis tibi placere, quam populo; ut aestimes judicia, non numeres; ut sine metu deorum hominumque vivas.

Senec. epist. 29.

8.) Fuit ergo jam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus: altera de natura et rebus occultis: tertia de disserendo, et quid verum et quid falsum; quid rectum in oratione pravumve; quid consentiens, quid repugnet judicando. Ac pri-

mam illam partem, bene vivendi a natura petebant, eique parendum esse dicebant; neque ulla alia in re, nisi in natura, quaerendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur: constituebantque, extremum esse rerum expetendarum, et finem bonorum, adeptum esse omnia e natura et animo, et corpore, et vita. Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus: valetudinem, vires, pulchritudinem in toto, in partibus autem sensus integros et praestantiam aliquam partium singularum: ut in pedibus, celeritatem; vim, in manibus; claritatem in voce; in lingua etiam explanatam vocum impressionem. Animi autem, quae essent ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea; eaque ab iis in naturam et mores dividebantur. Naturae celeritatem ad discendum et memoriam dabant; quorum utrumque mentis esset proprium et ingenii. Morum autem putabant studia esse, et quasi consuetudinem; quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant; in quibus erat philosophia ipsa; in qua quod inchoatum est, neque absolutum, progressio quaedam ad virtutem adpellatur; quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturae omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima; ergo haec animorum. Vitae autem (id enim erat tertium) adjuncta esse dicebant, quae ad virtutis usum valerent. Jam virtus animi bonis et corporis cernitur in quibusdam, quae non tam naturae, quam beatae vitae adjuncta sunt. Hominem esse censebant quasi partem quandam civitatis et universi generis humani, eumque esse conjunctum cum hominibus humana quadam societate. Ac de summo quidem atque naturali bono sic agunt; caetera autem pertinere ad id putant, aut ad agendum, aut ad tuendum: ut divitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. Ita tripartita ab iis inducitur ratio bonorum.

Cic. Academ. Quaest. I. 5. (Plato.)

9.) Omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur; idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem; quem, ut scribit auditor Platonis, Ponticus Heraclides, vir doctus imprimis, Phliuntem ferunt venisse, disseruisse quaedam; cujus ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua ma-

xime arte confideret: at illum, artem quidem se scire nullam, sed esse »philosophum« admiratum Leontem novitatem nominis, quaesisse, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset? Pythagoram autem respondisse: »similem sibi videri vitam ho»minum et mercatum eum, qui haberetur maximo lu»dorum adparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut »illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem »coronae peterent; alii emendi aut vendendi quaestu et »lucro ducerentur; esset quoddam genus eorum, id»que vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lu»crum quaererent, sed visendi causa venirent, studio»seque perspicerent, quid ageretur, et quo modo: ita »nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe »aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura pro»fectos, alios gloriae servire, alios pecuniae: raros esse »quosdam, qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, re»rum naturam studiose intuerentur: hos se adpellare »sapientiae studiosos, id est enim philosophos: et ut »illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi acqui»rentem, sic in vita longe omnibus studiis contempla»tionem rerum cognitionemque praestare.«

Cic. Tusc. Quaest. V. 3.

10.) Corpus hoc animi pondus ac poena est; premente illo urgetur, in vinculis est, nisi accessit philosophia; et illum respirare rerum naturae spectaculo jussit, et a terrenis dimisit ad divina. Haec libertas ejus est, haec evagatio: subducit interim se custodiae, in qua tenetur, et coelo reficitur.

Senec. epist. 65.

11.) Si quid aliud est in philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit.

Senec. epist. 44. (Nobilitas.)

12.) Philosophia animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum et per ancipitia fluctuantium dirigit cursum; sine hac nemo securus est.

Senec. epist. 16.

13.) Multis quatuordecim sunt clausi; non omnes Curia admittit; castra quoque, quos ad laborem et periculum recipiunt, fastidiose legunt: bona mens omni-

bus patet; omnes ad hoc sumus nobiles; nec rejicit quemquam philosophia, nec eligit: omnibus lucet.

Senec. epist. 44.

14.) Vix tota vita sufficit, ut hoc unum discas, vitam contemnere.

Senec. epist. 111. (Magnanimitas.)

15.) Non est philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum; non in verbis, sed in rebus est.

Senec. epist. 16.

16.) Cum philosophia ex rationum collatione constet, ab ea, si et boni et beati volumus esse, omnia adjumenta et auxilia petamus bene beateque vivendi.

Cic. Tusc. Quaest. IV. 38.

17.) Si animus fortuita contemsit, si se supra metum sustulit, nec avida spe infinita complectitur, sed didicit a se petere divitias; si deorum hominumque formidinem ejecit, et scit, non multum esse ab homine timendum, a Deo nihil; si contemtor omnium, quibus torquetur vita, dum ornatur, eo perductus est, ut illi liqueat, mortem nullius mali esse materiam, multorum finem; si animum virtuti consecravit, et quacumque vocat illa, planum putat; si sociale animal est, et in commune genitus, mundum ut unam domum spectat et conscientiam suam diis aperit, semperque tamquam in publico vivit; si se magis veritus, quam alios, subductus illis tempestatibus, in solido ac sereno stetit: consummavit scientiam utilem atque necessariam. Reliqua oblectamenta otii sunt.

Senec. benef. VII. 1. (Sapientia. Scientia.)

18.) A Socrate haec omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit.

Cic. Tusc. Quaest. III. 4. (Socrates.)

19.) Solemus dicere, non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur parentes, sorte nobis datos: nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet. Nobilissimorum ingeniorum familiae sunt; elige, in quam adscisci velis. Non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona; quae non erunt sordide, nec maligne custodienda: majora fient, quo illa pluribus diviseris. Hi tibi dabunt ad aeternitatem iter, et te in illum locum, ex quo ne-

mo ejiciet, sublevabunt. Haec una ratio est extendendae mortalitatis, imo in immortalitatem vertendae.

Sen. Brevit. vitae 15. (Sapientia. Scientia.)

20.) Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis (loquitur de philosophia) actus, peccanti immortalitati anteponendus.

Cic. Tusc. Quaest. V. 2.

21.) Philosophia quidem tantum abest, ut proinde ac de hominum est vita merita, laudetur, ut a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur.

Cic. Tusc. Quaest. V. 2.

22.) O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti; tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti: ad te confugimus; a te opem petimus; tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus.

Cic. Tusc. Quaest. V. 2.

23.) Illic (scilicet in philosophia) demum discit (animus scilicet) quod diu quaesivit; illic incipit Deum nosse.

Sen. quaest. natural. lib. I. praef. (Scrutatio.)

24.) Socrates autem primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coëgit, de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere. Cujus multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus, et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus.

Cic. Tusc. Quaest. V. 4. (Socrates.)

25.) Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam, et ad vitam commu-

nem adduxisse; ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret; coelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum.

Cic. Academ. Quaest. I. 4. (Socrates.)

26.) Quis dubitare potest, quin Deorum immortalium munus sit, quod vivimus: philosophiae, quod bene vivimus?

Sen. ep. 90.

27.) Totum igitur illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumo, et ad vitae constantiam, quantum possum, et ad delectationem animi, nec ullum arbitror, ut apud Platonem est, majus aut melius a Diis datum munus homini.

Cic. Academ. Quaest. I. 2.

28.) Nisi ad haec admitterer, (scilicet ad philosophandum) non fuerat operae pretium nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos et potiones percolarem? ut hoc corpus caussarium ac fluidum periturumque, nisi subinde impleatur, farcirem? et viverem aegri minister? ut mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inaestimabile bonum, — non est vita tanti, ut sudem, ut aestuem.

Sen. Quaest. natural. I. 1. (Scrutatio.)

29.) Cogitatio nostra coeli munimenta perrumpit, nec contenta est id, quod ostenditur, scire. Illud, inquit, scrutor, quod ultra mundum jacet; utrumne profunda vastitas sit, an et hoc ipsum terminis suis cludatur? qualis sit habitus exclusis; informia et confusa sint, ac in omnem partem tandumdem loci obtinentia, an et illa in aliquem cultum descripta sint? huic cohaereant mundo, an longe ab hoc secesserint, et in vacuo volutentur? individuae sint, per quae struitur omne id, quod natum futurumque est, an continua eorum materia sit, et per totum mutabilis? utrum contraria inter se elementa sint, an non pugnent, sed per diversa conspirent?

Sen. d. otio. c. 32. (Scrutatio.)

30.) Errare mehercle, malo cum Platone, quam cum istis (scilicet reliquis philosophis) vera sentire.

Cic. Tusc. Quaest. l. I, c. 17. (Plato.)

31.) Utinam quidem jam tenerentur omnia, et inoperta ac confessa veritas esset? nihil ex decretis mutaremus: — nunc veritatem cum eis ipsis, qui docent, quaerimus.

Sen. d. otio. c. 30. (Studia. Veritas.)

32.) Quaeramus, quid sit virtus; una, pluresve sint? Natura, an ars bonos faciat? unum sit hoc, quod maria terrasque, et mari et terris inserta complectitur, an multa Deus corpora ejusmodi sparserit? continua sit omnis et plena materia, ex qua cuncta gignuntur, an diducta, et solidis inane permixtum sit? Deus sedens opus suum spectet, an tractet? utrumne extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus? immortalis sit mundus, an inter caduca, et ad tempus nata numerandus? Haec qui contemplatur, quid Deo praestat? ne tanta ejus opera sine teste sint.

Sen. d. otio. c. 31. (Scrutatio.)

33.) Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit; eademque ab animo, tamquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media, videremus. Prorsus haec divina mihi videtur vis, quae tot res efficiat et tantas.

Cic. Tusc. Quaest. l. I. c. 26.

34.) Acies nostra aperit sibi investigando viam, et fundamenta veri jacit, ut inquisitio transeat ex apertis in obscura, et aliquid ipso mundo inveniat antiquius. Unde ista sidera exierint? quis fuerit Universi status, antequam singula in partes discederent? quae ratio mersa et confusa diduxerit? quis loca rebus assignaverit? suapte natura gravia descenderint, evolaverint levia, an praeter nisum pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit? an illud verum sit, quo maxime probatur, hominem divini spiritus esse, partem ac veluti scintillas quasdam sacrorum in terras desiluisse atque alieno loco haesisse?

Sen. d. otio. c. 32. (Scrutatio.)

35.) Non potest ante contemnere porticus (scilicet homo) et lacunaria ebore fulgentia, et tonsiles silvas

et derivata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, et terrarum orbem superne despiciens, angustum, et magna ex parte opertum mari, etiam qua exstat, late squalidum, et aut ustum aut rigentem, sibi ipse ait: Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur?

Senec. Quaest. natural. I. praefatio. (Scrutatio.)

36.) Una re consummatur animus, scientia bonorum ac malorum immutabili, quae soli philosophiae competit.

Senec. epist. 88.

37.) Utinam quemadmodum universi mundi facies in conspectum venit, ita philosophia tota nobis posset occurrere, simillimum mundo spectaculum! Profecto omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis his, quae nunc magna, magnorum ignorantia credimus.

Senec. epist. 89.

Philosophus.

1.) Si quis ex istis, qui philosophiam collatrant, quod solent, dixerit: Quare ergo tu fortius loqueris, quam vivis? — hoc respondebo: Non sum sapiens, et, ut malevolentiam tuam pascam, nec ero. Exigo a me, non, ut optimis par sim, sed ut malis melior. Hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere et errores meos objurgare. Non perveni ad sanitatem; nc perveniam quidem: delinimenta magis, quam remedia podagrae meae compono, contentus, si rarius accedit, et si minus verminatur. Vestris quidem pedibus comparatus debilibus, cursor sum.

Senec. vit. beat. 17. (Sapiens. Vita. Vituperator.)

2.) Non praestant philosophi, quae loquuntur? Multum tamen praestant, quod loquuntur, quod honesta mente concipiunt. Nam si et paria dictis agerent, quid esset illis beatius? Interim non est, quod contemnas bona verba et bonis cogitationibus plena praecordia.

Senec. Vit. beat. 20. (Vituperatio.)

3.) Mollis est oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec

vincta numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodam modo. Itaque sermo potius, quam oratio dicitur.

Cic. Orat. cap. 19.

4.) Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia.

Cic. Tusc. Quaest. V. 10.

5.) Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Jupiter Optimus Maximus ineptias poëtarum: quorum alius illi alas imposuit, alius cornua; alius adulterum illum induxit et abnoctantem; alius saevum in Deos, alius iniquum in homines; alius raptorem ingenuorum corruptoremque, et cognatorum quidem; alius parricidam, et regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales Deos credidissent.

Senec. Vit. beat. 26. (Vituperator.)

Pietas.

1.) Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamque numquam a memuria hominum exiturum, posse hoc dicere: Parentibus meis parui, cessi; imperio eorum, sive aequum, sive iniquum fuit, obsequentem submissumque me praebui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.

Senec. benef. III. 38. (Parentes.)

2.) Aeschinus. — — — — — — — Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc
ego amo meos.

Ter. Adelph. IV. 5.

3.) Cum foret Aeneae cervix subjecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse locum.

Ovidii ex Ponto lib. I. 1.

4.) Vive pius; moriere pius.

Ovid. Amor. III. 9.

5.) Sacra, et sacra altera, patrem
Fert humeris, venerabile onus, Cythereius heros.

Ovid. Metamorph. XIII. 624.

6.) Ingrata est pietas, cui tanta pericula subsunt.
Ovid. Heroid. Ep. Sabini I.

7.) Vicit patrem, imperiosum quidem, T. Manlius; qui, cum ad tempus relegatus esset a patre ob adolescentiam brutam ac hebetem, ad tribunum plebis, qui patri suo dixerat diem, venit; petitoque tempore, quod ille dederat, sperans fore proditorem parentis invisi (bene meruisse se de juvene credebat, cujus exilium pro gravissimo crimine inter alia Manlio objiciebat) nactus adolescens secretum, stringit occultatum sinu ferrum, et: nisi, juras, inquit, te diem patri remissurum, hoc te gladio transfodiam. In tua potestate est, utro modo pater meus accusatorem non habeat. Juravit tribunus, nec fefellit: et causam accusationis remissae concioni reddidit.

Senec. benef. III. 37.

8.) Deos placatos, pietas efficiet, et sanctitas.
Cic. Off. II. 3.

9) Pietas viribus suis inflammatum Africanum superiorem, vix dum annos puerilitatis egressum, ad opem patri in acie ferendam virili robore armavit. Consulem enim eum, apud Ticinum fluvium adversis auspiciis cum Annibale pugnantem graviter saucium intercessu suo servavit: neque illum aetatis infirmitas, aut militiae tirocinium, aut infelicis proelii etiam veterano bellatori pertimescendus exitus interpellare valuit, quo minus duplici gloria conspicuam coronam, imperatore simul et patre ex ipsa morte rapto, mereretur.

Val. Max. V. 4.

Placabilitas.

Quem superare potes, interdum vince ferendo;
Maxima enim morum semper patientia virtus.
Cat. Dist. I. 38. (Patientia.)

Plato.

Equidem et Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime

potuisse dicere; et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset, et pronuntiare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate judico: quorum uterque, suo studio delectatus, contemsit alterum.

Cic. off. I. 1. (Demosthenes. Aristoteles.)

Plebs.

Turba Remi sequitur fortunam, ut semper, et odit
Damnatos.

Juv. Satyr. 10. (Judicium.)

Poëmata.

1.) Non satis est, pulchra esse poëmata; dulcia
sunto.

Hor. Pis. 99.

2.) — — — — Quod non desit, habentem,
Quae poterunt umquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?

Hor. epist. l. II. 2.

3.) — — — — Quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti, doctique poëmata passim.

Hor. epist. l. II. 1.

Poena.

1.) Noxiae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur: vis, capite; avaritia, multa; honoris cupiditas, ignominia sanciatur.

Cic. Leg. III. 20.

2.) Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.

Senec. de ira l. I. 16.

3.) Magne pater Divum, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabescantque relicta.

Persii Satyr. 3.

4.) Dedi satis superque poenarum tibi.
Hor. Epod. 17.

5.) Effare; jussas cum fide poenas luam.
Hor. Epod. 17.

6.) Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?
Hor. Od. III. 24.

7.) Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo.
Hor. Od. III. 2.

8.) Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet.
Cic. off. I. 25.

9.) Prohibenda autem maxime est ira in puniendo. Numquam enim iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimum et parum.
Cic. off. I. 25.

10.) Cavendum est etiam, ne major poena, quam culpa sit; et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne adpellentur quidem.
Cic. off. I. 25.

Poenitentia.

Fidelissimus est ad honesta ex poenitentia transitus.
Senec. quaest. natural. III. praef.

Poësis.

1.) Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Hor. Pis. 179.

2.) — Et, haec animos aerugo, et cura peculi
Cum semel imbuerit, speremus carmina fingi
Posse, linenda cedro, et levi servanda cupressu.
Hor. Pis. 330.

3.) Aut prodesse volunt, aut delectare poëtae;
Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae.
Horat. Pis. 333.

4.) Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur et plaustris vectasse poëmata Thespis,
Qui canerent, agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc, personae pallaeque repertor honestae,
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Hor. Pis. 275.

5.) Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Hor. Od. IV. 9.

6.) In hoc genere nescio (sermo est de poësi) quo pacto magis, quam in aliis, suum cuique pulchrum est; adhuc neminem cognovi poetam (et mihi fuit cum Aquinio amicititia), qui sibi non optimus videretur.
Cic. Tusc. Quaest. V. 22. (Poëta.)

7.) Si natura negat, facit indignatio versum.
Juvenal. Sat. 1.

8.) Non magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per vatis opus, mores animique virorum
Clarorum adparent.
Hor. epist. l. II. 1.

9.) — — — — Neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere moesta
Paupertas, atque aeris inops; quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, cum dicit Horatius, Evoe!
Juvenal. Satyr. 7.

10.) Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant, et dominis Cyrrhae, Nysaeque feruntur
Pectora vestra, duas non admittentia curas?
Juvenal. Satyr. 7.

11.) Magnae mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitae, currus et equos, faciesque Deorum
Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erynnis.
Juv. Satyr. 7.

Poëta.

1.) — — — — Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Hor. Pison. vers. 9.

2.) Vilia miretur vulgus: mihi flavus Apollo
Pocula Castaliae plena ministret aquae.
Ovid. Amor. I. 15.

3.) — — — — Mediocribus esse poëtis
Non homines, non Dî, non concessere columnae.
Hor. Pis. 372.

4.) Fertile pectus habes, interque Helicona colentes
Uberius nulli provenit ista seges.
Ovid. ex Pont. IV. 2.

5.) Non opus est magnis placido lectore poëtis;
Quemlibet invitum difficilemque tenent.
Ovid. ex Pont. III. 4.

6.) Quid tibi cum tali, demens est flumine? quis te
Carminis heroi tangere jussit opus?
Prop. III. 3. (Vituperatio.)

7.) Cur tua praescriptos evicta est pagina gyros?
Non est ingenii cymba gravanda diu.
Prop. III. 3. (Vituperatio.)

8.) Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Hor. satyr. l. I. 4.

9.) Non satis est puris versum proscribere verbis.
Hor. Satyr. l. I. 4.

10.) Multa fero, ut placem genus irritabile vatum.
Hor. epist. l. II. 2.

11.) Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum.
Persii. Satyr. 5.

12.) Aversis Charisin cantas; aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra.
Prop. IV. 1.

13.) — — — — In versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Hor. satyr. l. I. 10.

14.) Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris implicuisse manus.
Prop. III. 5.

15.) — Vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta:

Hunc qualem nequeo monstrare, et sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus sylvarum aptusque bibendis
Fontibus Aonidum.

Juvenal. Satyr. 7.

16.) Quid petitur sacris, nisi tantum fama poëtis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.

Ovid. ars amat. l. III.

17.) Cura ducum fuerant olim regumque poëtae;
Praemiaque antiqui magna tulere chori.

Ovid. ars amat. l. III.

18.) Tale tuum nobis carmen divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine; quale per aestum,
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

Virg. Eclg. V. v. 45.

19.) Omnia, quae Phoebo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles.

Virg. Eclg VI. v. 82.

20.) Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,
Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos.

Virg. Eclg. III. v. 90.

21.) — — — — Si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Virg. Eclg. VII. v. 23.

22.) Mihi — — — —
Spiritum Grajae tenuem Camoena
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere vulgus.

Horat. Od. II. 16. (Horatius.)

Politica.

1.) Sint nobis isti, qui de ratione vivendi disserunt, magni homines, ut sunt; sint eruditi; sint veritatis et virtutis magistri; dummodo sit haec quaedam, sive a viris in rerumpublicarum varietate versatis inventa, sive etiam in istorum otio ac literis tractata res, sicut est, minime quidem contemnenda, ratio civilis et disciplina populorum; quae perficit in bonis ingeniis, id quod

jam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus existeret.

Cic. rep. III. 3. (Vita practica.)

2.) Etiamsi cui videbitur illa in optimis studiis et artibus quieta vitae ratio beatior: haec civilis laudabilior est certe et illustrior.

Cic. rep. III. 3. (Vita practica.)

3.) Quid enim potest esse praeclarius, quam cum rerum magnarum tractatio atque usus cum illarum artium studiis et cognitione conjungitur.

Cic. rep. III. 3. (Vita practica.)

4.) Id est in rerum natura longe maximi consilii, constituere eam rempublicam, quae possit esse diuturna.

Cic. rep. III. 4. (Respublica.)

5.) Id enim est caput civilis prudentiae, in qua omnis haec nostra versatur oratio, videre itinera flexusque rerumpublicarum, ut, cum sciatis, quo quaeque res inclinet, retinere aut ante possitis occurrere.

Cic. rep. II. 24.

6.) Miri sunt orbes et quasi circuitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum; quos cum cognosse sapientis est, tum vero prospicere impendentes in gubernanda republica moderantem cursum atque in sua potestate retinentem magni cujusdam civis et divini paene est viri.

Cic. de republica. I. 29. (Vir politicus.)

7.) Arbitrarer hanc rerum civilium minime negligendam scientiam sapienti, propterea quod omnia essent ei praeparanda, quibus nesciret, an aliquando uti necesse esset.

Cic. de republica. I. 6.

Polybius.

Sequamur potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior.

Cic. rep. II. 14.

Portenta.

1.) Quid igitur exspectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt; quam cum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. Quid enim? non videmus, quam sint varia terrarum genera; ex quibus et mortifera quaedam pars est, ut et Ampsancti in Hirpinis, et in Asia Plutonia, quae vidimus: et sunt partes agrorum aliae pestilentes; aliae salubres; aliae, quae acuta ingenia gignant; aliae, quae retusa. Quae omnia fiunt, et ex caeli varietate, et ex disparili adspiratione terrarum.

Cic. div. I. 36.

2.) Fiunt certe divinationum conjecturae a peritis. Midae illi Phrygio, cum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore, praedictum est: quod evenit. At Platoni, cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore. Ita futura eloquentia provisa in infante est.

Cic. div. I. 36. (Plato.)

3.) Quid? bello Punico secundo, nonne Cajus Flaminius consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicae? Qui, exercitu lustrato, cum Arretium versus castra movisset, et contra Annibalem legiones duceret: et ipse, et equus ejus ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium. Idem cum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Cum ille quiescendum respondisset: Flaminius, Praeclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa convelli, et se sequi jussit. Quo tempore cum signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quidquam proficeretur, plures cum accederent, Flaminius re nuntiata suo more neglexit. Itaque tribus horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Coe-

lius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit.

Cic. div. I. 35. (Flaminius.)

4.) Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De coelo tactas memini praedicere quercus,
Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.

Virg. Eclg. I. v. 16.

Possessio.

1.) Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest.

Cic. Parad. IV.

2.) Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, aut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, pactione, conditione, sorte.

Cic. off. I. 7.

3.) — — — Propriae telluris herum natura, neque illum
Nec me, nec quemquam statuit.

Hor. Satyr. l. II. 2.

4.) Immodica numquam regi possunt, nec diu durat, quidquid regi non potest.

Senec. benef. VI. 31.

5.) Qui rempublicam tuebuntur, inprimis operam dabunt, ut juris, et judiciorum aequitate suum quisque teneat: et neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia.

Cic. off. II. 24. (Regnator.)

6.) Inprimis autem videndum erit ei, qui, rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio fiat.

Cic. off. II. 21.

7.) Perniciose Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est,

et in eo vehementer se moderatum praebuit: sed cum in agendo multa populariter: tum illud male: non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent. Capitalis oratio, et ad aequationem bonorum pertinens, qua peste quae potest esse major? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent, respublicae civitatesque constitutae sunt.

Cic. off. II. 21.

8.) Etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum, urbium praesidia quaerebant.

Cic. off. II. 21.

Posteri.

— — — — Maneat nostros ea cura nepotes.
Virg. Aen. III. 505.

Posteritas.

Multa seculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleverit, reservantur.

Senec. Quaest. Natur. l. VII. 31. (Scientia.)

Potens.

1.) Cui ultio in facili est, is omissa ea certam laudem mansuetudinis consequitur.

Senec. clementia I. 7. (Rex. Ultio.)

2.) Hunc fore, qui totum sub leges mitteret orbem.
Virg. Aen. IV. 231.

Potentes.

Qui se locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt. Quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi, quamvis magnum aliquod acceperint.

Cic. off. II. 20. (Superbia.)

Potentia.

1.) — — — Non omnia possumus omnes.
Lucil.

2.) Quosdam praecipitat subjecta potentia magnae
Invidiae; mergit longa atque insignis honorum
Pagina.

Juv. Satyr. 10.

3.) Non diu potest, quae multorum malo exercetur, potentia stare.

Senec. de ira III. 16.

4.) Quis tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat!

Senec. benef. III. 22.

Potestas.

1.) Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse, et eum quidem cum repulsa (sed cum sapiens et bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis praeteritur, non populus a bono consule potius, quam ille a malo populo repulsam fert); sed tamen, utrum malles, te, si potestas esset, semel, ut Laelium, consulem, an, ut, Cinnam, quater? Non dubito, tu quid responsurus sis. Itaque video, cui committam (cum Attici loquentem putant). Non quemvis hoc idem interrogarem; responderet enim alius fortasse, se non modo quatuor consulatus uni anteponere, sed unum diem Cinnae multorum et clarorum virorum totis aetatibus. Laelius, si digito quem attigisset, poenas dedisset; at Cinna collegae sui, consulis Cn. Octavii, praecidi caput jussit, P. Crassi, L. Caesaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita; M. Antonii, omnium eloquentissimi, quos ego audierim, C. Caesaris, in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis. Beatusne igitur, qui hos interfecit? mihi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam, quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret. Etsi peccare nemini licet; sed sermonis errore labimur; id enim licere dicimus, quod cui conceditur.

Cic. Tusc. Quaest. V. 19. (Quomodo.)

2.) — — — — — Vis certe pila, cohortes,
Egregios equites, et castra domestica? quidni
Haec cupias? et qui nollunt occidere quemquam,
Posse volunt.

Juv. Satyr. 10.

3.) — (Sejanus) Qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsae turris tabulata, unde altior esset
Casus et impulsae praeceps immane ruinae.
Juv. Satyr. 10.

4.) Multa tibi non licent (de potente sermo), quae humillimis et in angulo jacentibus licent. Magna servitus est magna fortuna.
Senec. lib. ad Polyb. c. 26. (Servitus.)

5.) Curavit (Servius Tullius) quod semper in republica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi.
Cic. rep. II. 22. (Respublica.)

6.) — — — — Cui tanta Deo permissa potestas?
Virg. Aen. Lib. IX. v. 97.

7.) — — — — Nihil est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur Dis aequa potestas.
Juv. Satyr. 4.

8.) Non alia facies ut quieti moderatique imperii, quam sereni coeli et nitentis. Crudele regnum turbidum, tenebris obscurum est, inter trementes et ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem, qui omnia turbat, inconcusso.
Senec. clementia I. 7. (Regimen.)

9.) Quid Crassos, quid Pompejos evertit? et illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus, nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Juv. Satyr. 10.

10.) Regum tremendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Hor. Od. III. 1.

Praecepta.

1.) Quidquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Hor. Pis. 335.

2.) Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla.

Senec. epist. 6.

Praeceptor.

1.) Uter praeceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo, oculus haeserit; an, qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit?

Senec. clementia I. 16.

2.) At te nocturnis juvat impallescere chartis;
Cultor enim es juvenum, purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc juvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.

Persii Satyr. 5.

Praecipitatio.

Sed nimium properas; et adhuc tua messis in herba est.

Ovid. Heroid. Ep. 17.

Praeda.

Praeda feras acies cinxit discordibus armis;
Hinc cruor, hinc caedes, mors propiorque venit.

Tibull. II. 3.

Praeparatio.

In omnibus autem negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens.

Cic. off. I. 21.

Praesagium.

1.) Irrita verorum non sunt praesagia vatum.

Ovid. ex Ponto III. 4.

2.) Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur praesagire, id est, futura ante sentire.

Inest igitur in animis praesagitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor ap-

pellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur.

Cic. div. I. 31. (Enthusiasmus.)

Praeterita.

1.) Haec est pars temporis nostri (de vita praeterita jam sermo est) sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum fortunae subducta; quam non inopia, non metus, non morborum incursus exagitat. Haec nec turbari, nec eripi potest; perpetua ejus et intrepida possessio est. Singuli tantum dies, et hi per momenta praesentes sunt; at praeteriti temporis omnes, cum jusseris, aderunt ad arbitrium tuum se inspici ac detineri patientur.

Senec. brev. vit. 10.

2.) Nemo nisi a quo omnia acta sunt sub censura sua, quae numquam fallitur, libenter se in praeteritum retorquet.

Senec. brev. vit. 10. (Recordatio.)

3.) Ille, qui multa ambitiose concupivit, superbe contemsit, impotenter vicit, insidiose decepit, avare rapuit, prodige effudit, necesse est memoriam suam timeat.

Senec. brev. vit. 10. (Recordatio.)

Pravitas.

1.) Maximum indicium est malae mentis fluctuatio, et inter simulationem virtutum amoremque vitiorum assidua jactatio.

Senec. epist. 120. (Inconstantia.)

2.) Nulli nisi ex alterius damno quaestus est; felicem oderunt, infelicem contemnunt; majore gravantur, minori graves sunt; diversis stimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob levem voluptatem praedamque cupiunt.

Senec. de ira l. II. 8.

3.) Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Horat. l. I. 3.

4.) Id, quod unum toto agimus animo, nondum perfecimus, — ut pessimi essemus. Adhuc in processu vitia sunt. Invenit luxuria aliquid novi, in quod insaniat. Invenit impudicitia novam contumeliam sibi. Invenit deliciarum dissolutio et tabes aliquid tenerius molliusque, quo pereat.

Senec. Quaest. Natur. l. VII. 31. (Scire mancum.)

5.) — — — — Absentem qui rodit amicum;
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit; hic niger est; hunc tu Romane caveto.

Hor. Satyr. l. I. 4. (Monitum.)

6.) At nos virtutes ipsas invertimus; atque
Sincerum cupimus vas incrustare.

Hor. Satyr. l. I. 3.

7.) — — — — Quemvis media erue turba,
Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat.

Hor. Satyr. l. I. 4.

8.) Conquerar, an moneam, mixtum fas omne, nefasque?
Nomen amicitiae est, nomen inane fides.

Ovid. ars am. I.

9.) Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia.

Hor. Satyr. l. II. 7.

10.) In pretio pretium nunc est; dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique jacet.

Ovid. Fast. l. I.

11.) Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.
Sed interdictis imminet aeger aquis.

Ovid. Amor. III. 4. (Vetita.)

12.) Quidquid servatur, cupimus magis; ipsaque furem
Cura vocat: pauci, quod sinit alter, amant.

Ovid. Amor. III. 4. (Vetita.)

13.) Inter caetera mala illud pessimum est, quod vitia ipsa mutamus. Sic ne hoc quidem nobis contingit,

permanere in malo jam familiari. Aliud ex alio placet vexatque nos.

Senec. de otio. cap. 28.

14.) Si tibi vitae nostrae vera imago succurret, videberis tibi videre captae cum maxime civitatis faciem, in qua, omisso pudoris rectique respectu, vires in consilio sunt, velut signo ad permiscenda omnia dato. Non igni, non ferro abstinetur; soluta legibus scelera sunt; nec religio quidem, quae inter arma hostilia supplices texit, ullum impedimentum est ruentium in praedam. Hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic sacro rapit; hic effringit, hic transilit, hic, non contentus angusto itinere, ipsa, quibus arcetur, evertit et in lucrum ruina venit. Hic sine caede populatur, his spolia cruenta manu gestat; nemo non fert aliquid ex altero.

Senec. benef. VII. 27.

15.) Transvolat in medio posita, et fugientia captat.
Hor. Satyr. l. I. 2. (Levitas.)

16.) Quae tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quaesitum, et partos gladio vel pyxide nummos.
Juvenal. Satyr. 13.

17.) Rari quippe boni; numerus vix est totidem, quot
Thebarum portae, vel divitis ostia Nili.
Juvenal. Sat. 13.

18.) Nona aetas agitur, pejoraque saecula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, et a nullo posuit natura metallo.
Juvenal. Satyr. 13.

19.) — — — — Dic senior, bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam, ne pejeret, et putet ullis
Esse aliquod numen templis araque rubenti? —
Quondam hoc indigenae vivebant more, priusquam
Sumeret agrestem, posito diademate, falcem
Saturnus fugiens.
Juvenal. Satyr. 13.

Precatio.

1.) Desine jam tandem, precibusque inflectere
nostris.

Virg. Aen. L. XII. 800.

2.) Quod te, per superos, et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus
usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum; miserere animi non digna ferentis.

Virg. Aen. II. 141.

3.) Parce pio generi, et propius res adspice nostras.

Virg. Aen. I. 526.

4.) Molestum verbum est, onerosum et demisso vultu dicendum: rogo.

Senec. benef. II. 2.

Preces.

1.) Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.

Senec. epist. 10.

2.) Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.

Senec. epist. 10.

3.) Qanta dementia est hominum! Turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.

Senec. epist. 10.

4.) Haud cuivis promtum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.

Persii Satyr. 2. (Fallacia.)

5.) Flectitur iratus voce rogante Deus.

Ovid. ars amat. I.

6.) — — — — — — Sibi quisque profecto
Fit deus. Ignavis precibus fortuna repugnat.

Ovid. Metamorph. VIII. 72.

7.) Evertere domos totas optantibus ipsis
Di faciles; nocitura togâ, nocitura petuntur
Militia.

Juv. Satyr. 10.

8.) Ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
Exta, et candiduli divina tomacula porci:
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Juv. Satyr. 10.

9.) Fortem posce animum, mortis terrore carentem
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
Et Venere, et coenis et pluma Sardanapali.
Juven. Satyr. 10.

10.) Da spatium vitae, multos da Jupiter annos!
Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optat.
Juv. Satyr. 10.

11.) Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utili nostris:
Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt Di.
Carior est illis homo, quam sibi.
Juv. Satyr. 10.

Princeps.

1.) — — — — Felicia lassis
Saecula praestabit, legumque silentia rumpet.
Senec. Apocolocynthosis.

2.) Principes multa debent etiam famae dare.
Senec. clementia I. 16. (Rex.)

3.) Clementia principem decet, ut, quocumque venerit, mansuetiora omnia faciat.
Senec. clementia I. 16. (Rex.)

4.) Nemo regi tam vilis sit, ut illum perire non sentiat; qualiscumque, pars imperii est.
Senec. clementia I. 16. (Rex.)

Principium.

Principiis obsta; sero medicina paratur,
Quum mala per longas invaluere moras.
Ovid. remed. amor. (Initium.)

Priores.

Adjuvare nos possunt, non tantum, qui sunt, sed et qui fuerunt.

Senec. epist. 52.

Proavi.

1.) — — — — — Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Hor. Satyr. l. II. 2.

2.) Improbitas illo fuit admirabilis avo.
Juvenal. Satyr. 13.

3.) Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
Si juvenis vetulo non adsurrexerat, et si
Barbato cuicumpue puer, licet ipse videret
Plura domi fraga et majores glandis acervos.
Juvenal. Satyr. 13.

Probitas.

1.) Probitas laudatur; et alget.
Juvenalis Satyr. 1.

2.) Sufficit, et longum probitas perdurat in aevum;
Fertque suos annos: hinc bene pendet amor.
Ovid. Fragm. Medic.

Prodesse.

Iidem (sc. senes agricolae) elaborant in eis, quae sciunt nihil omnino ad se pertinere. Serit arbores, quae alteri saeculo prosint, ut ait Statius noster in Synephebis. Nec vero dubitet agricola, quamvis senex, quaerenti, cui serat, respondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a majoribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

Cic. Sen. 7. (Posteri.)

Prodigalitas.

Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
(Scilicet ut decies solidum exsorberet) aceto

Diluit insignem baccam; qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Hor. Satyr. l. II. 3.

Prodigus.

1.) Quod superat, non est melius, quo insumere possis?
Hor. Sat. l. II. 2.

2.) Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Hor. Satyr. l. II. 2.

3.) Uni mimirum rectae tibi semper erunt res.
Hor. Sat. l. II. 2.

4.) — — — — Non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Hor. Satyr. l. I. 1.

Proditio.

Camillo consule Faliscos circumsedente, magister ludi plurimos et nobilissimos inde pueros, velut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorum perduxit. Quibus interceptis, non erat dubium, quin Falisci, deposita belli gerendi pertinacia, tradituri se nostro imperatori essent. (De) ea re senatus censuit, ut pueri, vinctum magistrum virgis caedentes, in patriam remitterentur. Qua justitia animi eorum sunt capti, quorum moenia expugnari non poterant: namque Falisci, beneficio magis quam armis victi, portas Romanis aperuerunt.

Val. Max. VI. 5.

Proelium.

Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per volnera mortem.
Virg. Aen. Lib. XI. v. 646.

Promissa.

1.) Quod praestare potes, ne bis promiseris ulli:
Ne sis ventosus, dum vis bonus ipse videri.
Cat. Dist. I. 25.

2.) Jam illis promissis standum non esse, quis non videt, quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit?

Cic. off. I. 10.

3.) Pollicitis dives quilibet esse potest.
Ovid. ars. amat. I.

4.) — — — Id est genus hominum pessimum, in
Denegando modo quîs pudor paulum adest;
Post, ubi tempus promissa jam perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt;
Et timent; et tamen res premit denegare;
Ibi tum eorum impudentissima oratio est:
Quis tu homo es? quis mihi es?
Terent. Andr. IV. 1.

5.) Quid? si quis sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento sestertium millies relinquatur, ut ante, quam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter eum heredem scripturus ille non esset: faciat, quod promiserit, necne? Promisisse nollem, et id arbitror fuisse gravitatis: sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit: nisi forte eam pecuniam in reipublicae magnum aliquod tempus contulerit: ut vel saltare eum cum patriae consulturus sit, turpe non sit.

Cic. off. III. 24. (Saltatio.)

Promissum.

Quid? Agamemnon cum devovisset Dianae, quod in suo regno pulcherimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius: promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit.

Cic. Off. III. 25.

Providentia.

1.) Quid multitudinem suavitatemque piscium dicam? quid avium? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum Pronoea nostra (loquitur Stoicus. Pronoea i. e. divina providentia), Epicurea fuisse videatur.

Cic. nat. deor. II. 64.

2.) Multosque praeterea et nostra civitas, Graecia tulit singulares viros; quorum neminem, nisi juvante deo, talem fuisse credendum est. Quae ratio poëtas, maximeque Homerum, impulit, ut principibus heroum, Ulyssi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos, discriminum et periculorum comites, adjungeret.

Cic. nat. deor. II. 66. (Vir magnus.)

3.) Nec vero ita refellendum est, ut, si segetibus, aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e vitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut invisum deo, aut neglectum a deo judicemus. Magna dii curant, parva negligunt.

Cic. nat. deor. II. 66. (Vir magnus.)

4.) Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino umquam fuit.

Cic. nat. deor. II. 66. (Vir magnus.)

5.) Diagoras, cum Samothraciam venisset, Atheos ille, qui dicitur, atque ei quidam amicus, Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint? Ita fit, inquit; illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt, in marique perierunt.

Cic. nat. deor. III. 37. (Atheista.)

6.) Dicitis, (loquitur Academicus contra Stoicum) eam vim deorum esse, ut, etiam si quis morte poenas sceleris effugerit, expetantur eae poenae a liberis, a nepotibus, a posteris. O miram aequitatem deorum! Ferretne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus deliquisset?

Cic. nat. deor. III. 38.

7.) Ego, quid cui debeam, scio (Deus loquitur). Aliis post longam diem repono, aliis in ante-

cessum, ac prout occasio, et reipublicae meae facultas tulit.

Senec. benef. IV. 32. (Remuneratio.)

Provisa.

1.) Quod sequitur specta: quodque imminet, ante videto,
Illum imitare Deum, partem qui spectat utramque.
Cat. Dist. II. 27.

2.) Prospice, qui veniant, hos casus esse ferendos:
Nam levius laedit, quidquid praevidimus ante.
Cat. Dist. II. 24.

3.) Quae multo ante provisa sunt, languidius incurrunt.
Senec. lib. ad Marc. c. 9. (Solamen.)

Prudens.

Ut quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique et acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. Quo circa huic, quasi materia, quam tractet, et in qua versetur, subjecta est veritas.

Cic. off. I. 15. (Sapiens.)

Prudentia.

1.) Discere ne cesses: cura sapientia crescit:
Rara datur longo prudentia temporis usu.
Cat. Dist. IV. 27. (Scientiae.)

2.) Quoties, quid fugiendum aut quid petendum, voles scire, ad summum bonum et propositum totius vitae respice. Illi enim consentire debet, quidquid agimus. Non disponet singula, nisi cui jam vitae suae summa proposita est.

Sen. ep. 71.

Pudicitia.

1.) — — — — Nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est; deperit illa semel.
Ovid. Heroid. Ep. 5.

2.) Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur. Retinenda est igitur hujus generis verecundia, praesertim natura ipsa magistra et duce.

Cic. off. I. 35. (Decentia.)

3.) Corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem; quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promtu. Quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae, adspectum essent deformem habiturae atque formam, eas contexit atque abdidit.

Cic. off. I. 35. (Corpus.)

4.) Quae natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis; ipsique necessitati dant operam, ut quam occultissime pareant; quarum partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes, neque earum usus suis nominibus adpellant; quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscoenum est.

Cic. off. I. 35. (Obscoena.)

Pudor.

1.) Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Hor. epist. l. I. 16. (Simulatio.)

2.) Hic nullus verbis pudor aut reverentia mensae.
Juv. Satyr. 2.

3.) Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.
Virg. Aen. IV, 24.

Puella.

1.) Cur haec in terris facies humana moratur?
Jupiter, ignoro pristina furta tua.
Prop. II 2. (Pulchritudo.)

2.) Formosis levitas semper amica fuit.
Propert. II. 16. (Pulchritudo.)

3.) Quidquid jurarunt, ventus et unda rapit.
Prop. II. 28.

4.) Illis ampla satis forma pudicitia.
Prop. I. 2. (Pudicitia.)

5.) Siquis vult fama tabulas anteire vetustas
Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.
Prop. II. 33. (Pulchritudo.)

6.) Parcite quam custodit Amor, violare puellam
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Tibull. I. 6.

7.) Uritur, ut celeres urunt altaria flammae;
Nec, liceat quamvis sana fuisse velit.
Tibull. IV. 5. (Amor.)

8.) Carmine formosae; pretio capiuntur avarae.
Tibull. III. 1.

9.) Etsi perque suos fallax jurarit ocellos,
Junonemque suam perque suam Venerem:
Nulla fides inerit.
Tibull. III. 6.

10.) Non habeat matrona, tibi quae juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curvum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes;
Sed quaedam ex libris et non intelligat.
Juv. Satyr. 6.

11.) Illius ex oculis, cum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Tibull. IV. 1. (Oculi.)

12.) Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Juv. Satyr. 6.

13.) Cingenda est altis sepibus ista seges.
Ovid. ars amat. I. III.

14.) Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movet,
Componit furtim subsequiturque decor.
Tibull. IV. 1.

15.) Hanc vos, Pierides, festis cantate Calendis,
Et testudinea, Phoebe superbe, lyra.
Tibull. IV. 1.

Puer.

1.) Causa ~~difficilis~~ difficilis, laudare puerum; non enim res laudanda, sed spes est.

Cic. rep. fragment.

2.) Reddere qui voces jam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Hor. Pison. 158.

Pugna.

— — — — Furor iraque mentem
Praecipitant; pulchrumque mori sucurrit in armis.
Virg. Aen. II. 316.

Pulchritudo.

1.) Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque,
Et crines flavos et membra decora juventae.
Virg. Aen. IV. 558.

2.) Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Virg. Aen. Lib. V. v. 344.

3.) Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Et sic Cumeae secula vatis agat.
Prop. II. 2. (Votum.)

4.) Vicit victorem candida forma virum.
Prop. III. 11.

5.) Cura dabit faciem; facies neglecta peribit,
Idaliae similis sit licet illa deae.
Ov. ars. amat. I. III.

6.) Semper formosis fabula poena fuit.
Prop. II. 32.

7.) Heu! quantum per se candida forma valet.
Prop. II. 29.

8.) Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Prop. II. 3.

9.) Crudeles divi! serpens novus exuit annos
Formae non ullam fata dederunt moram!
Tibull. I. 4.

10.) Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium, et dederunt regna superba tibi.
Tibull. IV. 4.

11.) Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas
Pectore marmoreo.
Lucil.

12.) Forma nihil magicis utitur auxiliis.
Tibull. I. 8.

13.) — — — Rara est concordia ~~fomae~~ formae
Atque pudicitiae.
Juv. Satyr. 10.

14.) Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.
Ovid. fast. l. I.

15.) — — — Risit; et aether
Protinus ex illa parte serenus erat.
Ov. fast. l. IV.

16.) Ut natura dedit, sic omnis recta figura.
Prop. II. 18.

Puritas.

Casta placent Superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Tibull. II. 1. (Castitas.)

Quaestus.

Nec vero rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda, sed fugienda semper injuria est.
Cic. off. I. 8. (Injuria. Possessio.)

Quercus.

— — Quae quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando secula, vincit.
Virg. Georg. Lib. II. v. 291.

Querela.

1.) Adsiduae multis odium peperere querelae.
Prop. II. 18.

2.) — — — Cur nunc tua quisquam
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Virg. Aen. Lib. X. v. 34.

3.) Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus
Auctor? dant anni, quod querar, ecce! mei.
Ovid. Heroid. Ep. 14.

Quomodo.

1.) In omni negotio non minima portio est, quomodo quidque aut dicatur, aut fiat.
Sen. benef. II. 6.

2.) Hoc sum contentus, quod, etiam si, quomodo quidque fiat, ignorem, quid fiat, intelligo. Quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia, quae nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio, ad morsus serpentum possit video, quod satis est, cur possit, nescio.
Cic. divin. I. 9 — 10. (Intelligentia.)

Rara.

Mediocria et in turbam nascentia saepe fortuna producit, eximia vero ipsa raritate commendat.
Senec. ep. 42.

Ratio.

1.) Jam vero animum ipsum, mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura

perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere.

Cic. nat. deor. II. 59.

2.) Licet irrideat, si quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio.

Cicer. Paradox. I.

3.) Ut si medicus sciat, eum aegrotum, qui jussus sit (loquitur Academicus contra Stoicum) vinum sumere, meracius sumpturum, statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista providentia reprehendenda, quae rationem dederit iis, quos scierit, ea perverse et improbe usuros.

Cic. nat. deor. III. 31.

4.) Sentit domus uniuscujusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciae, ut, quemadmodum (loquitur Academicus contra Stoicum) ratione recte fiat, sic ratione peccetur; alterumque et a paucis, et raro; alterum et saepe, et a plurimis: ut satius fuerit nullam omnino nobis a diis immortalibus datam esse rationem, quam tanta cum pernicie datam. Ut vinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiae salutis in apertam perniciem incurrere; sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, sollertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice et tam large dari.

Cic. nat. deor. III. 27.

5.) Hanc igitur (loquitur Academicus contra Stoicum) a diis immortalibus tantam arbitramur malorum sementem esse factam (praemittit longam seriem malorum, quae cuncta sine usu rationis fieri posse negat)? Si enim rationem hominibus dii dederunt, et malitiam dederunt; est enim malitia, versuta et fallax nocendi ratio. Iidem etiam dii fraudem dederunt, facinus, ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione nec effici potest. Utinam igitur, ut illa anus e Medea Ennii optat,

— — — Ne in nemore Pelio securibus,
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes:

sic istam calliditatem hominibus dii ne dedissent! qua perpauci bene utuntur; qui tamen ipsi saepe a male utentibus opprimuntur: innumerabiles autem improbe utuntur: ut donum hoc divinum rationis et consilii, ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur.

Cic. nat. deor. III. 30.

6.) A deo tantum rationem habemus, si modo habemus: bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis.

Cic. nat. deor. III. 28.

7.) Placeat homini, quidquid Deo placuit. Ob hoc se ipsum suaque miretur, quod non potest vinci, quod mala ipsa sub se tenet, quod ratione, qua valentius nihil est, casum doloremque et injuriam subigit.

Senec. ep. 74.

8.) Ama rationem; hujus te amor contra durissima armabit.

Senec. ep. 74.

9.) Bene adhibita ratio cernit, quid optimum sit; neglecta multis implicatur erroribus.

Cic. Tusc. Quaest. IV. 27.

10.) Rationabilem sortitis naturam, quae melius res, quam ratio proponitur? et si placet illa junctura, si hoc placet ad beatam vitam ire comitatu, virtus antecedat, comitetur voluptas, et circa corpus, ut umbra, versetur.

Senec. de vita beata XIV. (Virtus. Voluptas,)

11.) Nil aliis instrumentis opus est; satis nos instruxit ratione natura.

Senec. de ira l. I. 16.

12.) Si vis tibi omnia subjicere, te subjice rationi; multos reges, si ratio te rexerit.

Senec. ep. 37.

13.) Nemo gloriari, nisi suo, debet. Lauda in homine, quod nec eripi potest, nec dari; quod proprium est hominis. Quaeris, quid sit? animus, et ratio in animo perfecta.

Senec. ep. 41.

14.) Ejus autem (sermo est de societate generis humani) vinculum est ratio et oratio; quae docendo, dis-

cendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum; in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus; justitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis et orationis expertes.

Cicer. off. I. 16. (Oratio.)

Recordatio.

1.) Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
Et jacet in gremio languida facta manus.

Ovid. Heroid. Ep. 9.

2.) Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, triumphosque recordentur. Est etiam quiete, et pure, et eleganter actae aetatis placida, ac lenis senectus; qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est; qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur, vixitque quinquenium postea: cujus magister Leontinus Corgias centum et septem complevit annos: neque umquam in suo studio, atque opere cessavit, qui, cum ex eo quaeretur, cur tamdiu vellet esse in vita? Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem. Praeclarum responsum, et docto homine dignum. Sua enim vitia insipientes, et suam culpam, in senectutem conferunt.

Cicer. Sen. 5. (Res magnae. Senectus.)

3.) Fructus autem senectutis est (ut saepe dixi) ante partorum bonorum memoria et copia.

Cicer. Sen. 19. (Senectus.)

4.) Quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid, atque discendi, in quibus remoti ab oculis populi, omne otiosum tempus contrivimus (loquitur Laelius de se et Scipione defuncto)? Quarum rerum recordatio, et memoria, si unam cum illo occidisset, desiderium conjunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem.

Cicer. Amic. 27. (Studia.)

5.) Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore piscis;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim;
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
Virg. Eclg. I. v. 60.

6.) Hactenus acta tibi possum memoranda referre,
Hactenus et memini: nec mens mea caetera sensit.
Ovid. Metamorph. XIII. 956.

7.) — — — Quid me meminisse malorum
Cogis, et obductos annis rescindere luctus?
Ovid. Metamorph. XII. 542.

Reges.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Hor. epist. l. I. 2.

Regimen.

1.) Laelius. Quid tu, Scipio, e tribus istis (sc. formis regiminum), quid maxime probas? Sc. Recte quaeris, quod maxime e tribus; quoniam eorum nullum ipsum per se separatim probo; anteponoque singulis illud, quod conflatum fuerit ex omnibus. Sed si unum ac simplex probandum sit, regium probem, atque imprimis laudem. In primo genere tamen, quod hoc loco adpellatur, occurrit nomen quasi patrium regis, ut ex se natis, ita consulentis suis civibus, et eos conservantis studiosius, quam redigentis in servitutem: ut sane utilius sit facultatibus et mente exiguos sustentari unius optimi et summi viri diligentia. Adsunt optimates, qui se melius hoc idem facere profiteantur; plusque fore dicant in pluribus consilii, quam in uno, et eamdem tamen aequitatem et fidem. Ecce autem maxima voce clamat populus, neque se uni neque paucis velle parere; libertate ne feris quidem quidquam esse dulcius; hac omnes carere, sive regi, sive optimatibus, serviant. Ita caritate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi; ut in comparando difficile ad eligendum sit, quid maxime velis.
Cicer. rep. I. 35.

2.) Uni gubernatori, uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius est, alteri navem committere, aegrum alteri, quam multis.

Cicer. rep. I. 40.

3.) Tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium; regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerumpublicarum modis. Placet enim esse quiddam in republica praestans et regale; esse aliud auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas judicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum habet aequabilitatem quamdam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi; deinde firmitudinem, quod et illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut existat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio; quodque ipsa genera generibus saepe commutantur novis. Hoc in hac juncta moderateque permixta conformatione reipublicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit. Non est enim causa conversionis, ubi in suo quisque est gradu firmiter collocatus, et non subest, quo praecipitet ac decidat.

Cicer. rep. I. 45.

4.) Sic decerno, sic sentio, sic adfirmo, nullam omnium rerumpublicarum aut constitutione aut descriptione aut disciplina conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis, acceptam jam inde a majoribus reliquerunt.

Cicer. rep. I. 46. (Romani.)

5.) Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit. Quo facto vidit judicavitque idem, quod Spartae Lycurgus paulo ante viderat: singulari imperio et potestate regio tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cujusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas.

Cicer. rep. II. 8.

6.) Illud tamen non adsentior tibi, praestare regi optimates; si enim sapientia est, quae gubernet rempublicam, quid tandem inter est, haec in unone sit, an in pluribus? Sed errore quodam fallimur ita disputando; cum enim optimates adpellantur, nihil potest videri praestabilius. Quid enim optumo melius cogi-

tari potest? Quum autem regis est facta mentio, occurrit animis rex etiam injustus; nos autem de injusto rege nihil loquimur nunc, cum de ipsa regali republica quaerimus.

Cicer. rep. III. 35.

7.) Virtute vero gubernante rempublicam, quid potest esse praedarius? Cum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; cum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse; nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat; sed suam vitam ut legem praefert suis civibus. Quae si unus satis omnia consequi posset, nihil opus esset pluribus; si universi videre optimum, et in eo consentire possent, nemo delectos principes quaereret. Difficultas ineundi consilii rem a rege ad plures; error et temeritas populorum a multitudine ad paucos transtulit. Sic inter infirmitatem unius temeritatemque multorum medium optimates possederunt locum, quo nihil potest esse moderatius: quibus rempublicam tuentibus, beatissimos esse populos necesse est, vacuos omni cura et cogitatione; aliis permisso otio suo, quibus id tuendum est, neque committendum, ut sua commoda populus negligi a principibus putet.

Cicer. rep. I. 34. (Rex.)

8.) Optimus civitatis status sub rege justo.

Senec. benef. II. 20.

9.) Num quidquam aequum est, gravius homini et durius imperari, quam imperatur animalibus mutis?

Senec. Clementia I. 16. (Tyrannus.)

10.) Micio. — Errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
Vi quod sit, quam illud, quod amicitia adjungitur.

Ter. Adelph. I. 1.

11.) Horum trium generum quodvis (sermo est de regiminum formis), si teneat illud vinculum, quod primum homines inter se reipublicae causa societate devinxit; non perfectum illud quidem, neque mea sententia optimum, sed tolerabile tamen, et aliud alio possit esse praestantius. Nam vel rex aequus ac sapiens; vel delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam id est minime probandum, tamen nullis in-

terjectis iniquitatibus aut cupiditatibus, posse videtur aliquo esse non incerto statu.

Cicer. de republica. I. 26.

Regnator.

1.) Quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium; tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tandem ista sunt, inquit Laelius? tum Scipio: patimini me, inquit, quoniam tertium diem jam feriati sumus — et caetera, quibus ad narrationem somnii venit, docens illa esse stabiliora et viridiora praemiorum genera, quae ipse vidisset in coelo bonis rerumpublicarum servata rectoribus.

Cicer. rep. VI. 8. (Virtus.)

2.) Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic huic moderatori reipublicae beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; hujus enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo.

Cicer. rep. V. 6.

3.) Tullius in libris de republica scripsit: scilicet principem civitatis gloria esse alendum, et tam diu stare rempublicam, quam diu ab omnibus honor principi exhiberetur.

Cicer. rep. V. 7.

4.) Omnino qui reipublicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio reipublicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam; ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cujusque videantur,

pauci universorum. Hinc apud Athenienses magnae discordiae; in nostra republica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia.

Cicer. off. I. 25.

5.) Iracundia vero omnibus in rebus repudianda est; optandumque, ut ii, qui praesunt reipublicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur.

Cicer. off. I. 25.

6.) Qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur; his nihil esse potest dementius, quamvis enim demersae sint leges alicujus opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen haec aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissae libertatis, quam retentae.

Cicer. Off. II. 7.

7.) Lucem redde tuae dux bone patriae.
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.

Hor. Od. IV. 5.

Regnum.

Hoc est regnum, nolle regnare, cum possis.

Senec. benef. III. 37.

Regulus.

M. Atilius Regulus cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset etc. usque ad finem capitis.

Cicer. Off. III. 26.

Religio.

1.) Heu, nihil invitis fas quemquam fidere divis!

Virg. Aen. II. 402.

2.) Numquam satis profectum erit, nisi, qualem debet, Deum mente conceperit (sc. homo), omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem.

Senec. epist. 95.

3.) Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est.

Senec. epist. 95.

4.) Vis Deos propitiare? Bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.

Senec. epist. 95.

5.) Pone deos et quae tangendo sacra profanas:
Non bene coelestes impia dextra colit.

Ovid. Heroid. Ep. 7.

6.) Graeciae, sicut apud nos, delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quae Persae nefaria putaverunt; eamque unam ob causam Xerxes inflammari Atheniensium fana jussisse dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus, inclusos parietibus contineri nefas esse duceret.

Cicer. rep. III. 9.

7.) Si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est, cultu deorum, multo superiores.

Cicer. nat. deor. II. 3. (Romani.)

8.) Cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo judicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis, religionique tribuamus. Est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut susceptis, anili superstitione obligemur!

Cicer. divin. I. 4. (Divinatio.)

9.) Omnia post religionem ponenda semper nostra civitas duxit: etiam in quibus summae majestatis conspici decus voluit. Qua propter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinae potentiae bene atque constanter fuissent famulata.

Val. Max. I. 1.

Religiositas.

Pythagoricus quidam emerat a sutora phaecasia, rem magnam, non praesentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus; et cum clausam diu

pulsaret, fuit, qui diceret: Quid perdis operam tuam? sutor ille, quem quaeris, elatus, combustus est. At philosophus noster tres aut quatuor denarios, non invita manu, domum retulit, subinde concutiens. Deinde cum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitam voluptatem, intelligens arrisisse sibi illud lucellum, redit ad eamdem tabernam, et ait: Ille tibi vivit; tu redde, quod debes. Deinde per clostrum, qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit ac misit, poenas a se exigens improbae cupiditatis, ne alieno adsuesceret.

Senec. benef. VII. 21.

Requies.

1.) Danda est remissio animis; meliores acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum; cito enim exhauriet illos numquam intermissa foecunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit.

Senec. tranquill. anim. 15.

2.) Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti, atque animo multo magis; nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute; et corpora quidem defatigatione, et exercitatione ingravescunt; animi autem exercitando levantur.

Cic. Sen. 11. (Animus. Labor.)

3.) Quod caret alterna requie, durabile non est;
Haec reparat vires, fessaque membra novat.

Ovid. Heroid. Ep. 4.

Res familiaris.

1.) Habenda autem est ratio rei familiaris; quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est: sed ita, ut illiberalitatis, avaritiaeque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus.

Cic. off. II. 18.

2.) Res familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo: conservari autem diligentia, et parsimonia; iisdem etiam rebus augeri.

Cic. off. II. 24.

5.) Res familiaris primum bene parata sit, nullo, neque turpi quaestu neque odioso; tum quam plurimis, modo dignis se utilem praebeat; deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia; nec libidini potius luxuriaeque, quam liberalitati et beneficentiae pateat.

Cic. off. I. 26. (Possessio.)

Res magnae.

1.) Par est, omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt.

Ciceronis orator caput I.

2.) Generosa res est, respicientem, non ad suae, sed ad naturae suae vires conari alta tentare, et mente majora concipere, quam quae etiam ingenti animo adornatis effici possint.

Senec. Vit. beat. 20.

3.) Quodsi deficiant vires audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.

Propert. II. 10. (Voluntas.)

4.) Studiorum salutarium, etiam citra effectum, laudanda tractatio est. Quid mirum, si non adscendunt in altum, ardua adgressi? sed viros suspice, etiam si decidunt, magna conantes.

Senec. Vit. beat. 20. (Studia.)

5.) Syrus. Non fit sine periclo facinus magnum et commemorabile.

Ter. Heaut. II. 3. (Periculum.)

6.) Magno animo de rebus magnis judicandum est, alioqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est.

Senec. ep. 71.

7.) Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet.

Cic. Sen. 6. (Senectus.)

Res necessariae.

Omnes, qui rempublicam gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quae sunt necessariae.

Cic. off. II. 21. (Regnator.)

Res parvae.

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Virg. Aen. IV. 382.

Respublica.

1.) Nunc fit illud Catonis certius, nec temporis unius, nec hominis esse constitutionem reipublicae.

Cic. rep. II. 21.

2.) Quod si legere, aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas, et restitutas reperietis.

Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?

Sic enim percontantur, ut est in Naevii poëtae Ludo: respondentur et alia, et haec in primis:

Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.
Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.

Cic. Sen. 6.

Resurrectio mortuorum.

Nonnulli nostri propter quoddam praeclarissimum loquendi genus et propter nonnulla, quae veraciter sensit, amantes Platonem, dicunt eum aliquid simile nobis (sc. Christianis; loquitur St. Augustinus) etiam de mortuorum resurrectione sensisse. Quod quidem sic tangit in libris de republica Tullius, ut eum lusisse potius, quam id, quod verum esset, adfirmet dicere voluisse. Inducit enim hominem revixisse et narrasse quaedam, quae platonicis disputationibus congruebant.

Cic. rep. VI. 4. (Plato.)

Reus.

— — — Si omnes uno ordine habetis Achivos;
Idque audire sat est; jam dudum sumite poenas.
Virg. Aen. II. 102.

Revelatio.

Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet, condetque nitentia.
Hor. epist. l. I. 6.

Reverentia.

Adhibenda est quaedam reverentia adversus homines, et optimi cujusque, et reliquorum.
Cic. off. I. 28. (Verecundia. Urbanitas. Humanitas.)

Rex.

1.) Justo quidem rege cum est populus orbatus, sicut ait Ennius post optimi regis obitum
Pectora dia tenet desiderium; simul inter
Sese sic memorant, o Romule, Romule die,
Qualem te patriae custodem dî genuerunt!
O pater! o genitor! o sanguen dîs oriundum!
Non heros nec dominos adpellabant eos, quibus juste paruerunt; denique ne reges quidem: sad patriae custodes, sed patres et deos. Nec sine causa. Quid enim adjungunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.
Vitam, honorem, decus sibi datum esse justitia regis existimabant.
Cic. rep. I. 41.

2.) Haud quidquam pulchrius existimo in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere.
Senec. lib. ad Marc. c. 4. (Venia.)

3.) Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, quibus ad communem salutem utatur; gloriosusque miles (publicae enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, ut parentis custos. At il-

lum acerbum et sanguinarium necesse graventur stipatores sui.

Senec. clementia I. 12. (Tyrannus.)

4.) Clementia non tantum honestiores sed tutiores praestat (sc. regnatores); ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus. Cum reges consenuerint, liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est. Quid interest inter tyrannum et regem? Species enim ipsa fortunae ac licentia par est, nisi quod tyranni voluptate saeviunt, reges nonnisi ex causa ac necessitate,

Senec. clementia. I. 11. (Tyrannus. Clementia.)

5.) Tyrannus a rege distat factis non nomine.

Senec. clementia I. 12. (Tyrannus.)

6.) Clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit, uterque licet, non minus armis valletur. Sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur; alter, ut magno timore magna odia compescat.

Senec. clementia I. 12. (Tyrannus.)

7.) Nostros motus pauci sentiunt; prodire nobis ac recedere, et mutare habitum sine sensu publico licet: tibi non magis, quam soli, latere contingit. Multa contra te lux est; omnium in istam conversi oculi sunt.

Senec. clem. I. 8.

8.) Nulla regi gloria est ex saeva animadversione; quis enim dubitat posse? at contra maxima, si vim suam continet.

Senec. clementia I. 17.

9.) At tibi rex, aevo, detur, fortissime nostro,
Semper honorata sceptra tenere manu!

Ovid. ex Ponto I. 8.

Risus.

— Risu inepto res ineptior nulla est.

Catul. 39.

Rixa.

1.) Non est in rixam colluctationemque veniendum; procul auferendi pedes sunt; et quidquid horum ab imprudentioribus fiet (fieri autem, nisi ab imprudentibus, non potest) negligendum.

Senec. constant. sapient. 19.

2.) Quis deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Catull. 40.

3.) — — — Clamore pari concurritur et vice teli
Saevit nuda manus: paucae sine vulnere malae;
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus.

Juven. Satyr. 15.

Robur.

Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus divellere conatus est. Quas arbor, excussis cuneis, in suam naturam revocata, compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris praebuit.

Val. Max. IX. 12.

Roma.

1.) — — — Inclyta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo.

Virg. Aen. Lib. VI. v. 782.

2.) Influxit enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem (nempe Romam), sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium.

Cic. rep. II. 19.

3.) Nihil est mundo melius in rerum natura. Ne in terris quidem urbe nostra.

Cicer. nat. deor. III. 9.

4.) Haec dî condiderunt, haec dî quoque moenia servant:
Vix timeat, salvo Caesare, Roma Jovem.

Prop. III. 11.

5.) Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Prop. III. 13.

Romani

1.) Mores et instituta vitae resque domesticas et familiares nos profecto et melius tuemur et lautius (sc. quam Graeci): rem vero publicam nostri majores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua quum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina.
Cicer. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 1.

2.) Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus;
Orabunt causas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.
Virg. Aen. Lib. VI. v. 848.

3.) Facile patior, non esse nos transmarinis nec importatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus.
Cic. rep. II. 15.

4.) Intelliges, non fortuito populum Romanum, sed consilio et disciplina confirmatum esse, nec tamen adversante fortuna.
Cic. rep. II. 16.

5.) Ante nostram memoriam, et mos ipse patrius praestantes viros adhibebat, et veterem morem ac majorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra vero aetas, cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed jam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus et extrema tamquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus poëta dixit (sc. Ennius) rem stare Romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignoren-

tur. Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero jam pridem amisimus.

Cic. rep. V. 1.

6.) Firmiter majores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt.

Cic. rep. VI. 2. (Matrimonium.)

7.) Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. At vero postea tot leges, et proximae quaeque duriores: tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum: tanta, sublatis legibus, et judiciis, expilatio, direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

Cic. Off. II. 21.

Rus.

1.) Vivere naturae si convenienter oportet,
Novistine locum potiorem rure beato?

Hor. epist. l. I. 10.

2.) — — — Istuc (rus) mens animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.

Hor. epist. l. I. 14.

3.) Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.

Hor. epist. l. I. 14.

Saga.

1.) Haec se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit; ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet Manes; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.

Virg. Aen. IV. 486.

2.) Hanc ego de coelo ducentem sidera vidi.
Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.
Haec cantu finditque solum, manesque sepulchris
Elicit et tepido devocat ossa rogo.
Jam tenet infernas magico stridore catervas,
Jam jubet adspersas lacte referre pedem.
Cum libet, haec tristi depellit nubila coelo;
Cum libet, aestivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
Sola feros Hecatae perdomuisse canes.
Tibull. I. 2.

Sales.

Salinatori, qui amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti, atque ita dicenti: Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti: Certe, inquit ridens (sc. Fabius): nam nisi tu amisisses, numquam recepissem.
Cic. Sen. 4.

Salus.

1.) Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium adventumque Dei. — — —
Virg. Aen. Lib. VIII. v. 200.

2.) Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura, tantumque amorem ad communem salutem defendendam datum, ut ea vis omnia blandimenta voluptatis otiique vicerit.
Cic. de republica. I. 1. (Virtus.)

3.) — — — Juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Virg. Aen. III. 282.

4.) — — Satis est gentem effugisse nefandam.
Virg. Aen. III. 653.

5.) — — — Sic me servavit Apollo!
Hor. satyr. l. I. 9.

6.) Jam fides, et pax, et honor, pudorque
Priscus et neglecta redire virtus
Audet; adparetque beata pleno.
Copia cornu. Hor. Epod. 18.

Sapiens.

1.) Statuere, qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis.

Cic. Academ. Quaest. IV. 3.

2.) Scire negatis quemquam rem ullam, nisi sapientem; et hoc quidem Zeno gestu conficiebat. Nam cum extensis digitis adversam manum ostenderat, »visum«, inquiebat, hujusmodi est; deinde, cum paullum digitos constrinxerat, »assensus« hujusmodi; tum cum plane compresserat, pugnumque fecerat, »comprehensionem« illam esse dicebat; qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν imposuit. Quum autem laevam manum admoverat et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, »scientiam« talem esse dicebat, cujus compotem, nisi sapientem, esse neminem. Sed qui sapiens sit aut fuerit, ne ipsi quidem solent dicere.

Cic. Academ. Quaest. IV. 47. (Scientia. Zeno.)

3.) — — — Quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati?

Horat. Satyr. L. II. 6.

4.) Epicurus ait: Sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, et ad me nil pertinet.

Sen. ep. 66. (Epicurus.)

5.) Sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere, nihil invitum: splendide, constanter, graviter, honeste omnia: nihil ita exspectare, quasi certo futurum; nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur: omnia ad suum arbitrium referre: suis stare judiciis.

Cic. Tusc. Quaest. V. 28.

6.) Quid supra eum potest esse, qui supra fortunam est?

Sen. brev. vit. 5.

7.) Sapientis multum patet vita; non idem illum, qui ceteros, terminus includit, solus generis humani legibus solvitur; omnia illi saecula, ut Deo, serviunt. Transivit tempus aliquod? hoc recordatione comprehendit; instat? hoc utitur; venturum est? hoc praeci-

pit. Longam illi vitam facit omnium temporum in unum collatio.

Sen. brev. vit. 15. (Vita.)

8.) Huic tu viro (sc. alicui sapienti), quas divitias objicies? quae imperia? quae regna? qui ista putat humana; sua bona divina judicat.

Cic. rep. III. 28.

9.) Ille, qui nullum non tempus in usus suos confert, qui omnes dies tamquam vitam ordinat, nec optat crastinum nec timet. Quid enim est, quod jam ulla hora novae voluptatis possit adferre? Omnia nota, omnia ad satietatem percepta sunt; de caetero fors fortuna, ut volet, ordinet: Vita jam in tuto est. Huic adjici potest, detrahi nihil.

Sen. brev. vit. 7. (Vita.)

10.) Non est, quod perperam exaudiatis, quae honeste, fortiter, animose a studiosis sapientiae dicuntur; et hoc primum attendite: aliud est studiosus sapientiae, aliud jam adeptus sapientiam.

Vit. beat. 24. (Vituperator.)

11.) Pusilla res est hominis anima, sed ingens res est contemtus animae. Hanc qui contemserit, securus videbit maria perturbari; etiam si illa omnes excitaverint venti, etiam si aestus aliqua perturbatione mundi totum in terras verterit oceanum. Securus adspiciet fulminantis coeli trucem et horridam faciem; frangatur licet coelum, et ignes suos in exitium omnium, imprimis suum, misceat. Securus adspiciet ruptis compagibus dehiscens solum. Illa licet inferorum regna retegantur, stabit supra illam voraginem intrepidus; et fortasse, quo debet cadere, desiliet.

Sen. Quaest. Natur. L. VI. 32. (Vitae contemtus.)

Sapientes.

1.) Qui septem appellantur, eos, qui ista subtilius quaerunt, in numero sapientium non habent.

Cic. Amic. 2.

2.) Nec ii, qui sapientes habiti sunt, et nominati, M. Cato, et C. Laelius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem; sed ex mediorum officiorum frequen-

tia similitudinem quandam gerebant, speciemque sapientum.

Cic. Off. III. 4.

Sapientia.

1.) Si maximum illud, ultra quod nihil habent iratae leges, aut saevissimi domini minantur, in quo imperium suum fortuna consumit, aequo placidoque animo accipimus, et scimus, mortem malum non esse: multo facilius alia tolerabimus, damna, dolores, ignominias, locorum commutationes, orbitates, discidia; quae sapientem, etiamsi universa circumveniant, non mergunt; nedum ad singulorum impulsus moereat. Et si fortunae injurias moderate fert, quanto magis hominum potentium, quos scit fortunae manus esse?

Senec. constant. Sapient. 8.

2.) Numquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Juvenal. Satyr. 14.

3.) Non Babylonios sapienti muros contuleris, quos Alexander intravit; non Carthaginis aut Numantiae moenia, una manu capta; non Capitolium arcemve; habent ista hostile vestigium. Illa, quae sapientem tuentur, a flamma et ab incursu tuta sunt, nullum introitum praebent, excelsa, inexpugnabilia, diis aequa.

Senec. constant. Sapient. 6.

4.) Invulnerabile est, non, quod feritur, sed quod non laeditur. Ex hac tibi nota sapientem exhibeo.

Senec. constant. Sapient. 3.

5.) Ut coelestia humanas manus effugiunt, et ab his, qui templa diruunt, aut simulacra conflant, nihil divinitati nocetur: ita, quidquid fit in sapientem proterve, petulanter, superbe, frustra tentatur.

Senec. constant. Sapient. 4.

6.) Sapienti non timide, nec pedetentim ambulandum est; tanta enim fiducia sui est, ut obviam fortunae ire non dubitet, nec umquam loco illi cessurus sit; nec habet, ubi illam timeat, qui non mancipia tantum, possessionesque, et dignitatem, sed corpus quo-

que suum, et oculos, et manum, et quidquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum inter precaria numerat, vivitque ut commodatus sibi, et reposcentibus sine tristitia redditurus.

Senec. tranquill. anim. 11.

7.) Ad sapientiam, quis accedit? quis dignam judicat, nisi quam in transitu noverit? Quis philosophiam, aut ullum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet?

Senec. Quaest. Natur. l. VII. c. 32. (Scientia. Studium.)

8.) Rebus angustis animosus, atque
Fortis adpere, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela. Horat. l. II. 10.

9.) Ex omnibus quaeritote. Sapientia jubet augere opes, amplificare divitias, proferre fines; (Unde enim potuisset (Alexander) summus ille imperator, qui in Asia olim (armis) fines imperii propagavit, nisi aliquid de alieno accessisset?); imperare quam plurimis; frui voluptatibus, pollere, regnare, dominari.

Cic. rep. III. 12.

10.) Non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non, quia necesse est, sequor.

Senec. epist. 96.

11.) Nimirum haec est illa praestans et divina sapientia, et praeceptas penitus et pertractatas humanas res habere; nihil admirari, cum acciderit; nihil, antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.

Cic. tusc. Quaest. III. 14.

12.) Par sibi in omni statu rerum, (sc. est sapiens) sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa ac difficilia.

Senec. epist. 111. (Tranquillitas.)

13.) Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.

Hor. epist. l. I. 3.

14.) Inter caetera, hoc habet boni sapientia; nemo ab altero potest vinci, nisi dum adscenditur. Dum ad

summum perveneris, paria sunt. Non est incremento locus; statur.

Senec. epist. 79.

15.) Quid est enim, per deos! optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur: nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae.

Cic. Off. II. 2. (Philosophia.)

16.) Sapientia autem est, (ut a veteribus philosophis definitum est) rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia, cujus studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio quaeritur animi, requiesque curarum: quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet, et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur: aut haec ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur.

Cic. Off. II. 2.

17.) Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subaerate mendosum tinniat auro?
Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis;
Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes;
Inque luto fixum possis transcendere nummum;
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Haec mea sunt, teneo, cum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, Praetoribus ac Jove dextro.

Persii. Satyr. 5.

18.) Sapiens fortunae dicit: Omnia licet facias, minor es, quam ut serenitatem meam obducas.

Sen. de Ira III. 25.

19.) Unum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc sapientiae, sublime, forte, magnanimum; cetera pusilla et puerilia sunt.

Senec. epist. 88.

20.) Virtutem solam probantem, et voluptates refugientem, et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem sapientem describit.

Seneca in Epist. 88.

21.) Hoc cogita, hunc esse sapientiae effectum, gaudii aequalitatem.

Sen. ep. 59. (Gaudium.)

22.) Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam; semper illic serenum est. Habes, quare velis sapiens esse: quia numquam sine gaudio est (scil. sapiens). Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi justus, nisi temperans.

Sen. ep. 59. (Gaudium.)

23.) Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Stultitia caruisse.

Hor. epist. l. I. 1.

24.) Ut stultitia, etsi adepta est, quod concupivit, numquam se tamen satis consequutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam umquam sui poenitet.

Cic. Tusc. Quaest. V. 18. (Stultitia.)

25.) Sapiens ille est, qui plenus gaudio, hilaris et placidus, inconcussus cum diis ex pari vivit. Nunc ipse te consule: si numquam moestus es, nulla spes animum tuum futuri expectatione sollicitat, si per dies noctesque par et aequalis animi tenor erecti et placentis sibi est: pervenisti ad humani boni summam.

Sen. ep. 59. (Bonum.)

26.) Nihil invitus facit sapiens; necessitatem effugit; quia vult, quod ipsa coactura est.

Sen. ep. 54. (Necessitas.)

Satyra.

Difficile est Satyram non scribere.

Juvenalis Satyr. 1.

Satyricum.

1.) — — — — Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Hor. satyr. l. 1. 10. (Ridiculum.)

2.) — — — — Hic nigrae succus loliginis, haec est
Aerugo mera.
Hor. satyr. l. I. 4.

Satyricus.

1.) — — — — — — Dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.
Hor. satyr. l. I. 4.

2.) Is, quodcumque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire, lacuque,
Et pueros et anus.
Hor. satyr. l. I. 4.

Scelera.

1.) Si tantum irasci vis sapientêm, quantum scelerum indignitas exigit; non irascendum illi, sed insaniendum est.
Senec. de ira l. II. 9.

2.) — — — — Quis
Peccundi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio?
Juvenal. Satyr. 13.

3.) Non prodest latere peccantibus, quia latendi etiam si felicitatem habent, fiduciam non habent. Ita est: tuta scelera esse possunt; secura non possunt.
Senec. epist. 97.

Scelerati.

1.) Ad summam, sapiens eris, si clauseris aures; quibus ceram parum est obdere; firmiori spissamento

opus est, quam usum in sociis Ulyssem ferunt. Illa vox, quae timebatur, erat blanda, non tamen publica; at haec, quae timenda est, non ex uno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat.

Sen. ep. 31. (Corruptio.)

2.) Conciliari, nisi turpi ratione, amor turpium non potest.

Sen. ep. 29.

Scelesti.

Si genus humanum, et mortalia temnitis arma:
At sperate deos, memores fandi atque nefandi.

Virg. Aen. I. 542. (Admonitio.)

Scelestus.

Jam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas nec mensae tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo; sed vina misellus
Exspuit; Albani veteris pretiosa senectus
Displicet.

Juvenal. Sat. 13.

Scelus.

1.) Quidquid non oportet, scelus esse; quidquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne in minibus rebus? etiam: si quidem rerum modum fingere non possumus, animorum modum tenere possumus.

Cic. Parad. III.

2.) Omnia scelera, etiam ante effectum operis, quantum culpae satis est, perfecta sunt.

Senec. constant. Sapient. 7.

3.) Etenim si nemo est, quin emori malit, quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis figura, animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore.

Cic. rep. IV. 1.

4.) Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.

Senec. epist. 87.

Sceptrum.

Est aliquid valida sceptra tenere manu.

Ovid. remed. am.

Schola.

Cum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est.

Cic. Off. III. 2.

Scientia.

Veniet tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahat, et longioris aevi diligentia.

Senec. Quaest. Natur. l. VII. c. 25.

(Posteritas. Scire mancum.)

Scientiae.

1.) Disce, sed a doctis: indoctos ipse doceto;
Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum.

Cat. Dist. IV. 23.

2.) Ne pudeat, quae nescieris, te velle doceri;
Scire aliquid laus est, culpa est, nil discere velle.

Cat. Dist. IV. 29.

3.) Tamdiu discendum est, quamdiu nescias; et si proverbio credimus, quamdiu vivas.

Sen. ep. 76.

4.) Unus dies hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima aetas.

Senec. epist. 78.

Scire mancum.

1.) Quid? e philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda?

Cic. tusc. Quaest. III. 28.

2.) Ex me quaesieras, nonne putarem post illos veteres, tot saeculis inveniri verum potuisse, tot ingeniis tantisque studiis quaerentibus. Quid inventum sit, paullo post videro, te ipso quoque judice.

Cic. Academ. Quaest. IV. 24. (Scrutatio. Veritas.)

3.) Jam ante Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem omnes paene veteres nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt; angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, et (ut Democritus) in profundo veritatem esse demersam: opinionibus et institutis omnia teneri; nihil veritati relinqui; deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. Itaque Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset. Sic omnia latere censebant in occulto; neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi possit: quibus de causis nihil oportere neque profiteri neque adfirmare quemquam, neque adsensione adprobare; cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem, quae tum esset insignis, cum aut falsa aut incognita res adprobaretur; neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem adprobationemque praecurrere.

Cic. Academ. Quaest. I. 12.

Scribere.

1.) Scribendi recte sapere est et principium et fons.

Hor. Pis. 309.

2.) Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio.

Ciceronis Brutus 24. (Scriptio.)

Scripta.

1.) Scripta placent a morte fere, quia laedere vivos
Livor, et injusto carpere dente solet.

Ovid. ex Ponto III. 4.

2.) Saepe valens odii litera causa fuit.

Ovid. ars am. I. (Satyricum.)

Scriptor.

1.) — — — — — — — Tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, et aegro in corde senescit.
Juvenalis Satyr. 7.

2.) Claude, et positos tinea pertunde libellos;
Spes nulla ulterior.
Juvenalis Satyr. 7.

3.) Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos.
Juvenalis Satyr. 7.

4.) Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere sulcos
Ducimus, et litus sterili versamus aratro.
Juvenal. Satyr. 7.

5.) — — Stulta est clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras periturae parcere chartae.
Juvenalis Satyr. 1.

6.) — — — Si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat judicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum.
Hor. Pis. 386.

7.) — — — Delere licebit,
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.
Hor. Pis. 388.

8.) Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero adripuit, tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.
Hor. Pison. 474.

9.) — — — Quae
Desperat tractata nitescere posse; relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Hor. Pis. 149.

Scriptores.

Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes,
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra.
Hor. epist. l. II. 2.

Scriptores mali.

Ridentur, mala qui componunt carmina; verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati.
Hor. epist. l. II. 2.

Scrutatio.

1.) Me quidem, omnesque avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat.
Cic. de republica I. 13.

2.) Mehercules, si hoc totis membris premeremus, si in hoc juventus sobria incumberet, hoc majores docerent, hoc minores addiscerent, vix ad fundum veniretur: — in quo veritas posita est; quam nunc in summa terra et levi manu quaerimus.
Senec. Quaest. Natur. l. VII. 32. (Veritas.)

3.) Imprimis hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere; cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex, sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta est adpetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, nisi praecipienti aut docenti, aut utilitatis causa juste et legitime imperanti; ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contemtio.
Cic. off. I. 4. (Veritas. Libertas. Sincerites.)

Secessus.

Multi autem et sunt et fuerunt, qui tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerint ad otiumque perfugerint. In his et nobilissimi philosophi longeque principes, et quidam homines severi et graves, nec populi nec principum mores ferre potuerunt; vixeruntque nonnulli in agris, delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, quod regibus: ut ne qua re

egerent, nec cui parerent, libertate uterentur; — cujus proprium est, sic vivere, ut velis.

Cic. off. I. 20. (Otium.)

Senectus,

1.) Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit; quod propter studium cum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus est, at, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet: sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse judicibus, quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur? Quo recitato, sententiis judicum est liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romae vidistis, Diogenem Stoicum, coëgit suis studiis obmutescere senectus? an non in omnibus iis studiorum agitatio, vitae aequalis fuit? Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos vicinos, et familiares meos (loquitur Cato) quibus absentibus, numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus.

Cic. Sen. 7. (Sophocles.)

2.) Senectus autem, peractio aetatis est tamquam fabulae: cujus defatigationem fugere debemus, praesertim adjuncta satietate.

Cic. Sen. 23.

3.) Senectuti juventus ita cumulatum et circumspectum honorem reddebat, tanquam majores natu adolescentium communes patres essent.

Val. Max. II. 1. (Modestia)

4.) Omnium istius modi querelarum (de senectute scil) in moribus est culpa, non in aetate; moderati enim, et nec difficiles, nec inhumani senes, tolerabi-

lem agunt senectutem: importunitas autem, et inhumanitas omni aetati molesta est.

Cic. Sen. 3.

5.) Aedepol senectus (canit Statius), si nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cum advenis; unum id sat est,
Quod diu vivendo, multa, quae non vult, videt.

Cic. Sen. 8.

6.) Etenim, cum contemplor animo, reperio quatuor causas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmius: tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus: quartam, quod haud procul absit a morte.

Cic. Sen. 5.

7.) Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt iis, qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant; ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus; non faciat ea, quae juvenes: at vero multo majora et meliora facit.

Cic. Sen. 6.

8.) Quae (sc. Senectus) plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere.

Cic. Sen. 2.

9.) Quibus nihil opis est in ipsis ad bene, beateque vivendum, iis omnis gravis est aetas: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturae necessitas afferat.

Cic Sen. 2. (Beatus.)

10.) Quam ut adipiscantur, omnes optant: eandem accusant adepti: tanta est inconstantia stultitiae, atque perversitas. Obrepere, ajunt, eam citius, quam putassent. Primum, quis coëgit eos falsum putare? quid enim, citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit? deinde, qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum?

Cic. Sen. 2.

11.) Si sapientiam meam admirari soletis, in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tamquam deum, sequimur, eique paremus (loquitur Cato)

a qua non verisimile est, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum, tamquam ab inerti poëta esse neglectum.

Cic. Sen. 2.

12.) Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo; quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit.

Cic. Sen. 11.

13.) Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O praeclarum munus aetatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum!

Cic. Sen. 12. (Voluptas.)

14.) Caret epulis (sc. senectus) exstructisque mensis, et frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentia, et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis non facile obsistimus (divine enim Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces) quamquam immoderatis epulis careat senectus, modicis tamen conviviis delectari potest.

Cic. Sen. 13. (Voluptas.)

15.) Senectus est natura loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare.

Cic. Sen. 16.

16.) Quorsum haec? ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quae efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret.

Cic. Sen. 12. (Voluptas.)

17.) Tum equidem (canit Statius) in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire, ea aetate esse se odiosum alteri.

Cic. Sen. 8.

18.) Bene Sophocles, cum ex eo quidam, jam affecto aetate, quaereret, utereturne rebus venereis: Dii meliora, inquit; libenter vero istinc, tamquam a

domino agresti, ac furioso profugi. Cupidis enim rerum talium, odiosum, et molestum est fortasse carere; satiatis vero, et expletis, jucundius est carere, quam frui.

Cic. Sen. 14. (Sophocles. Voluptas.)

19.) At illa quanti sunt, animum, tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentiones, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque (ut dicitur) vivere? si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius. Mori paene videbamus in studio dimetiundi coeli atque terrae C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane coepisset? quam delectabat eum, defectiones solis, et lunae multo nobis ante praedicere? Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Naevius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium: qui cum sex annos ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone, Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate. Quid de P. Licinii Crassi et pontificii, et civilis juris studio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte Suadae medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem? Quae sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrinae, quae quidem prudentibus, et bene institutis pariter cum aetate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa indies addiscentem: qua voluptate animi nulla certe petest esse major.

Cic. Sen. 14. (Senes. Studia.)

20.) Jura senes norint; et quid liceatque, nefasque
Fasque sit, inquirant, legumque examina servent.

Ovid. Metamorph IX. 550.

21.) Severitatem in senectute probo, sed eam (sicut alia) modicam: acerbitatem nullo modo: avaritia vero

senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quam, quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere?

Cic. Sen. 18.

22.) Dum nova canities, dum prima et recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.

Juvenalis Satyr. 3.

23.) Plurima sunt juvenum discrimina; pulchrior ille
Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo:
Una senum facies.

Juv. Satyr. 10.

24.) Haec data poena diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo moerore, et nigra veste senescant.

Juv. Satyr. 10.

25.) — — — — — — Non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus, habet; seris venit usus ab annis.

Ovid. Metamorph. VI. 28. (Usus.)

26.) Chremes. Senectus ipsa est morbus.

Terent. Phorm. IV. 1.

27.) Magna fuit quondam capitis reverentia cani;
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Ovid. fast. l. V.

28.) Verba quis auderet coram sine digna pudore
Dicere? censuram longa senecta dabat.

Ovid. fast. l. V.

29.) Non est, quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse; non enim ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim? si illum multum putes navigasse, quem saeva tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per eadem spatia in orbem egit? Non ille multum navigavit, sed multum jactatus est.

Sen. brev. vit. 8. (Vita.)

Senes.

1.) At sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes; si quaerimus, etiam avari. Sed haec morum vitia sunt, non senectutis. Ac morositas tamen, et ea vitia, quae dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem justae, sed quae probari posse videatur, contemni se putant, despici, illudi; praeterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est; quae tamen omnia dulciora sunt et moribus bonis, et artibus: idque tum in vita, tum in scena intelligi potest ex iis fratribus, qui in Adelphis sunt: quanta in altero duritas; in altero comitas!

Cic. Sen. 18.

2.) Consilium, ratio, sententia, nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri adpellassent Senatum.

Cic. Sen. 6.

3) Mens enim, et ratio, et consilium, in senibus est; qui si nulli fuissent, nullae omnino civitates essent.

Cic. Sen. 19. (Civitas.)

4.) Ut petulantia, ut libido, magis est adolescentium, quam senum, nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia (quae deliratio appellari solet) senum levium est, non omnium.

Cic. Sen. 11.

Senex.

1.) Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere.

Cic. Sen. 7.

2.) Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa, quae faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non adscendere; cum equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit: summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exequi omnia regis officia, et munera. Potest igitur exercitatio, et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

Cic. Sen. 10.

3.) Multorum quum facta senex et dicta recenses,
Fac tibi succurrant, juvenis quae feceris ipse.
Cat. Dist. I. 16.

4.) Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, pavidusque futuri;
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorque minorum.
Hor. Pis. 169.

Sensus.

1.) Sensuum ita clara judicia et certa sunt, ut, si optio naturae nostrae detur, et ab ea Deus aliquis requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam, quid quaeras amplius.

Cic. Academ. Quest. IV. 7.

2.) Si quis Deus te interroget sanis modo et integris sensibus num amplius quid desideras? quid respondeas? Utinam quidem roget! audiat, quam nobiscum male egerit; ut enim vera videamus, quam longe videbimus? Responderem igitur audacter isti vestro Deo, me plane his oculis non esse contentum.

Cic. Academ. Quaest. IV. 25.

3.) Ille sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas ejusdem quanta sit ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videtur.

Cic. Academ. Quaest. IV. 26. (Sol.)

4.) Quis vero opifex, praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam sollertiam persequi potuisset in sensibus?

Cic. nat. deor. II. 57.

5.) Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tamquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti, et collocati sunt. Nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Item-

que nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: et quod cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris adpulsus sentire possemus; atque ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario taetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit a sensibus.

Cic. nat. deor. II 56.

Sententia.

Quot capitum vivunt, totidem studiorum — Millia.
Hor. Satyr. I. II. 1. (Judicium. Discrimen.)

Seria.

Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
Hor. Satyr. I. I. 1.

Sermo.

1.) Perspicito tecum tacitus, quid quisque loquatur,
Sermo hominum mores et celat et indicat idem.
Cat. Dist. IV. 20.

2.) Sit igitur sermo lenis minimeque pertinax; insit in eo lepos. Nec vero tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios; sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem. In primisque provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus; quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut severe, maledice, contumelioseque dicitur.

Cic. off. I. 37. (Decentia. Urbanitas. Humanitas.)

3.) Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat; et ut incipiendi ratio fuerit; ita sit desinendi modus.

Cic. off. I. 37. (Decentia.)

4.) Sed quomodo in omni vita rectissime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic ejusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid adpareat.

Cic. off. I. 38. (Decentia.)

5.) Maxime curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus, et vereri et diligere videamur.

Cic. off. I. 38. (Decentia. Urbanitas.)

Sero.

1.) — — — — — Galeatum sero duelli
Poenitet.

Juvenalis Satyr. 1.

2.) — — Cineri nunc medicina datur.

Prop. II. 14.

Servatio.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.

Hor. Pis. 467.

Servitus.

1.) Sibi servire, gravissima servitus est.

Senec. quaest. natural. III. praef.

2.) Relinquat oportet securi aliquid metus multoque plus spei, quam periculorum ostendet; alioquin ubi quiescenti paria metuuntur, incurrere in pericula juvat, et aliena anima abuti.

Senec. clementia I. 12. (Tyrannis.)

3.) Est enim genus injustae servitutis, quum hi sunt alterius, qui sui possunt esse; cum autem hi famulantur, qui sibi moderari nequeunt, nulla injuria est.

Cic. rep. III. 25.

4.) Nulla servitus turpior est, quam volutaria.

Sen. ep. 47.

5.) Liber ego: unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
Persii. Satyr. 5.

6.) Nemo liber est, qui corpori servit.
Senec. epist. 92.

Severitas.

Prope est, ut libenter damnet, qui cito; prope, ut inique puniat, qui nimis.
Senec. clementia. I. 14. (Poena.)

Sidera.

1.) Felices animos, quibus haec (sidera sc.) cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Ovid. fast. l. I. (Astronomia.)

2.) Jam vero circuitus solis et lunae, reliquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus praebent: nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, et ad rationem sollertiamque praestantior: eorum enim cursus dimetati, maturitates temporum, et varietates mutationesque cognovimus; quae si hominibus solis nota sunt, hominum facta esse causa judicanda sunt.
Cic. nat. deor. II. 62.

Simplicitas.

Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? Num esuriens fastidis omnia, praeter
Pavonem, rhombumque?
Hor. satyr. l. I. 2. (Frugalitas.)

Simulatio.

1.) Nec, ut emat melius, nec, ut vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus.

Cic. Off. III. 15. (Mercator.)

2.) Totius autem injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.

Cic. off. I. 13.

3.) Hei mihi! difficile est, imitari gaudia falsa;
Difficile est tristi fingere mente jocum.

Tibullus. III. 6.

4.) Nemo potest personam diu ferre: ficta cito in naturam suam recidunt. Quibus veritas subest, quaeque, ut ita dicam, ex solido enascuntur, tempore ipso in majus meliusque procedunt.

Senec. de clem. l. I. c. 1. (Veritas.)

Societas.

1.) Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum: si quis in caelum ascendisset, naturamque mundi, et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore; quae jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum annititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

Cic. Amic. 23. (Solitudo.)

2.) Si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam, et copiam hominis omnio adspiciendi potestatem eriperet: quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo?

Cic. Amic. 23. (Solitudo.)

3.) Hoc est salutare, non conversari dissimilibus et diversa cupientibus.

Senec. ep. 32.

4.) Duas res natura dedit homini, quae illum obnoxium caeteris validissimum facerent: rationem et societatem. Itaque, qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur.

Senec. benef. IV. 18.

5.) Societas illi (homini) dominium omnium animalium dedit, societas terris genitum, in alienae naturae transmisit imperium, et dominari etiam in mare jussit. Haec morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit; haec fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare (scl. alios).

Senec. benef. IV. 18.

6.) Magna pars sanitatis est, hortatores insaniae reliquisse, et ex coetu isto invicem noxio procul abiisse.

Senec. epist. 94.

7.) Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio.

Senec. epist. 94.

8.) Odi profanum vulgus et arceo!

Hor. Od. l. III. 1.

9.) Sumuntur a conversantibus mores; et ut quaedam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit.

Senec. de Ira III. 8. (Contagio.)

10.) Ea ratio virtutum est, ut omne, quod secum habent, mitigent; nec tam valetudini profuit utilis regio et salubrius coelum, quam animis parum firmis, in turba meliore versari.

Senec. de Ira III. 8.

Socius.

1.) Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus:
Seu pacem, seu bella geram; tibi maxuma rerum
Verborumque fides. — — — — IX.

Virg. Aen. l. IX v. 278.

2.) Ille, meum comitatus iter, maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas coelique ferebat.

Virg. Aen. Lib. VI. v. 112.

3.) — — — — — Jam pectore toto
Accipio, et comitem casus complector in omnis.
Virg. Aen. l. IX. v. 276.

4.) Quin etiam si quis ea asperitate est, immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suae.
Cic. Amic. 23.

Socrates.

Haec est enim, ut scis, vetus et Socratica ratio, contra alterius opinionem differendi. Nam ita facillime, quid verisimillimium esset, inveniri posse Socrates arbitrabatur.
Cic. Tusc. quaest. l. I. c. 4.

Solamen.

1.) Nec fera tempestas toto tamen horret in anno:
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.
Ovid. fast. l. I.

2.) Rem pateris modicam, et mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina,
Juvenal. Sat. 13.

3.) Non si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo. Horat. l. II. 10.

4.) Unus est hujus vitae fluctuantis et turbidae portus: eventura contemnere, stare fidenter, aperte tela fortunae adverso pectore excipere, non latitantem, non tergiversantem.
Senec. epist. 104.

Solatium.

1.) Mihi quidem (loquitur Laelius) Scipio, quamquam est subito ereptus, vivit tamen, semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quae exstincta non est.
Cic. Amic. 27. (Virtus.)

2.) Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sint.

Cic. Amic. 27.

3.) — — — — Mitte hanc de pectore curam.

Virg. Aen. lib. VI. v. 85.

4.) — — — Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrymae rerum; et mentem mortalia tangunt.
Solve metus: feret haec aliquam tibi fama salutem.

Virg. Aen. I. 462.

5.) O passi graviora; dabit Deus his quoque finem.

Virg. Aen. I. 199.

6.) — — Revocate animos, moestumque timorem
Mittite. Forsan et haec olim meminisse juvabit.

Virg. Aen. I. 202.

7.) Durate, et vosmet rebus servate secundis.

Virg. Aen. I. 207.

8.) Conjice te intro, ac bono animo es.

Lucil.

9.) Est tarda quidem illa medicina, sed tamen magna, quam adfert longinquitas et dies.

Cic. tusc. quaest. III. 16. (Tempus.)

10.) Aufert vim praesentibus malis, qui futura prospexit.

Senec. lib. ad. Marc. c. 9.

11.) In hoc uno (sc. in quodam caro amico) tibi satis praesidii, satis solatii est.

Senec. lib. ad Polyb. c. 31. (Amicus.)

12.) Malivoli solatii genus est turba miserorum.

Senec. lib. ad Marc. c. 12.

13.) Non putavi futurum. Quidquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri, quod multis vides evenisse? Egregium versum et dignum audivi; est enim e populo: »Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.«

Senec. lib. ad. Marc. 9.

14.) Quaerenda sunt trepidis solatia, et demendus ingens timor.

Senec. Quaest. natural. VI. 1. (Timor.)

15.) Crede mihi miseris coelestia numina parcunt,
Nec semper laesos et sine fine premunt.
Ovid. ex Ponto III, 6.

16.) Illo te duco, quo omnibus, qui fortunam fugiunt, confugiendum est: ad liberalia studia. Illa sanabunt vulnus tuum; illa omnem tristitiam tibi evellent.
Senec. ad Helv. matr. de consol. cap. 16. (Studia.)

17.) Dolori tuo, dum recens saeviret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, et accenderent; nam in morbis quoque nihil est perniciosius, quam immatura medicina.
Senec. ad Helv. matr. de consol. cap. 1.

18.) Chremes. — — — Istuc quidquid est, fac me ut sciam.
Ne retice; ne verere; crede, inquam, mihi.
Aut consolando aut consilio aut re juvero.
Ter. Heaut. I, 1. (Sympathia.)

Solis defectio.

Hac in re tanta inest ratio atque solertia, ut ex hoc die, quem apud Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superiores solis defectiones reputatae sint usque ad illam, quae nonis quinctilibus fuit regnante Romulo; quibus quidem Romulum tenebris etiamsi natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in coelum dicitur sustulisse.
Cic. de republ. I, 16.

Sollicitudo.

1.) Juncta salus nostra est; miserere meique tuique.
Ovid. Heroid. ep. 20. (Precatio.)

2.) Nos sumus incertae, nos anxius omnia cogit,
Quae possunt fieri, facta putare timor.
Ovid. Heroid. ep. 13.

3.) Non agitur de me; cura majore laboro:
Anxia sunt vitae pectora nostra tuae.
Ovid. Heroid. ep. 20. (Sympathia.)

4.) Quid timeam, ignoro: timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.
Ovid. Heroid. Ep. 1.

Somnia.

1.) Non video, quid praecipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris. Quod si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent, quae somniarent: alligandi omnes essent, qui cubitum irent; majores enim, quam ulli insani efficerent motus somniantes.
Cic. div. II. 59.

2.) Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Quum pia venerunt somnia, pondus habent.
Prop. IV. 7.

3.) Haec Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.
Tibull. III. 4.

4.) Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quae tulit extrema pessima nocte quies.
Tibull. III 4.

5.) Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Somnium.

1.) Est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum: vidisse se in somnis pulcritudine eximia faeminam, quae se nomine appellans diceret Homericum quendam ejusmodi versum:

Tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

Quod ut est dictum, sic scribitur contigisse.
Cic. divin. I. 25. (Socrates.)

2.) Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim: Cum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque jactari; itaque huic omnia visa objiciuntur, a mente ac ra-

tione vacua: ut aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quovis alio vel homine, vel deo, saepe belua; atque etiam trucidare aliquem, et impie cruentari, multaque facere impure, atque taetre, cum temeritate et impudentia. At qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis: eaque parte animi, quae voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti (quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippiam, sive abundat, atque affluit), illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat, et se vegetam ad somniandum acremque praebeat: tum et visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. Haec verba ipsa Platonis expressi.

Cic. divin. I. 29. (Plato.)

3.) Quid? singulari vir ingenio Aristoteles, et paene divino, ipsene errat, an alios vult errare? cum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore, ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim, scribit Aristoteles, consecuta; et convaluisse Eudemum; et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium interpretatum, ut cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.

Cic. divin. I. 25. (Aristoteles.)

4.) Adjungamus philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem divinum, Sophoclem: qui, cum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in

somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille, iterumque neglexit, ubi idem saepius, ascendit in Areopagum: detulit rem. Ariopagitae comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quaestione adhibita, confessus est, pateramque retulit. Quo facto, fanum illud Indicis Herculis nominatum est.

Cic. divin. I. 25.

5.) Quid? illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide: qui cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat: si navigasset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem rediisse: periisse ceteros, qui tum navigassent. Alterum ita traditum, clarum admodum somnium. Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse; ad hospitem, alterum; qui ut coenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio surrexisse: dein cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum; petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum, mane bubulco praesto ad portam fuisse; quaesisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse: caupooem, re patefacta, poenas dedisse. Quid hoc somnio dici divinius potest?

Cic. divin. I. 27. 28.

6.) Hannibalem Caelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laciniae, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse: cumque solidam invenisset, statuissetque tollere; ei secundum quietem visam

esse Junonem praedicere, ne id faceret, minarique, si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret: idque ab homine acuto non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, et eam in summa columna collocavisse.

Cic. divin. I. 24.

7.) Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in somnis simulacra deorum, quae ipse Phalaris domi consecravisset: ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere; qui cum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit.

Cic. divin. I. 23.

8.) Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem, cum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se postridie coenaturum Syracusis: cum autem is dies illuxisset, magnam seditonem in castris ejus inter Poenos et Siculos milites esse factam: quod cum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit.

Cic. divin. I. 24.

9.) Somnia ne cures; nam mens humana quod optans,
Dum vigilat, sperat, per somnum cernit id ipsum.

Cat. Dist. II. 31.

10.) Xenophon Socraticus, (qui vir et quantus!) in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia, quorum eventus mirabiles exstiterunt. Mentiri Xenophontem, an delirare dicemus?

Cic. divin. I. 25. (Xenophon).

Somnus.

1.) Sunt geminae Somni portae; quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus Umbris:

Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.
Virg. Aen. lib. VI. v. 894.

2.) Cum est somno sevocatus animus a societate, et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet; jacet enim corpus dormientis, ut mortui: viget autem, et vivit animus; quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit.

Cic. divin. I. 30.

3.) Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Ovid. Amor. II. 9.

4.) Plus vigila semper, nec somno deditus esto;
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.
Cat. Dist. I. 2.

5.) Somne, quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, te cura fugit, tu corda diurnis
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.
Ovid. Metamor. XI. 624.

Sophista.

De ineptiis Sophistarum in epistola 48. Senecae.

Sophocles.

Sophocles, ultimae jam senectutis, cum in certamen tragoediam dimisisset, ancipiti sententiarum eventu diu solicitus, aliquando tamen una sententia victor, caussam mortis gaudium habuit.

Val. Max. IX. 12.

Sors.

1.) O duram Lachesim, quae tam grave sidus habenti
Fila dedit vitae non breviora meae!
Ovid. trist. V. 11. (Calamitas.)

2.) Nostra per adversas agitur fortuna procellas,
Sorte nec ulla mea tristior esse potest.
Ovid. trist. V. 13. (Calamitas.)

Spes.

1.) — — Spes sibi quisque. — —
Virg. Aen. Lib. XI. 309.

2.) Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quae magno foenore reddat ager.
Tibull. II. 6.

3.) Spes etiam valida solatur compede vinctum;
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Tibull. II. 6.

4.) Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum;
Illa quidem fallax, sed tamen apta dea est.
Ovid. ars am. I.

5.) — — — Spes pascis inanis.
Virg. Aen. lib. X. v. 627.

6.) Fallitur augurio spes bona saepe suo.
Ovid. Heroid. ep. 17.

7.) Quaecumque ex merito spes venit, aequa venit.
Ovid. Heroid. ep. 2.

8.) Sannio. — — Ego spem pretio non emo.
Ter. Adelph. II. 2.

9.) Saepe Jovis telo quercus adusta viret.
Ovid. Trist. IV. 9. (Solatium.)

10.) Spesque timorque animum versat utroque meum.
Prop. III. 17. (Timor.)

11.) Haec dea (spes), cum fugerent sceleratas numina terras,
In Dîs invisa sola remansit humo.
Ovid. ex Ponto. I. 6.

12.) Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Ovid. ex Ponto. I. 6.

Spoliatio.

1.) Sibi ut quisque malit, quod ad usum vitae pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Neque vero hoc solum natura, id est, jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus respublica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri.

Cic. Off. III. 5.

2) Hoc enim spectant leges, hoc volunt; incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinculis, damno coërcent: atque hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio, quae est lex divina, et humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere) numquam committet, ut alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat.

Cic. Off. III. 5.

3.) Detrahere autem alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis ejusdem.

Cic. Off. III. 5.

4.) Intelligitur, quoniam juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscientia, nec ulla pernicies vitae major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae.

Cic. Off. III. 17. (Fraus.)

5.) Detrahere aliquid alteri, et hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, et societatem; si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem.

Cic. Off. III. 5.

6.) Ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret, se valere, si proximi mem-

bri valetudinem ad se traduxisset; debilitari, et interire totum corpus necesse est: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque quod cuique possit, emolumenti sui gratia; societas hominum, et communitas evertatnr necesse est.

Cic. Off. III. 5.

Stimulatio.

Quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor est potius, quam voluptas) tantum, fac ut efficias: neve committas, ut cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi (loquitur Cicero ad filium suum) defuisse videare.

Cic. Off. III. 2. (Admonitio. Diligentia.)

Stoici.

Et sapiens (loquitur Stoicus) a principio mundus, et deus habendus est. Neque enim est quidquam aliud praeter mundum, cui nihil absit: quodque undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus.

Cic. nat. deor. II. 13. (Mundus.)

Stoliditas.

Ante pedes caecis lucebat semita nobis.

Prop. II. 14.

Studia.

Neque enim omnes iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur.

Cic. off. I. 37. (Diversitas. Vota.)

Studium.

Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum;
Tempus et assueta ponere in arte juvat.

Ovid. ex Ponto. I. 5.

Stulti.

Omnes stulti sunt sine dubio miserrimi: maxime quod stulti sunt: miserius enim stultitia quid possumus dicere?

Cic. nat. deor. I. 9.

Stultitia.

1.) Tardis enim mentibus virtus non facile comitatur.

Cic. Tusc. quaest. V. 24. (Virtus.)

2.) Stultitia, consensu omnium philosophorum, majus est malum, quam si omnia mala et fortunae et corporis ex altera parte ponantur.

Cic. nat. deor. III. 32.

3.) — Vivendi recte qui prorogat horam,
Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.

Hor. epist. l. I. 2.

4.) Pro Superi, quantum mortalia pectora coecae
Noctis habent!

Ovid. Metamorph. VI. 473.

5.) Stultitia morbus est animi.

Senec. benef. VII. 16.

6.) Est proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

Cic. tusc. quaest. III. 30. (Vitia. Vituperatio.)

7.) Vim mali significantes poëtae impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt,

»Ob scelera, animique impotentiam et superbiloquentiam.« Ea communis poena stultitiae est; omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, semper aliquid, aliis dolor, aliis terror impendet.

Cic. tusc. quaest. IV. 16.

Stultus.

1.) Non Praetoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia atque usum rapidae permittere vitae:
Sambucam citius caloni aptaveris alto.

Persii Satyr. 5.

2.) — — — — Nullo thure litabis,
Haereat in stultis brevis ut semiuncia recti.
Persii Satyr. 5.

3.) Boeotum in crasso jurares aëre natum!
Hor. epist. l. II. 1.

Subditi.

Sic cum inferiore vivas, quem admodum tecum superiorem velles vivere.

Senec. ep. 47.

Successus.

1.) — — — Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Jupiter omnibus idem.
Virg. Aen. X. 111.

2.) Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.
Virg. Aen. l. V. 231.

3.) Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Trajectae syrtes, anchora jacta mihi est.
Prop. III. 24.

4.) Flebile principium melior fortuna sequetur.
Ovid. Metamorph. VII. 518.

Suffragium.

Cum nihil tam incorruptum esse debeat in republica, quam suffragium, quam sententia; non intelligo, cur, qui ea pecunia corruperit, poena dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat? Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.

Cic. rep. V. 8. (Corruptela.)

Summum bonum.

Qui summum bonum constituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque suis commodis, non honestate metitur: hic, si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam

colere possit, nec justitiam nec liberalitatem. Fortis vero, dolorem summum malum judicans; aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest.

Cic. off. I. 2.

Sumtus.

1.) Utere quaesitis opibus: fuge nomen avari:
Quo tibi divitias, si semper pauper abundas?
Cat. Dist. IV. 16. (Tenacitas.)

2.) Utere quaesitis modice; quum sumtus abundat,
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.
Cat. Dist. II. 17.

3.) Quum fueris locuples, corpus curare memento;
Aeger dives habet nummos, se non habet ipsum.
Cat. Dist. IV. 5. (Tenacitas.)

4.) Pro quaestu sumtum facit.
Hor. Satyr. l. I. 2.

5.) Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus
In summis minimisque; etiam cum piscis emetur,
Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis.
Juv. Satyr. 11.

Superbia.

Magistratus vero prisci quantoque suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinendae gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis umquam, nisi Latine, responsa darent. Quin etiam, ipsa linguae volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra, sed etiam in Graecia et Asia: quo scilicet Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinae: (sed nulla non in re pallium togae subjici debere arbitrabantur: indignum esse existimantes, illecebris et suavitate literarum imperii pondus et auctoritatem domari.

Val. Max. II. 2. (Romani.)

Superstitio.

1.) Illic caeruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nulla Dianam.
Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina!

Juvenal. Satyr. 15.

2.) Superstitio fusa per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit.

Cic. div. II. 72.

3.) Multum et nobismet ipsis, et nostris profuturi videbamur, si eam (scilicet superstitionem) funditus sustulissemus. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. Nam et majorum instituta tueri sacris caeremoniisque retinendis sapientis est: et esse praestantem aliquam, aeternamque naturam, et eam suscipiendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum coelestium cogit confiteri.

Cic. div. II. 72. (Religio.)

Supervacuum.

1.) In flammam flammas, in mare fundis aquas.

Ovid. Amor. III. 2.

2.) De illis nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui in literarum inutilium studiis detinentur, quae jam apud Romanos quoque magna manus est. Graecorum iste morbus fuit, quaerere, quem numerum remigum Ulyxes habuisset; prior scripta esset Ilias, an Odyssea; praeterea an ejusdem esset auctoris.

Senec. brev. vit. 13.

3.) Ecce Romanos quoque invasit inane studium, supervacua discendi!

Senec. brev. vit. 13.

Supplicium.

1.) Acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam; et misericordiae genus est, cito occidere; quia tormen-

tum ultimum finem sui secum adfert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est.

Senec. benef. II. 5.

2.) Nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.

Juvenal. Satyr. 6.

3.) Periculosum est, mihi crede, ostendere civitati, quanto plures mali sint.

Senec. clementia. I. 23.

4.) Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera. Remissius imperanti melius paretur.

Senec. clem. I. 24.

Surditas.

In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat, etiamsi, ut mihi videbatur, injuria. Nostri graece fere nesciunt, nec Graeci latine; ergo hi in illorum, et illi in horum sermone surdi; omnesque nos in iis linguis, quas non intelligimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. At vocem citharoedi non audiunt: ne stridorem quidem serrae tum, cum acuitur; aut grunnitum, cum jugulatur sus; nec, cum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes; deinde multo majorem percipi posse legendis his, quam audiendis, voluptatem. Tum ut paullo ante caecos ad aurium traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret.

Cic. Tusc. Quaest. V. 40.

Sus.

Sus vero quid habet praeter escam? cui quidem, ne putisceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus; qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura foecundius.

Cic. nat. deor. II. 64. (Pigritia.)

Suspicio.

1.) Quaedam falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit.

Sen. de ira II, 22.

2.) Ne cures, si quis tacito sermone loquatur;
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

Cat. Dist. I. 17.

3.) Ne sint aures criminantibus faciles; hoc humanae naturae vitium suspectum notumque nobis sit, quod, quae inviti audimus, libenter credimus, et antequam judicemus, irascimur.

Senec. de ira II, 22.

4.) C. Caesar, qui victoria civili clementissime usus est, cum scrinia deprehendisset epistolarum ad Pompejum missarum ab iis, qui videbantur aut in diversis aut in neutris fuisse partibus, combussit; quamvis moderate soleret irasci, maluit tamen non posse.

Senec. de ira II. 23.

5.) Plurimum mali credulitas facit. Saepe ne audiendum quidem est, quoniam in quibusdam rebus satius est decipi, quam diffidere.

Senec. de ira II, 23. (Credulitas.)

Sympathia.

1.) Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
Humani vultus.

Hor. Pis. 101.

2.) Nota tibi; et nostro doluisti saepe dolore.

Virg. Aen. I. 669.

3.) Agnovit longe gemitum praesaga mali mens.

Virg. Aen. lib. X. v. 843.

4.) Hoc proprium est animi bene constituti, et laetari bonis rebus, et dolere contrariis.

Cic. Amic. 13.

5.) Hic mortis durae casum, tuaque optuma facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te juvenis memorande, silebo.

Virg. Aen. X. 791.

Taciturnitas.

1.) Virtutem primam esse puta, compescere linguam:
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.
Cat. Dist. I. 3.

2.) Syrus. Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies.
Ter. Heaut. IV. 4.

3.) Exigua est virtus, praestare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.
Ovid. ars amat. lib. II.

4.) Est et fideli tuta silentio
Merces. Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.
Hor. od. III. 2.

5.) Quid, Xenocratis responsum, quam laudabile! Cum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset; uno ex his quaerente, cur solus ita linguam suam cohiberet: quia dixisse me, inquit, aliquando poenituit, tacuisse nunquam.
Val. Max. VII. 2.

Tartarus.

1.) Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis; quae maxima turba est:
Quique ob adulterium caesi; quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi poenam exspectant.
Virg. Aen. VI. 608.

2.) — — — Facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. — — —
Virg. Aen. VI. 126.

3.) Gnosius haec Rhadamantus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,

Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Virg. Aen. VI. 566.

4.) — — — — Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.
Virg. Aen. VI. 577.

5.) Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
Virg. Aen. VI. 625. (Impossibile.)

6.) Panditur ad nullas janua nigra preces.
Prop. IV. 11.

7.) Parcite, pallentes undas quicumque tenetis
Duraque sortiti tertia regna dei!
Tibullus. III. 5.

8.) Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, et stygiae navita turpis aquae.
Tibull. I. 10.

9.) Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurai simplices ignem.
Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus.
Virg. Aen. VI. 739.

Tellus.

1.) Ea, quae est media (sc. inter planetas), tellus, neque movetur, et infima est, et in eam feruntur omnia suo nutu pondera.
Cic. rep. VI. 17. Somn. Scip.

2.) Terra immobilis manens ima sede semper haeret (sc. inter caeteros planetas), complexa medium mundi locum.
Cic. rep. VI. 18. Som. Scip. (Terra.)

Tempus.

1.) Fluit tempus, et avidissimos sui deserit. Nec, quod futurum est, meum est, nec, quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo; et magni est modicum fuisse (i. e. eo temporis spatio, quod nobis datum a natura est, contentum esse).

Senec. quaest. natur. VI. 32.

2.) Ut in damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est.

Senec. lib. ad Marc. c. 16.

3.) Fluunt dies, et irreparabilis vita decurrit.

Senec. epist. 123.

4.) Nemo aestimat tempus; utuntur illo laxius, quasi gratuito.

Senec. brev. vit. 8.

5.) Eheu fugaces, Posthume, Posthume!
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis, et instanti senectae
Afferet indomitaeque morti.

Horat. II. 14.

6.) Praesens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur; in cursu enim semper est; fluit et praecipitatur.

Senec. brev. vit. 10.

7.) Magni, mihi crede, et supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibari sinere; et ideo vita ejus longissima est, cui quantumcumque patuit, totum ipsi vacavit. Nihil inde incultum otiosumque jacuit, nihil sub alio fuit; neque enim quidquam reperit dignum, quod cum tempore suo permutaret, custos ejus parcissimus.

Senec. brev. vit. 7. (Vita.)

8.) Omnia aliena sunt; tempus tantum nostrum est. Sed tanta stultitia mortalium est, ut qua minima et vilissima sunt, certe reparabilia, imputari sibi, cum impetravere, patiantur, nemo se judicet quidquam debere, qui tempus accepit; quum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere.

Senec. epist. 1.

9.) Mirari soleo, quum video aliquos tempus petere, et eos, qui rogantur, facillimos. Illud uterque spectat,

propter quod tempus petitum est: ipsum quidem neuter. Quasi nihil petitur, quasi nihil datur, re omnium pretiosissima luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit; ideoque vilissima aestimatur, imo paene nullum pretium ejus est.

Senec. brev. vit. 8.

10.) Quin etiam accendas vitia irritesque vetando;
Temporibus si non adgrediare suis.

Ovid. remed. amor.

11.) Cum celeritate temporis utendi velocitate certandum est; velut ex torrente rapido, nec semper casuro, cito hauriendum est.

Senec. brev. vit. 9.

12.) Labitur occulto, fallitque volatilis aetas;
Et nihil est annis velocius. — — —

Ovid. Metamorph. X. 519.

13.) Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere; et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt; vitam nobiscum dividit somnus.

Senec. epist. 117.

14.) Ex hoc tempore tam angusto, et rapido et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?

Senec. epist. 117.

15.) Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa vice.

Tibull. I. 4.

16.) Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Tibull. I. 4.

17.) Multa dies variique labor mutabilis aevi
Retulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus Fortuna locavit.

Virg. Aen. Lib. XI. v. 425. (Mutatio.)

18.) Vive memor leti; fugit hora; hoc, quod loquor, inde est.

Pers. Satyr. 5.

19.) Omnem crede diem tibi diluxisse supremum;
Grata superveniet, quae non sperabitur hora.
Hor. epist. I. 4.

20.) Nec, quae praeteriit, rursum revocabitur unda;
Nec, quae praeteriit, hora redire potest.
Ovid. ars amat. III.

21.) Utendum est aetate; cito pede labitur aetas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Ovid. ars amat. III.

22.) Labitur occulte, fallitque volatilis aetas;
Ut celer admissis labitur amnis aquis.
Ovid. Amor. I. 8.

23.) Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis;
Et fugiunt, freno non remorante dies.
Ovid. fast. l. VI.

24.) Quid de rerum natura querimur? illa se benigne gessit. Vita, si scias uti, longa est.
Senec. de brevit. vit. c. 2. (Vita.)

25.) Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota collocaretur; sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonae impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes ejus, sed prodigi sumus.
Senec. de brevit. vit. cap. I. (Vita.)

Tempus justum.

Hoc certe delinquis, quod non exspectas suum cujusque rei tempus; quod aeque peccat, qui non sequitur, quam qui antecedit.
Senec. benef. VI. 40. (Occasio.)

Tenacitas.

1.) Quid tamquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista, quae vos tumidos et supra humana elatos, oblivisci cogunt vestrae fragilitatis, quae ferreis claustris custoditis armati, quae ex alieno sanguine rapta vestro

defenditis; propter quae classes cruentaturas maria deducitis; propter quae quassatis urbes, ignari, quantum telorum in adversos fortuna comparet; propter quae ruptis toties affinitatis, amicitiae, collegii foederibus, inter contendentes duos terrarum orbis elisus est; non sunt vestra; in depositi causa sunt, jam jamque ad alium dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor, invadet. Quaeris, quomodo illa facias tua? donando.

Senec. benef. VI. 3. (Beneficium. Fragilitas.)

2.) — — — Hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo, duramque famem depellere possit.

Hor. l. I. 2.

3.) Parcus ob haeredis curam, nimiumque severus
Assidet insano.

Hor. epist. l. I. 5.

4.) — — — Quid differt barathrone
Dones, quidquid habes, an numquam utare paratis?

Hor. Satyr. II. 3.

Tentatio.

Illustrata est virtus mea, per ea ipsa, per quae petebatur; produci enim illi et tentari expedit; nec ulli magis intelligunt, quanta sit, quam qui vires ejus lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli magis, quam ferientibus, nota est.

Senec. Vit. beat. 27. (Virtus.)

Termini.

O quam ridiculi sunt mortalium termini! Ultra Istrum Dacus non exeat; Strymo Thracas includat; Parthis obstet Euphrates; Danubius Sarmatica et Romana disterminet; Rhenus Germaniae modum faciat; Pyrenaeus medium inter Gallias et Hispanias jugum extollat; inter Aegyptum et Aethiopias arenarum inculta vastitas jaceat. Si quis formicis det intellectum hominis,

nonne et illae unam aream in multas provincias divident?

Senec. Quaest. natural. I. praefat.

Terrae motus.

Hoc malum latissime patet, inevitabile, avidum, publice noxium (loquitur de terrae motu). Non enim domos solum, aut familias, aut urbes singulas haurit, sed gentes totas regionesque subvertit; et modo ruinis operit; modo in altam voraginem condit, ac, ne id quidem relinquit, ex quo adpareat, quod non est, saltem fuisse; sed supra nobilissimas urbes, sine ullo vestigio prioris habitus, solum extenditur.

Senec. quaest. natur. VI. 1.

Terror.

1.) Cum feriant unum, non unum fulmina terrent;
Junctaque percusso turba pavere solet.

Ovid. ex Ponto. III. 2.

2.) Obstupui, sensique metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Ovid. fast. l. I.

3.) Plura sunt, quae nos terrent, quam quae premunt; et saepius opinione, quam re laboramus.

Senec. ep. 13.

4.) Nulla causa vitae est, nullus miseriarum modus, si timetur, quantum potest. Ergo et spem et metum examina, et quoties incerta erunt omnia, tibi fave; crede, quod mavis et perturbare te desine.

Senec. epist. 13.

Theatrum.

De origine ludorum scenicorum apud Romanos, et tota theatrorum institutione, vide

Val. Maximum, lib. II. cap. 4.

Thucydides.

Qui Thucydidem laudavit, suae nostram adscribit sententiam.

Cic. de optimo genere oratorum. cap. 8.

Timor.

1.) Degeneres animos timor arguit.

Virg. Aen. IV. 13.

2.) — — — Dum pejora timentur;
Est in vota locus; sors autem ubi pessima rerum,
Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.

Ovid. Metamorph. XIV. 488.

3.) Fac meus in ventos hic timor omnis eat.

Ovid. Heroid. Ep. 13.

4.) Nil est nec miserius, nec stultius, quam praetimere: quae ista dementia est, malum suum antecedere!

Senec. epist. 98.

5.) Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Ovid. ex Ponto. II. 7.

6.) Quid dementius autem, quam angi futuris, nec se tormento reservare, sed arcessere sibi miserias et admovere?

Senec. epist. 74.

7.) — — — — Plurima sunt, quae
Non audent homines pertusa dicere laena.

Juvenalis Satyr. 5.

Titulus.

Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens;
Ipsa tamen virtus ordine major erit.

Ex Ovid. libr. ex Ponto IV. 7. (Laus.)

Traditio.

Nihil est autem, quod non longinquitas temporum, excipiente memoria, prodendisque monumentis, efficere atque assequi possit.

Cic. divinat. I. 7.

Tranquillitas.

1.) Vacandum autem est omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam aegritudine et voluptate animi et iracundia; ut tranquillitas et securitas adsit, quae adfert cum constantiam, tum etiam dignitatem.

Cic. off. I. 20.

2.) Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denuntiatione et incursu firmitatem animi tui tentes; sed in otio inconcusso jacere non est tranquillitas; malacia est.

Senec. epist. 67.

3.) Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient.

Hor. epist. I. 10.

4.) Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est;
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

Hor. epist. I. 11.

5.) Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur.

Senec. ep. 56.

Tributum.

Danda opera est, ne (quod apud majores nostros saepe fiebat, propter aerarii tenuitatem assiduitatemque bellorum) tributum sit conferendum: idque ne eveniat, multo ante erit providendum; sin qua necessitas hujus muneris alicui reipublicae obvenerit: danda erit opera, ut omnes intelligant (si salvi esse velint), necessitati esse parendum.

Cic. off. II. 21.

Tristitia.

1.) Finem dolendi etiam qui consilio non fecerat, tempore invenit; turpissimum autem est in homine prudenti remedium moeroris, lassitudo moerendi.

Sen. ep. 63.

2.) Nulla res citius in odium venit, quam dolor; qui recens consolatorem invenit, et aliquos ad se adducit; inveteratus vero deridetur; nec immerito: aut enim simulatus aut stultus est.

Sen. ep. 63. (Dolor.)

3.) Afflicto et magnum vulnus male ferenti paulisper cedendum est; exsatiet se, aut certe primum impetum effundat.

Senec. epist. 99.

4.) Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant; lacrimandum est, non plorandum.

Senec. ep. 63.

5.) Mihi amicorum cogitatio dulcis ac blanda est; habui enim illos tamquam amissurus, amisi, tamquam habeam.

Senec. ep. 63.

Tropus.

Ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis.

Cic. de oratore III. 38. (Verbum.)

Tumultus.

1.) Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. — —

Virg. Aen. VII. 506.

2.) Vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.

Ovid. Metam. I. 144.

3.) Extemplo turbati animi, concussaque volgi
Pectora, et arrectae stimulis haud mollibus irae.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma juventus;
Flent maesti mussantque patres. Hinc undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras.

Virg. Aen. XI. 451.

Turpitudo.

An est ullum majus malum turpitudine? quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio, et foeditas turpificati animi debet videri?

Cic. off. III. 29.

Tutela.

Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum cassa nuce pauperet. Haec mea cura est.

Hor. Satyr. II. 5.

Tutus.

Nil egis; insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi.

Prop. II. 32.

Tyrannis.

1.) Puta tutam esse crudelitatem: quale ejus regnum est? non aliud, quam captarum urbium forma et terribiles facies publici metus. Omnia moesta, turbida et confusa; cogitata ipsa timentur. Non convivia secura ineunt, in quibus lingua sollicite, etiam ebriis custodienda est; non spectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quaeritur.

Senec. clementia I. 26.

2.) Quod istud, Dii boni! malum est, occidere, saevire, delectari sono catenarum, civium capita decidere, quocumque ventum est, multum sanguinis fundere, adspectu suo terrere ac fugare! Quae alia vita esset, si leones ursique regnarent? si serpentibus in nos ac noxiissimo cuique animali daretur potestas? Illa rationis expertia et a nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis; et tuta est etiam inter feras similitudo: apud homines tantum, nec a necessariis quidem rabies temperat sibi, sed externa suaque in aequo habet, quo possit, exercitatior a singulorum caedibus, deinde in exitia gentium serpere.

Sen. clem. I, 26.

3.) Quamdiu imperium populi romani beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut necessarii. Regum, populorum, nationum portus erat, et refugium, senatus. Nostri autem magistratus, imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate, et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius, quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem, et disciplinam jam antea minuebamus: post vero Sullae victoriam penitus amisimus, desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, cum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria; est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet et bonorum virorum, et locupletum, et certe civium, praedam suam se vendere. Secutus est, qui in causa impia, victoria etiam foediore, non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias, regionesque uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque, vexatis et perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe trumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. Multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquam vidisset indignius. Jure igitur plectimur, nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, numquam ad unum tanta pervenisset licentia: a quo quidem rei familiaris, ad paucos; cupiditatum, ad multos improbos venit hereditas. Nec vero umquam bellorum civilium semen, et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam, et meminerint, et sperabunt; quam P. Sulla cum vibrasset, dictatore propinquo suo: idem, sexto tricessimo anno post a sceleratiore hasta non recessit. Alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus praemiis propositis, numquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo stant, et manent, iique ipsi jam extrema scelera metuentes: rem vero publicam penitus amisimus: atque in has clades incidimus (redeundum est enim ad propositum) dum metui, quam cari esse et diligi maluimus. Quae si populo Romano in-

juste imperanti accidere potuerunt, quid debent putare singuli?

Cic. Off. II. 8. (Romani.)

Tyrannus.

1.) Ne illas ipsas manus, quibus se commisit, securus adspicit (sc. tyrannus); contrariis in contraria agitur: nam et invisus est, quia timetur et timeri vult, quia invisus est, et illo exsecrabili versu, qui multos dedit praecipites, utitur: »Oderint, dum metuant,« ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet animos; assiduus vero et acer et extrema admovens, in audaciam jacentes excitat, et omnia experiri suadet.

Sen. clementia I. 12.

2.) Duodequadraginta annos tyrannus etc. cap. 20. 21. 22. de hoc tyranno (Dionysio sc.)

Cic. Tusc. Quaest. V.

3.) Ad generum Cereris sine caede et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Juv. Satyr. 10.

4.) Non potest habere quisquam bonae ac fidae voluntatis ministros, quibus in tormentis et eculeo, et ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter, quam bestiis, homines objectat, omnibus reis noxior ac solicitior, ut qui homines deosque testes ac vindices facinorum timeat, eo perductus ut non liceat illi mutare mores.

Senec. clementia I. 13.

5.) Hoc volo, sic jubeo; sit pro ratione voluntas.

Juv. Sat. 6.

6.) Aliquando sua praesidia in ipsos (sc. tyrannos) consurrexerunt perfidiamque et impietatem, et feritatem, et quidquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum esse docuit?

Senec. clementia I. 26.

7.) Nulla nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est: atque hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quaedam

amputantur, si et ipsa sanguine, et tamquam spiritu carere coeperunt: et nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas et immanitas beluae, a communi tamquam humanitate corporis segregenda est.

Cic. Off. III. 6.

8.) Etenim, qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum?

Cic. Off. II. 7.

9.) Nec vero ulla vis imperii tanta est, quae premente metu, possit esse diuturna. Testis est Phalaris, cujus est praeter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insidiis interiit, non a paucis, sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit.

Cic. Off. II. 7.

10.) Simul atque se inflexit hic rex (e. g. Tarquinius Superbus) in dominatum injustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque taetrius neque foedius nec diis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest; qui, quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate vastissimas vincit belluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam juris communionem, nullam humanitatis societatem velit?

Cic. rep. II. 26.

11.) Et injicere tectis ignem, aratrum vetustis urbibus inducere potentiam putat; et unum occidi jubere aut alterum, parum imperatorium credit; nisi eodem tempore grex miserorum subjectus stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam putat.

Sen. clem. I. 26.

12.) — — Quid violentius aure tyranni:
Cum quo de pluviis, aut aestibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?

Juvenalis Satyr. 4.

Ultio.

1.) Proprium est magnitudinis verae non se sentire percussum.

Sen. de ira III. 25.

2.) Nemo tam humilis est, qui poenam vel summi hominis sperare non possit; ad nocendum potentes sumus.

Sen. de ira l. I. 3.

3.) Magni animi est injurias despicere; ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio.

Sen. de ira II. 32.

4.) Ultio doloris confessio est; non est magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior laesit; si imbecillior, parce illi; si potentior, tibi.

Sen. de ira III. 5.

5.) Est vindicta bonum, vita jucundius ipsa.

Juv. Satyr. 13.

6.) — — — — — Quippe minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio.

Juvenalis Satyr. 13.

7.) — — — — — — Vindicta
Nemo magis gaudet, quam femina.

Juv. Satyr. 13.

Umbra.

Nocte vagae ferimur; nox clausas liberat umbras.
Luce jubent leges lethaea ad stagna reverti.

Prop. IV. 7.

Urbanitas.

Athenis quidam ultimae senectutis, cum spectatum ludos in theatrum venisset, eumque nemo e civibus sessum reciperet, ad Lacedaemoniorum legatos forte pervenit. Qui, hominis aetate moti, canos ejus et annos assurgendi officio venerati sunt, sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod ubi fieri po-

pulus aspexit, maximo plausu alienae urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum e Lacedaemoniis dixisse: Ergo Athenienses, quid sit rectum, sciunt, sed id facere negligunt.

Val. Max. IV. 5. (Reverentia. Verecundia. Modestia.)

Usus.

1.) Felices, quibus usus adest!

Ovid. Heroid. Ep. 17.

2.) Ut nec medici, nec imperatores, nec oratores quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt: sic officii conservandi praecepta traduntur illa quidem ut facimus ipsi; sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat.

Cic. Off. I. 18.

Utile.

1.) Utile putare, quod turpe sit, calamitosum est.

Cic. Off. III. 12.

2.) Omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit, aut, si turpe est, ne videatur esse utile.

Cic. Off. III. 20.

Utilitas.

1.) Utilitas igitur magnos hominesque deosque,
Efficit; auxiliis quoque favente suis.

Ovid. ex Pont. II. 9. (Auxilium.)

2.) Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Hor. Pison. 343.

3.) Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, justitia proficicantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri.

Cic. rep. III. 26. (Virtus.)

4.) Cum aliqua species utilitatis objecta est, commoveri necesse est; sed si, cum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quae speciem

utilitatis attulerit; tunc non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse.

Cic. Off. III. 8.

5.) Quod si nihil est tam contra naturam, quam turpitudo, (recta enim et convenientia, et constantia natura desiderat aspernaturque contraria) nihilque tam secundum naturam, quam utilitas, certe in eadem re utilitas, et turpitudo esse non potest.

Cicero Off. III. 8.

Valedictio.

1.) Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.

Tibullus. III. 5.

2.) O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diverse variae viae reportant.

Catull. 46.

Valetudo.

1.) Dicam, quomodo intelligas sanum. Si se ipse contentus est, si confidit sibi, si scit, omnia vota mortalium, omnia beneficia, quae dantur, petunturque, nullum in beata vita habere momentum.

Sen. ep. 72.

2.) Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere majus.

Hor. ep. l. I. 12.

3.) Fortior ut valeas, interdum parcior esto.
Pauca voluptati debentur, plura saluti.

Cat. Dist. II. 28. (Voluptas.)

4.) Valitudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione, quae res aut prodesse soleant, aut obesse; et continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi causa; et praetermittendis voluptatibus;

postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent.

Cic. Off. II. 24.

5.) Valere malis, quam dives esse.

Cic. Off. II. 25.

6.) Bona valitudo voluptati anteponatur, vires celeritati.

Cic. Off. II. 25.

Vanitas.

1.) Egregie Plato dicit: minima esse, quae homines emant vita.

Sen. Quaest. natural. V. 18. (Vita.)

2.) O curas hominum! o quantum est in rebus inane!

Pers. Satyr. 1.

3.) Cum te in illa, vere magna (sc. ad philosophandum) sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, et, quasi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affusum, libebit dicere: Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi?

Sen. Quaest. natural. l. I. praef. (Humana.)

4.) Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis; minima, etiam cum illis utrimque oceanus occurrit.

Sen. Quaest. natural. lib. I. praefat.

Vastatio.

1.) Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis aequare labores?

Virg. Aen. II. 361.

2.) Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa deorum
Limina.

Virg. Aen. II. 363. (Exitium.)

3.) — — — — Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Virg. Aen. II. 368. (Exitium. Pestis.)

4.) De evertendis autem diripiendisque urbibus valde considerandum est, ne quid temere, ne quid crudeliter. Idque est viri magnanimi, rebus agitatis, punire sontes; multitudinem conservare; in omni fortuna recta atque honesta retinere.

Cic. Off. I. 24.

5.) Sternuntur segetes, et deplorata coloni
Vota jacent, longique labor perit irritus anni.
Ovid. Metam. I. 272.

6.) Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cumque satis arbusta simul pecudesque virosque
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Ovid. Metam. I. 285. (Inundatio.)

Vates.

1.) — — — Novit omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.
Virg. Georg. lib. IV. v. 392.

2.) — — — Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Virg. Aen. l. VI. 11.

Venatio.

Quemadmodum, qui bestiarum cubilia indagat, et »laqueo captare feras »magno aestimat, et« magnos canibus circumdare saltus«, ut illarum vestigia premat, potiora deserit, multisque officiis renuntiat: ita, qui sectatur voluptatem, omnia postponit, et primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit; nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.

Sen. vit. beata XIV. (Voluptas.)

Venia.

Non vulgo ignoscere decet; nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio.

Seneca clementia I. 2.

Ver.

1.) Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis:
Vere tument terrae, et genitalia semina poscunt.
Virg. Georg. Lib. II. 323.

2.) Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt;
Nunc tumido gemmas, cortice palmas agit.
Ovid. fast. IV.

3.) Diffugere nives; redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae.
Hor. Od. IV. 7.

Verba.

Aut nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda.

Cic. Academ. Quaest. I. 7.

Verisimilitudo.

Ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem aut quo judicium meum dirigerem, quam id quodcumque mihi quam simillimum veri videretur, quum ipsum illud verum in occulto lateret.

Cic. orat. cap. 71. (Veritas.)

Veritas.

1.) Cujus autem aures veritati clausae sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est; scitum est enim illud Catonis, ut multa; Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum saepe dicere, hos numquam.

Cic. Amic. 24.

2.) Non sumus ii, quibus nihil verum esse videatur; sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi et assentiendi nota; ex quo exsistit et illud, multa esse probabilia.

Cic. nat. deor. I. 5. (Probabilitas.)

3.) Quod modo proposui, non est sententia; verum est.
Credite me vobis folium recitare Sibyllae.

Juv. Satyr. 8.

4.) Nihil simulatio proficit; paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies. Veritas in omnem partem sui semper eadem est. Quae decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est medacium; perlucet, si diligenter inspexeris.

Sen. epist. 79. (Mendacium. Simulatio.)

5.) — — — Ridentem dicere verum,
Quid vetat? — —

Hor. satyr. l. I. 1.

6.) Hymnis velim te id, quod verum est, credere.

Lucil.

7.) Si vis eadem semper velle, vera oportet velis.

Sen. epist. 95.

8.) Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem; in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus.

Cic. off. I. 6.

9.) In hoc genere, et naturali et honesto (sermo de vero investigando), duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere adsentiamus. Quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias: quibus vitiis declinatis, quod in rebus ho-

nestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id jure laudabitur.

Cic. off. I. 6. (Scrutatio.)

10.) Cujus (sc. veritatis) studio a rebus gerundis abduci, contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit; a qua tamen saepe fit intermissio; multique dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae numquam acquiescit, potest nos in studiis cogitationis, etiam sine opera nostra continere.

Cic. off. I. 6. (Scrutatio. Vita practica.)

Victoria.

1.) — — — Amat victoria curam.

Catull. 62.

2.) Haec mihi devictis potior victoria Parthis;
Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.

Prop. II. 14.

3.) Haec est praecipuo victoria, digna triumpho,
In qua quaecumque est, sanguine praeda caret.

Ovid. Amor. II. 12.

Victus.

1.) Magna pars libertatis est, bene moratus venter, et contumeliae patiens.

Sen. epist. 123. (Libertas.)

2.) Victus cultusque corporis ad valetudinem referantur, et ad vires, non advoluptatem.

Cic. off. I. 30.

Vinum.

1.) Quae potus peccas, ignoscere tu tibi noli;
Nam crimen nullum vini est, sed culpa bibentis.

Cat. Dist. II. 21.

2.) Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae;
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Hor. epist. l. I. 19.

3.) Facundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Hor. epist. l. I. 5.

4.) Nonnumquam et usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas. Eluit enim curas, et ab imo animum movet; et ut morbis quibusdam, ita tristitiae medetur.
Sen. tranq. anim. 15.

5.) Ubi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit.
Sen. epist. 83.

6.) Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi:
Officium praestent mensque pedesque suum.
Ovid. ars am. I.

7.) Ah pereat, quicumque meraces reperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Prop. II. 33.

8.) Vino forma perit, vino corrumpitur aetas.
Prop. II. 33.

9.) Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos, nescia membra modos.
Tib. I. 7.

10.) Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Tibull. I. 7.

11.) O fortes, pejoraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas!
Hor. l. I. 7.

12.) — — — — Poscite Bacchi
Munera; quem vestrum pocula sicca juvant?
Tibull. III. 6.

13.) Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.
Hor. Od. III. 21.

14.) Tu (sc. vinum) spem reducis mentibus anxiis,
Viresque et addis cornua pauperi;

Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Hor. Od. III. 21.

Vir.

Conversis studiis, aetas, animusque verilis
Quaerit opes, et amicitias inservit honori;
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Hor. Pis. 166.

Vir magnus.

1.) Nec vero ille Fabius in luce modo, atque in oculis civium magnus: sed intus domique praestantior. Qui sermo! quae praecepta! quanta notitia antiquitatis! quae scientia juris augurii! multae etiam, ut in homine Romano, literae: omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella. Cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem id, quod evenit, illo exstincto, fore unde discerem, neminem.

Cic. Sen. 4. (Fabius.)

2.) Vita quidem talis fuit (Laelius de Scipione mortuo), vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere.

Cic. Amic. 3. (Gloria.)

3) Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos et simplices veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus.

Cic. off. I. 19.

4.) Illud odiosum est, quod in elatione et magnitudine animi facillime pertinacia, et nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est: omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi; sic ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps comnium, vel potius solus esse.

Cic. off. I. 19. (Principatus.)

5.) Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere bonique Divi;
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum. Hor. Od. IV. 2.

6.) Si magnus vir cecidit, magnus jacuit; non magis illum putes contemni, quam cum aedium sacrarum ruinae calcantur, quas religiosi aeque, ac stantés, adorant.

Sen. ad Helv. matr. de cons. cap. 13.

7.) — — Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet;
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Virg. Aen. I. 605. (Gloria.)

8.) Nec vero audiendi, qui graviter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia.

Cic. off. I. 25. (Placabilitas.)

Vir politicus.

1.) Sic est judicandum, maximas geri res et maximi animi ab iis, qui res publicas regant; quod earum administratio latissime pateat, ad plurimosque pertineat.

Cic. off. I. 26.

2.) Capessentibus autem rempublicam nihilominus, quam philosophis, haud scio, an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum, quam saepe dico, et tranquillitas animi atque securitas; siquidem nec anxii futuri sunt, et cum gravitate constantiaque victuri. Quae eo faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quae fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent; et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. Quo circa non sine causa majores motus animorum concitantur, majoraque efficienda rem publicam gerentibus, quam quietis. Quo magis his et

magnitudo animi est adhibenda et vacuitas ab angoribus.

Cic. off. I. 21.

Virtus.

1.) Hoc adversus virtutes possunt calamitates, et damna et injuriae, quod adversus solem potest nebula.

Senec. epist. 92.

2.) Virtus secundum naturam est; vitia inimica et infesta sunt. Sed quemadmodum virtutes receptae exire non possunt, facilisque earum tutela est: ita initium ad illas eundi arduum; quia hoc primum imbecillae mentis atque aegrae est, formidare inexperta. Itaque cogenda est mens, ut incipiat.

Sen. epist. 50.

3.) Marcet sine adversario virtus.

Senec. de prov. 2.

4.) Nulli praeclusa virtus est; omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges et exules; non eligit domum nec censum; nudo homine contenta est.

Sen. benef. III. 18.

5.) Quamvis in aliis rebus dignitatum magna discrimina sint, virtus in medio posita est; neminem dedignatur, qui modo dignum se illa judicet.

Sen. lib. ad Polyb. 36.

6.) Sola sublimis et excelsa virtus est; nec quidquam magnum est, nisi quod simul et placidum.

Seneca de ira l. I. 27. (Magnitudo.)

7.) Maximum hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum praemittit; etiam, qui non sequuntur illam, vident.

Senec. benef. IV. 17.

8.) Honestum propter nullam alium causam, quam propter ipsum sequimur.

Sen. benef. IV. 9.

9.) Prodest et in equuleo bona voluntas, prodest et in igne; qui, si singulis membris admoveatur, et paullatim vivum corpus circumeat, licet ipsum cor-

pus plenum bona conscientia stillet: placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit.

Senec. benef. IV. 22.

10.) Nemo est casu bonus; discenda virtus est.

Sen. epist. 123.

11.) Non recipit sordidum virtus amatorem; soluto ad illam sinu veniendum est.

Sen. ben. IV. 24.

12.) Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliora.

Senec. benef. IV. 17.

13.) Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriae.

Sen. epist. 113.

14.) Invia virtuti nulla est via.

Ovid. Metemorph. XIV. 13.

15.) Calcatis utilitatibus ad illam (virtutem) eundum est, quocumque vocavit, quocumque misit, sine respectu rei familiaris; interdum etiam sine ulla sanguinis sui parsimonia vadendum, nec umquam imperium ejus detrectandum.

Senec. benef. IV. 1.

16.) Rerum honestarum pretium in ipsis est.

Senec. benef. IV. 1.

17.) Monstro, quod ipse tibi possis dare, semita certe
Tranquillae per virtutem patet unica vitae.

Juv. Satyr. 10.

18.) Cum virtutibus inter se sit concordia, nec ulla alia melior aut honestior sit, quaedam tamen quibusdam personis aptior est.

Senec. clementia. I. 5.

19.) Evincamus omnia, quorum praemium non corona, nec palma est, nec tubicen, praedicationi nominis nostri silentium faciens; sed virtus, et firmitas animi, et pax in ceterum parta, si semel in aliquo certamine debellata fortuna est.

Senec. epist. 78.

20.) Sicut in arvo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae quamvis delectet oculos, tantum operis insumtum est, — aliud fuit serenti propositum, hoc supervenit —: sic voluptas non est merces, nec causa virtutis, sed accessio; nec, quia delectat, placet; sed quia placet, delectat.

Senec. vita beata 9. (Voluptas.)

21.) Interrogas, quid petam ex virtute? ipsam. Nihil enim est melius; ipsa pretium sui est.

Senec. vita beata. 9.

22.) Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices et popinae sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem saepius ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca, aedilem metuentia; mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, et medicamentis pollutam.

Senec. vita beata. 7. (Voluptas.)

23.) Ipsa quoque et cultu est et nomine femina Virtus,
Non mirum, populo si favet illa suo.

Ovid. ars amat. libr. III.

24.) Carmine fit vivax virtus expersque sepulchri,
Notitiam serae posteritatis habet.

Ovid. ex Pont. IV, 8.

25.) Agedum, virtus antecedat! tutum erit omne vestigium. Voluptas nocet nimia: in virtute non est verendum, ne quid nimium sit; quia in ipsa est modus. Non est bonum, quod magnitudine laborat sua.

Senec. vita beata. 13. (Voluptas.)

26.) Sola virtus praestat gaudium perpetuum, securum; etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quae infra feruntur, nec umquam diem vincunt.

Sen. ep. 27. (Gaudium.)

27.) Numquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiae fructu caruerunt.

Cic. rep. III. 28.

28.) Si aut ingrati universi, aut invidi multi, aut inimici potentes suis virtutem praemiis spoliant; nae illa se multis solatiis oblectat, maximeque suo decore se ipsa sustentat.

Cic. rep. III. 28.

29.) Vult plane virtus honorem; nec est virtutis ulla alia merces; quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe.

Cic. rep. III. 28.

30.) Quae latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

Ovid. Trist. IV. 3.

31.) Potestne virtus servire? quae et semper, et sola libera est, quaeque etiamsi corpora capta sint armis aut constricta vinculis, tamen suum jus atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat.

Cic. de oratore. I. 52.

32.) Avida est periculi virtus, et quo tendat, non quid passura sit, cogitat; quoniam et quod passura est, gloriae para est.

Senec. de prov. 4.

33.) Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem autem non dat; ideo nec detrahit.

Senec. constant. Sapient. 5. (Fortuna.)

34.) Nulla virtus virtuti contraria est.

Senec. clem. II. 3.

35.) Pecunia veniet ultro, honor offeretur, gratia ac dignitas fortasse ingerentur tibi: virtus in te non incidet; nec levi quidem opera aut parvo labore cognoscitur; sed est tanti laborare, omnia bona semel occupaturo. Unum enim est bonum, quod honestum: in illis nihil invenies veri, nihil certi, quaecumque famae placent.

Senec. ep. 76.

36.) Qui omne bonum honesto circumscripsit, intra se felix est. Nam qui alia bona judicat, in fortunae venit potestatem, alieni arbitrii fit.

Sen. ep. 74. (Bonum.)

37.) Nihil est virtute praestantius, nihil pulchrius; et bonum est et optabile, quidquid ex hujus geritur imperio.

Senec. ep. 76.

38.) Per se colligitur, unum bonum esse, quod honestum; per se rursus, ad vitam beatam satis esse virtutem.

Senec. epist. 85.

39.) Virtus non contingit animo, nisi instituto et edocto.

Senec. epist. 90. (Eruditio.)

40.) Virtus extollit hominem et supra cara mortalibus collocat.

Senec. epist. 87.

41.) Virtutum omnium praemium in ipsis est. Non enim exercentur ad praemium; recte facti fecisse merces est.

Senec. epist. 81.

42.) Tibi continget virtus sine apparatu, sine impensa. Quidquid facere te potest bonum, tecum est. Quid tibi opus est, ut sis bonus? velle.

Senec. epist. 80. (Voluntas.)

43.) Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

Hor. Od. III. 2. (Adplausus.)

44.) Virtus recludens immeritis mori
Coelum, negata tentat iter via:
Coetusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente penna.

Hor. Od. III. 2.

45.) Virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam, etsi difficile est probatu propter tam varia et tam multa tormenta fortunae, tale tamen est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur. Nihil est enim omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur.

Cic. tusc. Quaest. lib. V. cap. 1.

46.) Qui voluptatis virtutisque societatem facit, et ne ex aequo quidem fragilitate alterius boni, quidquid in

altero vigoris est, hebetat, libertatemque illam, ita demum, si nihil se pretiosius novit, invictam, sub jugum mittit. Nam (quae maxima servitus est) incipit illi opus esse fortuna; sequitur vita anxia, suspiciosa, trepida, casuum pavens, temporumque suspensa momentis.

Senec. vit. beat. 15. (Voluptas.)

47.) Virtutem quidem excelsissimam omnium voluptati tradere ancillam nihil magnum animo capientis est. Prima virtus sit; haec ferat signa: habebimus nihilominus voluptatem, sed domini ejus et temperatores erimus; aliquid nos exorabit, nihil coget.

Senec. vita beata 14. (Voluptas.)

48.) Quisquis ad virtutem accessit, dedit generosae indolis spem: qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans vir, perventurus in turpia, nisi aliquis destinxerit illi voluptates, ut sciat, quae ex eis intra naturale desiderium sistant, quae praeceps ferantur, infinitaeque sint, et quo magis implentur, eo magis inexplebiles.

Senec. vita beata 13. (Voluptas.)

49.) Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere.

Cic. tusc. quaest. I. 45. (Vita.)

50.) Quando igitur virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis; ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones, omnisque recta ratio: quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest.

Cic. tusc. quaest. IV. 15.

51.) Virtus omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet; eaque despiciens, casus contemnit humanos, culpaque omni carens praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere.

Cic. tusc. quaest. lib. V. cap. 1.

52.) Virtus, quam affectamus, magnifica est; non, quia per se beatum est, malo caruisse; sed quia animum laxat ac praeparat ad cognitionem caelestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat.

Senec. quaest. natural. I. 1

53.) Quid ergo? virtus ad beate vivendum sufficit? perfecta illa et divina. Quidni sufficiat? imo superfluit. Quid enim deesse potest, extra desiderium omnium posito? Quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit?

Senec. vita beata. 16. (Vita.)

54.) — — Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis.

Hor. epist. I. 6.

55.) — — — Virtutem verba putas, ut
Lucum ligna?

Hor. epist. I. 6.

56.) Virtus est medium vitiorum, et utrimque reductum.

Hor. epist. I. 18.

57.) Odisse et lacessere virtutem bonae spei ejuratio est.

Senec. vit. beat. 26.

58.) Virtutes omnes inter se nexae et jugatae sunt.

Cic. tusc. quaest. III. 8.

59.) Natura gloriosa est virtus, et anteire priores cupit.

Senec. benef. III. 36.

60.) Magna vis est in virtutibus.

Cic. tusc. quaest. III. 17.

61.) Gloria umbra virtutis est; etiam invitos comitabitur.

Senec. epist. 79. (Gloria.)

62.) Nulla virtus latet; et latuisse non ipsius est damnum. Veniet, qui conditam et seculi sui malignitate compressam, dies publicet.

Senec. epist. 79.

63.) Proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum, et ad usus suos adjungere.

Cic. off. II. 5.

64.) Virtutum esse nulla potest, nisi erit gratuita; nam quae voluptate, quasi mercede aliqua, ad officium

impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio, simulatioque virtutis.

Cic. Academ. Quaest. IV. 45.

65.) Jam virtutem ex consuetudine vitae, sermonisque nostri interpretemur: nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur: virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est; eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur.

Cic. Amic. 6.

66.) Virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum, sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quae gignantur, quae cujusque rei causa sit: alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant; appetionesque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi: tertium, iis, quibuscum congregamur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus: per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena afficiamus, quantam aequitas, humanitasque patitur.

Cic. off. II. 5.

67.) Virtute ipsa non tam multi praediti esse, quam videri volunt.

Cic. Amic. 26. (Simulatio.)

68.) Nihil est enim amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos numquam vidimus, quodammodo diligamus.

Cic. Amic. 8.

69.) Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Virg. Aen. Lib. VI. v. 807.

70.) Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat; nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat, ignoras.

Cic. Parad. II.

71.) Si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid, quam virtutem, necesse est. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valitudinem? quae

et, cum adsunt, perparva sunt; et, quam diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest: an (quod turpissimum dictu est), voluptatem? at in ea quidem spernenda, et repudianda, virtus vel maxime cernitur.

Cic. Leg. I. 19.

72.) Nulla possessio, nulla vis auri, et argenti, pluris, quam virtus aestimanda est.

Cic. Parad. VI.

73.) Si isti callidi rerum aestimatores, prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest: quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi, nec surripi potest umquam: neque naufragio, neque incendio amittitur: nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur?

Cic. Parad. VI.

74.) Qua (scl. virtute) praediti qui sunt, soli sunt divites. Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas: solique (quod est proprium divitiarum) contenti sunt rebus suis. Satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, et avari, quoniam incertas, atque in casu positas habent, et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui, quod haberet, esset satis, non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

Cic. Parad. VI.

Virtutes.

1.) Neque bonitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem, utilitatemve referantur.

Cic. off. III. 33.

2.) Pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri, facillime potest perspici. An virum bonum dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari impune posset auri pondo decem, reddiderit: si idem in decem millibus pondo non idem fecerit? aut temperantem eum, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Una virtus est consentiens cum ratione, et perpetua constantia; nihil huic

addi potest, quo magis virtus sit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim si benefacta, recte facta sunt, et nihil recto rectius: certe ne bono quidem melius quidquam inveniri potest.

Cic. Parad. III.

3.) Brutum si quis roget, quid egerit in patria liberanda: si quis item reliquos ejusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis existet, cui voluptas, cui divitiae, cui denique praeter officium fortis, et magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quae res ad necem Porsennae C. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suae? Quae vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quae patrem Decium, quae filium devotavit, atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus Major? quid Minor? quid inter horum aetates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? (nam domesticis exemplis abundamus) cogitasse quidquam putamus in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse, et praeclarum videretur?

Cic. Parad. I.

Vis.

1.) Vis consili expers mole ruit sua;
Vim temperatam Di quoque provehunt
In majus; iidem odere vires,
Omne nefas animo moventes.

Hor. Od. III. 3.

2.) Deinceps sunt cum populo actiones: in quibus primum, et maximum, Vis abesto. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri et legibus, nihil minus civile, et humanum, quam, composita et constituta republica, quidquam agi per vim.

Cic. Leg. III. 18.

Vita.

1.) Breve enim tempus aetatis, satis est longum ad bene, honesteque vivendum; sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolae dolent, praeterita verni temporis suavitate, aestatem autumnumque venisse; ver enim tamquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, et percipiendis accommodata sunt.

Cic. Sen. 19.

2.) Histrio, si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior, exsibilatur, et exploditur: in vita tu, qui omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debes, ut in syllaba te peccare dices?

Cic. Parad. III.

3.) Dementissima quorundam indignatio est: queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacaverint. Audet quisquam de alterius superbia queri, qui sibi ipse numquam vacat? Ille tamen, quisquis est, insolenti quidem vultu, sed aliquando respexit; ille aures suas ad tua verba demisit; ille te ad latus suum recepit: tu non inspicere te umquam, non audire dignatus es.

Senec. de brev. vit. c. 2. (Superbia. Cognitio sui.)

4.) Tenenda nobis via est, quam natura praescripsit, nec ab illa declinandum; illam sequentibus omnia facilia et expedita sunt; contra illum nitentibus, non alia vita est, quam contra aquam remigentibus.

Senec. epist. 122.

5.) Quam diu sim, alienum est; quam diu vir bonus sim, meum est. Quaeris, quod sit amplissimum vitae spatium? usque ad sapientiam vivere. Qui ad illam pervenit, adtigit non longissimum finem, sed maximum. Ille vero glorietur audacter et diis agat gratias.

Senec. epist. 93.

6.) Non est bonum, vivere; sed bene vivere.

Senec. ben. III. 31.

7.) Tu quidem orbis terrarum rationes administras (ad Praefectum annonae seu quemcumque similem magistratum sermo dirigitur), tam abstinenter, quam alienas; tam diligenter, quam tuas; tam religiose, quam

publicas; in officio amorem consequeris, in quo odium vitare difficile est; sed tamen, mihi crede, satius est, vitae suae rationes, quam frumenti publici nosse.

Senec. brev. vitae. 18.

8.) Vis scire, quam non diu vivant? Vide, quam cupiant diu vivere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant, minores natu se ipsos esse fingunt; mendacio sibi blandiuntur, et tam libenter fallunt, quam si fata una decipiant.

Senec. brev. vit. 11.

9.) Excutienda vitae cupido est, discendumque, nihil interesse, quando patiaris, quod quandoque patiendum est; quam bene vivas referre, non quamdiu.

Senec. epist. 101.

10.) Omnes, quantum ad brevitatem aevi, si universo compares, et juvenes et senes in aequo sumus.

Senec. epist. 99.

11.) Omnis dies, omnis hora, quam nihil simus, ostendit, et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cum aeterna meditantes respicere cogit ad mortem.

Senec. epist. 101.

12.) Quam stultum est aetatem disponere! ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est, spes longas inchoantium!

Senec. epist. 101.

13.) Rem dicam, ex qua mores aestimes nostros: vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit.

Senec. epist. 43.

14.) Quidam vivere tunc incipiunt, quum desinendum est; si hoc judicas mirum, adjiciam, quod magis admireris: quidam ante vivere desierunt, quam inciperent.

Senec. epist. 23.

15.) Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert.

Senec. epist. 77.

16.) Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat.

Senec. epist. 4.

17.) Nullum bonum juvat habentem, nisi ad cujus amissionem praeparatus est animus. Nullius autem rei facilior amissio est, quam quae desiderari amissa non potest (sermo de vita est).

Sen. epist. 4.

18.) Micio. Ita vita est hominum, quasi si ludas tesseris.
Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Ter. Adelph. IV. 7.

19.) Nihil homini natura, quod necessarium faciebat, fecit operosum.

Sen. ad Helv. matr. de cons. cap. 11.

20.) Theophrastus moriens adcusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset; quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur; querebatur igitur, se tum, cum illa videre coepisset, exstingui.

Cic. tusc. Quaest. III. 28.

21.) Hoc ingrati est, non esse contentum praefato tempore. Semper pauci dies erunt, si illos numeraveris. Cogita, non esse summum bonum in tempore; quantumcumque est, boni consule. Ut prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem, quoniam mora non fit beatior vita, sed longior. Quanto satius est, gratum adversus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, sed suos benigne aestimare, et in lucro ponere? Hoc me dignum judicavit Deus; hoc satis est. Potuit plus; sed hoc quoque beneficium est.

Senec. benef. V. 17.

22.) Si velis credere altius veritatem intuentibus, — omnis vita supplicium est. In hoc profundum inquietumque projecti mare, alternis aestibus reciprocum, et modo adlevans nos subitis incrementis, modo majoribus

damnis deserens adsidueque jactans, numquam stabili consistimus loco: pendemus et fluctuamur, et alter in alterum illidimur, et aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus, nisi mortis est.

Senec. lib. ad Polyb. c. 28. (Solatium.)

Vita fugax.

— — Festinat enim decurrere velox
Flosculus angustae, miseraeque brevissima vitae
Portio; dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Juv. Satyr. 9.

Vita practica.

1.) Et facilior et tutior, et minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum; fructuosior autem hominum generi, et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rempublicam et ad res magnas gerendas adcommodaverunt. Qua propter et iis forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt; et iis, qui aut valetudinis imbecillitate aut aliqua graviore causa impediti a republica recesserunt, cum ejus administrandae potestatem aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla est causa, si despicere se dicant ea, quae plerique mirentur, imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, et pro nihilo putent, difficile factu est, non probare; sed videntur labores et molestias, tum offensionum, tum repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum sibi constent: voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia; atque ea quidem non satis constanter.

Cic. off. I. 21. (Secessus. Otium.)

2.) Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendae, aut odio quodam hominum, suum se negotium agere

dicant, ne facere cuiquam videantur injuriam; qui altero injustitiae genere vacant, in alterum incurrunt. Deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum.

Cic. off. I. 9. (Societas. Solitudo.)

3.) Videndum est, ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum: quod in veri investigatione versentur, quodque ea, quae plerique vehementer expetunt, de quibus inter se digladiari solent, contemnant et pro nihilo ducant, propterea justos esse. Nam dum alterum justitiae genus adsequuntur, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt. Discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt. Itaque eos ad rempublicam ne accessuros quidem putant, nisi coactos; aequius autem erat, id voluntate fieri.

Cic. off. I. 9. (Philosophi.)

4.) Nec vero habere virtutem satis est, quasi artem aliquam, nisi utare. Etsi ars quidem, quum ea non utare, scientia tamen ipsa teneri potest; virtus in usu sui tota posita est; usus autem ejus est maximus civitatis gubernatio, et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant, reapse, non oratione, perfectio.

Cic. de republ. I. 2. (Virtus.)

5.) Quoniam maxime rapimur ad opes augendas generis humani, studemusque nostris consiliis et laboribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum reddere, et ad hanc voluptatem ipsius naturae stimulis incitamur; teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cujusque; neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui jam processerint.

Cic. de republ. I. 2.

6.) Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, ac tantummodo nostris ipsa commodis serviens, tutum perfugium otio nostro suppeditaret, et tranquillum ad quietem locum, »sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pigneraretur;« tantumque nobis in nostrum privatum usum, quantum ipsi superesse posset, remitteret.

Cic. de republica. I. 4.

7.) Magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maximos labores, molestiasque suscipere, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulchritudine, et viribus. Quocirca optimo quisque, et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit.

Cic. Off. III. 5.

8.) Etenim cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio. Ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter.

Cic. off. I. 45.

9.) Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem.

Cic. off. I. 21. (Praeparatio.)

10.) Si qui sunt, qui philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper atque audiant eos, quorum summa est auctoritas apud doctissimos homines et gloria; quos ego existimo, etiam si qui ipsi rempublicam non gesserint, tamen quoniam de republica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo reipublicae munere. Eos vero septem, quos Graeci sapientes nominaverunt, omnes paene video in media republica esse versatos. Neque enim est ulla res, in qua propius ad Deorum numen virtus accedat humana, quam civitates aut condere novas aut conservare jam conditas.

Cic. de republica. I. 7. (Politica.)

Vita privata.

— — — — Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique.

Hor. satyr. I. 6.

Vita rustica.

1.) O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae?
Hor. Satyr. II. 6.

2.) — — Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvae.
Virg. Eclg. II. v. 61.

3.) — Tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena.
Virg. Eclg. I. 1.

Vitae conditio.

1.) Assuescendum conditioni suae, et quam minimum de illa querendum; et quidquid habet circa se commodi, adprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solatium inveniat.
Senec. tranquill. anim. 10. (Tranquillitas.)

2.) Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.
Hor. epist. I. 14. (Incontentus animus.)

3.) Semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat; cujus imprimis laudabat illud, quod diceret, eosdem labores non esse aeque graves imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium.
Cic. tusc. Quaest. II. 26.

4.) In primis constituendum est, quos nos et quales esse velimus, et in quo genere vitae; quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consilii; tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, judicare. Nam quod Herculem Prodicus dicit, »cum primum pubesceret« (quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressu-

rus, datum est) »exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset.« Hoc Herculi, Jovis satu edito, potuit fortasse contingere; nobis non item; qui imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur; plerumque autem parentum praeceptis imbuti ad eorum consuetudinem moremque deducimur.

Cic. off. I. 32.

5.) Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut praeclara erditione atque doctrina, aut utraque re ornati, spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitae cursum sequi vellent; in qua deliberatione ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum.

Cic. off. I. 33.

6.) Nam cum in omnibus, quae aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est, quid deceat, exquirimus; tum in tota vita constituenda multo est rei cura major adhibenda, ut constare in vitae perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam; utriusque omnino ratio habenda est in deligendo genere vitae; sed naturae magis. Multo enim et firmior est, et constantior; ut fortuna nonnumquam, tamquam ipsa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur.

Cic. off. I. 33.

Vitae contemtus.

Si volumus esse felices, si nec hominum, nec Deorum, nec rerum timore vexari, si despicere fortunam supervacua promittentem, levia minitantem, si volumus tranquille degere, et ipsis Diis de felicitate controversiam facere; anima in expedito est habenda.

Senec. Quaest. Natur. VI. 32.

Vitae securitas.

1.) O quid solutis est beatius curis!
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.

Catull. 31.

2.) Indulge genio, carpamus dulcia; nostrum est,
Quod vivis, cinis et manes et fabula fies.

Pers. Satyr. 5.

3.) Dum licet, in rebus jucundis vive beatus;
Vive memor, quam sis aevi brevis.

Horat. Satyr. II. 6.

4.) Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem.

Juv. Sat. 11.

5.) Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum et servos, et quidquid frangitur illis,
Aut perit; ingratos ante omnia pone sodales.

Juv. Satyr. 11.

Vitia.

1.) Numquid ille, cujus navigium multam, undique laxatis compagibus, aquam trahit, nautis ipsique navigio irascitur? occurrit potius, et aliam excludit undam, aliam egerit, manifesta foramina praecludit, latentibus et ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit: nec ideo intermittit, quia, quantum exhaustum est, subnascitur. Lento adjutorio opus est contra mala continua et faecunda, non ut desinant, sed ne vincant.

Senec. de ira II. 10.

2.) Facile transitur ad plures. Socrati, Catoni et Laelio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset; adeo nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Unum exemplum aut luxuriae aut avaritiae, multum mali facit.

Sen. ep. 7.

3.) Quemadmodum nihil differt, utrum aegrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transfert: sic nihil refert, utrum animus aeger in divitiis, an in paupertate ponatur; malum suum illum sequitur.

Senec. ep. 17.

4.) Omnes inconsulti et improvidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi. Quid lenioribus verbis hulcus publicum obscondo? — omnes mali sumus.

Sen. de ira III. 26.

5.) Animum debes mutare, non coelum. Licet vastum trajeceris mare, licet (ut ait Virgilius noster) terraeque urbesque recedant; sequentur te, quocumque perveneris, vitia.

Sen. ep. 28.

6.) Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Hor. satyr. I. 2.

7.) Ad deteriora faciles sumus; quia nec dux potest, nec comes deesse: et res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit; non pronum iter est tantum ad vitia, sed praeceps.

Senec. epist. 97.

8.) Animus alius ad alia vitia propensior.

Cic. tusc. Quaest. IV. 37.

9.) Voluptas ab omni parte quaeritur; nullum intra se manet vitium. In avaritiam praeceps luxuria est; honestatis oblivio invasit; nihil turpe est, cujus placet pretium.

Senec. epist. 95.

10.) Serpunt vitia, et in proximum quemque transsiliunt, et contactu nocent.

Senec. tranq. anim. 7. (Contagio.)

11.) Etiam sine magistro vitia discuntur.

Sen. quaest. natur. III. 30.

12.) Nos pejores morimur, quam nascimur. Nostrum istud, non naturae vitium est; illa de nobis conqueri debet, et dicere: quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia ceterisque pestibus; quales intrastis, exite.

Percepit sapientiam si quis tam securus moritur, quam nascitur.

Senec. ep. 22.

Vitium.

1.) Si vitam inspicias, hominum si denique mores:
Cum culpant alios, nemo sine crimine vivit.
Cat. Dist. I. 5. (Vituperatio.)

2.) Sua satius est mala, quam aliena tractare; se excutere, et videre, quam multarum rerum candidatus sit, et non suffragari.

Sen. epist. 118.

3.) Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Hor. satyr. I. 2.

4.) — Suus cuique attributus est error;
Sed non videmus, manticae quod in tergo est.
Catull. 22. (Egoismus.)

5.) In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Hor. Pis. 31.

6.) Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur.
Hor. Satyr. I. 3.

7.) Nullum vitium est sine patrocinio; nulli non initium est verecundum et exorabile, sed ob hoc latius funditur. Non obtinebis, ut desinat, si incipere permiseris.

Sen. epist. 116.

Vituperator.

1.) De alterius vita, de alterius morte disputatis; et ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes latratis. Expedit enim vobis, neminem videri bonum; quasi aliena virtus exprobatio delictorum vestrorum sit. Inviti splendida cum sordibus vestris confertis, nec intelligitis, quanto id vestro detrimento audeatis.

Sen. Vit. beat. 19.

2.) In ea, quae firma et insuperabilia sunt, quidquid incurrit, malo suo vim suam exercet.

Sen. Vit. beat 27.

3.) Maledici in alienam contumeliam venusti sunt.

Sen. Vit. beat. 19.

4.) Ut nemo in sese tentat descendere! nemo:
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.

Persii satyr. 4. (Cognitio sui.)

5.) Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Hor. Satyr. I. 3.

6.) Papulas observatis alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum naevos aut verrucas derideat, quem foeda scabies depascitur.

Senec. Vit. beat. 27.

7.) Quae culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Cat. Dist. I. 30.

8.) Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando purgavit omnique honestiorem curia reddidit, proclamat: Quis iste furor? quae ista inimica diis hominibusque natura est? infamare virtutes et malignis sermonibus sancta violare? Si potestis, bonos laudate: si minus, transite. Quod si nobis exercere taetram istam licentiam placet, alter in alterum incursitate; nam cum in caelum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis.

Sen. Vit. beat. 27.

Voluntas.

1.) Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentos auguror esse deos.

Ovid. ex Ponto III. 4.

2.) Velle parum est; cupias ut re potiaris oportet.

Ovid. ex Ponto III. 1.

3.) Pars magna bonitatis est, velle fieri bonum.

Sen. ep. 34.

Voluptas.

1.) Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica: ac mentis (ut dicam) praestinguit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci (loquitur Cato senex), ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum e senatu ejicerem, septem annis post, quam consul fuisset: sed notandam putavi libidinem.

Cic. Sen. 12.

2.) Saepe audivi a majoribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant; mirari solitum C. Fabricium, quod, cum apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset a Thessalo Cinea, esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur: eumque dicere, omnia, quae faceremus, ad voluptatem esse referenda; quod ex eo audientes, M. Curium et Ti. Coruncanium optare solitos, ut id Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur: quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent.

Cic. Senec. 13.

3.) Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat (Archytas) a natura datam: cujus avidae libidines, temere, et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret, stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque homini sive natura, sive quis deus nihil mente praestabilius dedisset; huic divino muneri, ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiae locum esse; neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima; nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset; quo circa nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, cum

major esset, atque longior, omne animi lumen exstingueret.

Cic. Sen. 12.

4.) — Voluptates commendat rarior usus.

Juv. satyr. 11. (Abstinentia.)

5.) — — Trahit sua quemque voluptas.

Virg. Eclg. II. v. 65.

6.) Morbi causa mali nimia est quaecumque voluptas.

Cat. Dist. IV. 24.

7.) Tu, cum tibi sive deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil est praestantius, neque divinius: sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te, atque quadrumpedem aliquam putes interesse?

Cic. Parad. I.

8.) Quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur undique, per omnes vias influat, animumque blandimentis suis leniat, aliaque ex aliis admoveat, quibus totos partesque nostri sollicitet: quis mortalium, cui ullum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, et deserto animo corpori operam dare.

Senec. vita beata. 5.

9.) Etiam si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines, non re, sed nomine), sed si quis est paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat et dissimulat adpetitum voluptatis, propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia, eamque contemni et rejici oportere; sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse ejus fruendae modum.

Cic. off. I. 30.

10.) Omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est.

Cic. de oratore. III. 25.

11.) Quo die quis infra voluptatem fuerit, et infra dolorem erit.

Senec. vita beata. 4.

12.) Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Hor. epist. I. 17.

13) Quae venit ex tuto, minus est accepta voluptas.
Ovid. ars amat. III.

14.) Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, nec dulcia differ in annum.
Hor. epist. I. 11.

15.) Si bene qui coenat, bene vivit: lucet; eamus,
Quo ducit gula.
Hor. epist. I. 6.

16.) Nil nisi turpe juvat; curae est sua cuique voluptas.
Ov. ars am. I.

17.) Sperne voluptates; nocet emta dolore voluptas.
Hor. epist. I. 2.

18.) — — Vitanda est improba Siren,
Desidia; aut, quidquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo.
Hor. satyr. II. 3. (Desidia.)

19) Inter voluptates est, superesse, quod speres.
Sen. de ira III. 31. (Moderatio.)

20.) Ita dico: in praecipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat; modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris.
Sen. epist. 23.

Voluptates.

1.) In primis despuendae sunt voluptates: enervant et effeminant, et multum petunt; multum autem a fortuna petendum est.
Sen. epist. 104.

2.) Voluptates praecipue exturba, et invisissimas habe, latronum more, quos Philetas Aegyptii vocant; in hoc nos amplectuntur, ut strangulent.
Sen. ep. 51.

Vorax.

— — — Rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusque magister.
Juv. satyr. 2.

Vota.

1.) Prima fere vota et cunctis notissima templis
Divitiae, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro.

Juv. Satyr. 10.

2.) Tu pede inoffenso spatium decurrere vitae
Dignus es, et fato candidiore frui.

Ovid. Trist. III. 4.

3.) Quod pro te voveam miti pietate mereris,
Haesuraque mihi tempus in omne fide.

Ovid. Trist. III. 4.

4.) Stulte, quid haec frustra votis puerilibus optas?
Quae non ulla dies fertque feretque dies.

Ovid. Trist. III. 8.

5.) Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.

Tibull. I. 5.

6.) Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam sapere, et fari ut possit, quae sentiat, utque
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?

Hor. epist. I. 4.

7.) Quid sentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus; ut mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt Di.
Sit bona librorum, et provisae frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiae spe pendulus horae.
Haec satis est, orare Jovem, qui donat et aufert:
Det vitam, det opes: aequum mî animum ipse parabo.

Hor. epist. I. 18.

Votum.

1.) — — — Di nostra incepta secundent!

Virg. Aen. Lib. VII. v. 259.

2.) I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis!

Virg. Aen. Lib. VI. v. 546.

3.) Ante meos obitus sit, precor, illa dies.
Prop. III. 4.

4.) Tibi Di, quaecumque preceris,
Commoda dent!
Horat. Saty. II. 8.

5.) — — — Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat, votique peracti?
Juv. Satyr. 10.

6.) Ah nimium est, quod amice petis! moderatius opta;
Et voti, quaeso, contrahe vela tui.
Ovid. ex Ponto. I. 8.

7.) — — — Servent hunc mihi fata diem!
Prop. II. 10.

8.) Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.
Tibull. I. 3. (Festum.)

9.) Quid precor, ah! demens? Venti temeraria vota
Aëriae et nubes diripienda ferant.
Tibull. III. 6.

10.) Sis felix, et sint candida fata tua!
Tibull. III. 6.

11.) At tu Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni!
Tibull. I. 7.

12.) O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
Tibull. III. 3. (Festum.)

13.) Abstine ab hoc manus tuas fortuna, nec in isto potentiam tuam, nisi ea parte, qua prodes, ostenderis.
Sen. lib. ad Polyb. 32. (Precatio.)

14.) — — — Votum miserabile; nec spes
His saltem; nam, cum pro me fortuna rogatur,

Affixit ceras illa de nave petitas,
Quae Siculos cantus effugit remige surdo.
Juv. satyr. 9.

Vulnus.

Numquam sine querela aegra tanguntur.
Senec. de Ira, Ira III. 10.

Vultus.

Saepe tacens vocem verbaque vultus habet.
Ovid. ars am. I.

INDEX.

A.

B.

C.

H.

I.

J.

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

X.

Z.

Corrigenda. Tom. I.

Pag.	6.	vers.	28.	cachinne,	lege:	cachinno
—	28.	—	7.	toque	—	teque
—	30.	—	22.	quaevis	—	quaeris
—	45.	—	3.	Quo	—	Juv.
—	47.	—	11.	afellus	—	asellus
—	52.	—	8.	lecta erit	—	lecta potenter erit
—	70.	—	36.	Laxurium	—	Luxuriam
—	78.	—	32.	stuxit	—	struxit
—	79.	—	12.	atrum	—	atram
—	90.	—	23.	horra	—	horrea
—	93.	—	22.	mitent	—	nitent
—	100.	—	17.	hominum	—	hominem
—	105.	—	—	docet	—	decet
—	—	—	—	ut	—	et
—	120.	—	15.	illum	—	illam
—	121.	—	23.	opponitate	—	opponite
—	140.	—	35.	Tissaque	—	Fissaque
—	158.	—	1.	Curae	—	Cura
—	171.	—	15.	Sid	—	Si
—	175.	—	1.	dispiciendos	—	dispiciendas
—	183.	—	16.	edicere	—	ediscere
—	210.	—	33.	fiet	—	siet
—	212.	—	13.	in commoda	—	incommoda
—	—	—	—	quae	—	qui
—	232.	—	2.	Fortuno	—	Fortuna
—	252.	—	18.	Juv. Sat. 9.	—	Juv. Sat. 8.
—	261.	—	31.	benef. IV. 23.	—	benef. VI. 23.
—	276.	—	2.	atque	—	atqui
—	285.	—	36.	Rop	—	Propert
—	285.	—	37.	insana	—	insane
—	291.	—	3.	VI. 16.	—	VI. 15.
—	293.	—	9.	Sen. epist. 14.	—	Sen. epist. 114.
—	—	—	38.	II. 51.	—	II. 52.
—	294.	—	11.	hae	—	haec

Corrigenda. Tom. II.

Pag.	16.	vers.	25.	dividi,	lege:	dividit
—	18.	—	23.	miscanda	—	miscenda
—	20.	—	16.	II. 82.,	—	II. 84.
—	21.	—	11.	Hor. Satyr.,	—	Hor. Odar.
—	—	—	13.	I. 19.	—	I. 17.
—	25.	—	7.	set	—	siet
—	27.	—	3.	recipit	—	recepit
—	35.	—	13.	Eleg.	—	Eclog.
—	36.	—	29.	anim. 14.	—	anim. 15.
—	40.	—	19.	IV.	—	IV. 7.
—	45.	—	33.	desidunt	—	decidunt
—	50.	—	36.	VI. 27.	—	VI. 17.
—	51.	—	14.	C	—	Odar.
—	52.	—	33.	ex	—	ea
—	54.	—	23.	Ccaq. et Alcai	—	Ceaeque et Alcaei
—	57.	—	13.	demus	—	demas
—	58.	—	37.	χαντων	—	παντων
—	79.	—	29.	vicitatum	—	civitatum
—	88.	—	29.	occupatos	—	occupat os
—	95.	NB.	Post versum 12. in medio excidit titulus: Occupatio; ad quem pertinent numeri 6.) 7.) 8.) etc. usq. 17.), qui mutandi ergo in 1.) 2.) 3.) etc.			
—	101.	—	14.	cum	—	eum
—	103.	—	7.	quae	—	qua
—	—	—	11.	Opimum	—	Optimum
—	104.	—	6.	ex	—	et
—	114.	—	19.	consertio	—	consortio
—	115.	—	3.	suo	—	tuo
—	—	—	27.	Hor. epist. I. 2.	—	Hor. epist. II. 2.
—	120.	—	21.	haberis	—	habearis
—	121.	—	7.	xirtus	—	virtus
—	—	—	11.	moles	—	molles
—	122.	—	13.	magistratum	—	magistratuum
—	124.	—	15.	Periculosum	—	Periculosae
—	125.	—	4.	Tibull. 19.	—	Tibull. I. 9.
—	129.	—	2.	admirantum	—	admiratum
—	135.	—	32.	paranti	—	parenti
—	136.	—	4.	parre	—	patre
—	137.	—	35.	relicto	—	relictâ
—	140.	—	30.	verbae	—	verba
—	143.	—	5.	terra	—	terrae
—	151.	—	27.	Thebanum	—	Thebarum
—	—	—	37.	araque	—	araeque

Pag.	153.	vers.	17.	utili,	lege:	utile
—	154.	—	9.	avo	—	aevo
—	—	—	24.	omnio	—	omnino
—	158.	—	22.	Cic. off. I. 15.	—	Cic. off. I. 5.
—	160.	—	3.	ignaro	—	ignoro
—	—	—	17.	He	—	Ne
—	161.	—	8.	dificilis	—	difficilis
—	162.	—	16.	famae	—	formae
—	174.	—	23.	Sen. vit. beat. 26.	—	Sen. vit. beat. 20.
—	175.	—	21.	aetasis	—	aetatis
—	180.	—	24.	meus	—	mens
—	199.	—	18.	st	—	et
—	205.	—	37.	lib. IV.	—	lib. IX.
—	206.	—	21.	post hunc versum excidit	—	Tibull. III. 4.
—	222.	—	22.	Crudelitas	—	Credulitas.
—	244.	—	30.	nullam	—	nullum
—	252.	—	6.	beatum	—	beatam
—	256.	—	8.	Parad. IV.	—	Parad. VI.

Verzeichnifs der Herren Pränumeranten.

In Brünn.

Herr Engelmann, Johann, k. k. Gymnas. Adjunkt.
— Liberda, Valentin, k. k. Gymnas. Adjunkt.
— Mend, Heinrich, k. k. Humanitäts-Professor.
— Toma, Jakob, k. k. Rechnungsrath.

Biela, Leopold, Zögling der II. Humanitäts-Classe.
Lettmayer, Franz, Zögling der II. Humanitäts-Classe.

In Iglau.

Herr Enk von der Burg, Karl, k. k. Humanitäts-Professor.
— Jarosch, Anton, k. k. Gramm. Professor.
— Krammer, Karl, Dr.
— Lorenz, Anton, k. k. Gramm. Professor.
— Mayer, I. G. V., Kaufmann.
— Oesterreicher, Wilhelm, Dr.
— Serchen, Anselm, k. k. Religions-Professor.
— Smrczka, Dominik, Weltpriester u. Erzieher des jungen Barons Skrbensky.
— Sommer, Andreas, Dr. der Philosophie, und k. k. Gymnasial-Präfekt.
— Tomaschek, Johann, k. k. Gramm. Professor.
— Wolf, Ant. Theodor, k. k. Gramm. Professor.

Studierende.

Wimmer, Georg, in der II. Hum. Classe.

I. Hum. Classe.

Bauczck, Jos.
Brosch, Karl.
Dietl, Vincenz.
Fraudetzky, Friedr.
Fridl, Joh.
Gattoni, Alois.
Gerabek, Ant.
Horzinck, Heinrich.
Keller, Eduard.
Kerbes, Joh.
Komrs, Jos.
Koppl, Leopold.
Kosak, Karl.
Kratochwila, Karl.
Kraus, Jos.
Längdorfer, Alois.
Lerch, Joh.
Loos, Franz.
Melkus, Michael.
Mosmeyer, Eman.
Podrasek, Franz.
Pokorny, Karl.
Radnitzky, Friedr.
Ruzek, Leopold.
Schlettauer, Jos.
Schornböck, Franz.
Schrotz, Alois.
Schwetz, Joh.
Souczek, Joh.
Stach, Karl.
Ulrich, Joh.
Warton, Jak.
Welz, Alois.

IV. Gramm. Classe.

Fatz, Jos.
Koblischek, Jak.
Köck, Peter.
Lang, Alois.
Popelka, Adolph.
Raab, Ant.

III. Gramm. Classe.

Adler, Karl.
Baruch, Wilhelm.
Czermak, Heinr.
Cziharz, Ant.
Dietz, Franz.
Gross, Ant.
Hansalik, Vincenz.
Hascheck, Jak.
Hulek, Johann.
Joscht, Nikolaus.
Kottnauer, Thadd.
Lamm, Franz.
Landerer, Emanuel.
Nerad, Ferdinand.
Neubauer, Leopold.
Neuwirth, Johann.
Nowak, Anton.
Paral, Franz.
Rambausek, Wilhelm.
Schadenböck, Paul.
Schornböck, Johann.
Schulz, Rudolph.
Schuschny, Simon.
Sika, Joseph.
Stransky von Greifenfels, Franz.

II. Gramm. Classe.

Baumann, Alexander.
Halatscka, Joh.
Heller, Prok. Benedikt.
Jelinek, Erasmus.
Senft, Ludwig.
Sterly, Franz.
Wurst, Friedrich.

I. Gramm. Classe.

Dörfler, Karl.
Engl, Heinr.
Habermann, Ferd.
Heller, Emanuel.
Kammermayer, Gustav.
Kern, Heinr.
Morawitz, Heinr.
Paletz, Eduard.
Rossmanith, Eduard.
Seedorf, Julius, von.
Swoboda, Johann.
Waizenkorn, Berthold.

In Krems.

Herr Pfeiffner, Albert, k. k. Gymnasiallehrer.

In Olmütz.

Herr Bielin, Johann, k. k. Gramm. Professor.
— Raudnitzky, Joseph, k. k. Humanitäts-Professor.
— Sturm, Matthias, Dr. der Philosophie, u. k. k. Grammatikal-Professor.
— Tkany, Anton, k. k. Humanitäts-Professor.
— Ulmann, Franz, Weltpriester, u. k. k. Präfekt.
— Wibiral, Carl, k. k. Gramm. Professor.

Zöglinge am k. k. akadem. Gymnas. in Olmütz.

Bobretzky, Carl.
Brosig, Jos.
Drobnik, Jos.
Dusel, Ignaz.
Frisch, Carl.
Hauke, Jos.
Hickel, Johann.
Horak, Anton.
Kamenitzek, Jak.
Kopal, Franz.
Koruna, Carl.
Küffel, Franz.
Matzenauer, Jos.
Mayer, Ant.
Moser, Amand.
Nitsch, Eduard.
Neugebauer, Ant.
Przikril, Thomas.
Riedl, Adalb.
Rückmann, Eduard.
Schöbek, Edmund.
Sommer, Ignaz.
Swoboda, Franz.
Waschek, Heinr.
Winkler, Carl.

In Stanislau.

Herr Högner, Leopold, Gramm. Professor, daselbst.
— Lesniewicz, Ignaz, von, Präfekt, daselbst.
— Liscka, Anton, Humanitäts-Professor, daselbst.
— Piatkowsky, Johann, Humanitäts-Professor, daselbst.

In Teschen.

Herr Budalovsky, Franz, Humanitäts-Lehrer am k. k. Gymnasio zu Teschen.
— Blaha, Johann, k. k. Professor, daselbst.
— Krauss, Joseph, k. k. Präfekt, daselbst, 13 Exemplare.
— Nitsche, Bartholomäus, k. k. Professor, daselbst.
— Paduck, Jos., Pfarrer.
— Richter, Florian, Professor am k. k. Gymnasio zu Teschen.
— Schiroky, Johann, k. k. Religionslehrer, daselbst.
— Schmettan, Ant., k. k. Professor, daselbst.
— Schwarz, Carl, k. k. Humanitätslehrer, daselbst.

Pränumeranten

bey den Herren Buchhändlern in den Provinzen.

	Exempl.
Agram bey Suppan	3
— — Rudolph	3
Botzen bey Promberger	3
Bregenz bey Teutsch	3
Brünn bey Gastl	3
— — Seidel	3
Budweis bey Zdarssa	3
Bukarest bey Wallbaum et Weiser	3
Czernowitz bey Dobrzanski	3
Eger bei Kobrtsch et Gschihay	3
Grätz bey Ferstl (jetzt Greiner)	3
— — Kienreich	3
— — Trötscher's Witwe et Ludewig	6
Güns bey Reichard	3
Hermanstadt bey Thierry	3
Iglau bey Leupold v. Löwenthal	3
Insbruck bey Rauch	3
— — Wagner	3
Karlsbad bey Franiek	3
Kaschau bey Sandvoss	3
— — Wigand et Czernizky	3
Käsmarkt bey Schwaiger	3
Klagenfurt bey v. Kleinmayer	3
Klagenfurt bey Leon	3
Klagenfurt bey Sigmund	3
Klattau bey Braun	3
Klausenburg bey Tilsch et Sohn	3
Krakau bey Friedlein	3
Krems bey Bauer	3
Königgrätz bey Pospischil	3
Laibach bey Korn	3
— — v. Kleinmayr	3
— — Licht	3
— — Paternolli	3
Lemberg bey Kuhn et Millikowsky	3
— — Piller	3
— — Pfaff's Witwe	3
— — Wild et Sohn	3
Linz bey Eurich et Sohn	3
— — Fink et Sohn	3
— — Haslinger	3
Wiener-Neustadt bey Holzschuch	3
Neuhaus bey Landfrass	3
Nikolsburg bey Bader	6
Oedenburg bey Wigand	3
Olmütz bey Neugebauer	6
Pesth bey Eggenberger	3
— — Hartleben	3
Pesth bey Heckenast (früher Wiegand	3
Pesth bey Kilian senior	3

	Exempl.
Pesth bey Kilian junior .	3
— — Müller . .	6
St. Pölten bey Al. Doll .	3
Prag bey Borrosch et André	3
— — Calve . . .	3
— — Dirnböck . .	3
— — Eggenberger .	3
— — Enders . .	3
— — Haase's Söhne .	3
— — Kronberger et Weber	3
— — Neureutter . .	3
Pilsen bey Reiner et Schmid	3
Pressburg bey Hochschorner	3
— — Landes .	3
— — Schaiba .	3
— — Schwaiger .	3
Pressburg bey Wigand .	3
Raab bey Schwaiger . .	3
Reichenberg bey Pfeiffner .	3
Salzburg bey Ehrenberger .	3
— — Mayr . .	3
Steyer bey Greis . .	3
Tarnopol bey Piller . .	3
Tarnow bey Millikowsky .	3
Triest bey Börner . .	3
— — Perissutti's Witwe	3
Troppau bey Trassler . .	6
Waidhofen bey Bachner .	3
Warschau bey Glücksberg .	3
— — Merzbach .	3
— — Senewald .	3
Znaim bey Haberler . .	7

In Wien.

Herr Dosa, Joseph.
— Eveky, von.
— Gerold, Buchhändler, 3 Exemplare.
— Heubner, Buchhändler, 3 Exemplare.
— Hoffmann, Ignaz, k. Statthalterey-Agent.
— Krammer, Karl, Conzeptsbeamter der k. k. Hofkammer-Prokuratur.
— Mörshner et Jasper, Buchhändler, 3 Exemplare.